

ATTICA BELLARIA,

SIVE

LITTERATORVM SECVNDÆ MENSÆ, AD ANIMOS EX CONTENTIONE, ET LASSItudine studiorum lectiunculis exquisitis, iucundis, & honestis relaxandos.


SYNTAGMATIS X. EXPLICATÆ.

Pars secunda.

AVCTORE

IACOBO PONTANO

Societatis IESV.



AVGVSTÆ VINDELICORVM,

Typis Andreæ Apergeri, & impensa Ioannis Hertsroy.

ANNO M.DC.XVII.











ADMODVM R. P. N. MVTIO VITELLESCO, SOCIETATIS IESV PRÆPOSITO GENERALI

Salutem, & longitudinem dierum.

POst publicatam primam Bellariorum meorum partem, quia confidebam labori meo quantocunque, qualicunq; aliquid fauoris, & gratiæ impertitum iri à multis, etiam doctis; & quia hoc genus materiæ non varium modò, sed & latißimè fusum cernebam, nec in eo alium ante me versatum memineram (licet de plerisq; Syntagmatis separatim libelli circumferantur)

cœpi ad alteram partem conficiendam animum appellere; eoq; id impensius, quod in priore euentus spei meæ, Deo iuuante, fæliciter responderat. Confeci, atque adeo parcus nō fui, ut illa se antegressæ propemodum æquauerit: si minus sua mole vicerit. Circumspicienti autem mihi cuinam pro veteri more libros condentium hoc opusculum inscriberem, ac velut Patrono in tutelam traderem, statim R. P. T. occurrit, à qua prius illud obuius, quod aiūt, ulnis exceptum, & cum voluptate legi cœptum, ex humanißimis tuis literis præclarè didici. Quamobrē dubitare nequeo, quin & hanc partem, antecedentis quodāmodo consanguineā, & germanam eodem honore dignaturus sis. Hæc similiter sollicitudinibus, ac molestijs ingentibus, & plurimis sub tanta oneris magnitudine defatigatum alleuabit & sudorem absterget; ac velut dulci quodam vino amaras

cura-

curarũ temperabit. Reſtat vſitata in hiſce nuncupationibus clauſula; nempe ut me R.P.T. meosq; in litteraria palæſtra labores, præteritos, & futuros commendem: ſub umbram alarum tuarum confugiam, tibique fouendum, ac protegendum toto pectore me committam. Bene valeat, & Societatem noſtram, uti cœpit, piè, manſuetè, diligenter, ac prouidenter, Deo auſpice, quam diutiſsimè adminiſtret. Auguſtæ, Kalend. Quintil. M.DC.XVII.



CONCESSVS R. P. PROVINCIALIS.

SEcundam Partem ATTICORVM BELLARIORVM à Iacobo Pontano Societatis nostræ confectã, atq; à destinatis arbitris lectam, & approbatam; ego MELCHIOR HARTELIVS, Societatis IESV per Superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis, ex auctoritate admodum R. P. N. Generalis, MVTII VITELLESCI in apertum proferri permitto. Cuius rei fidem manu mea subscribendo, & subsignando facio. Augustæ, Kalend. Aprilis, M. DC. XVII.

Melchior Hartelius.


AD

Ad Lectorem.



Væ de hoc genere ſcripti mei dicenda habui, ea in limine Partis primæ expoſui: quæ te legiſſe arbitror, vt hîc iterare eadem minimè ſit neceſſe. SYNTAGMATA *aliquot eiusdem notæ ſunt, cuius in priore, puta, Hiſtoriæ, Ritus, Mira mirorum, Sales, &c. Quis enim vnus liber tantæ molis, vt omnes, non dicam hiſtorias, ſed hiſtoriolas ſelectas, & lepidiores, item conſuetudines, mirabilia in rebus, & dicteria complectatur? Acceſſerunt autem noua quædam (ut ex Indice ſubiecto mox videbis) in quibus VIII. Dialogi noſtri, & variarum lectionum liber: quæ omnia tibi, ni fallor, non minus, quàm priora illa Syntagmata, vbi guſtaueris, complacebunt. Quare, ſi me audis, quoties conſuetis ſtudijs tuis (cuiuscunque tandem diſciplinæ ſectatores, nullam excipio) ad laſſitudinem te dediſti, ne arcus nimiùm tenſus rumpatur, his eum Bellariis remitte, ac refice, & has lectiunculas*

pro testudinis, & citharæ pulsu habeto: quæ quidem te non solum ex cogitabundo, ac toruùm tuente (ut studiis immersi, & absorpti esse consueuerunt) renidentem, verùm etiam doctum vnà, & prudentem efficient: vt mihi harum rerum tibi proxenetæ, ac parario triplicem gratiam debiturus videare. Vale, & secundam editionem Primæ partis emendatiorem utique, & probandam magis exspecta



INDEX SYNTAGMATVM.

SYN-

SYNTAGMA PRIMVM.

HISTORIÆ.

I. Fulgineum vrbs quomodo recepta:

VRbs eſt Italiæ in Vmbria, nomine Fulgineum, quæ ſub Eugenio IV. Pont. Max. ad Romanam Eccleſiam rediјt hoc modo. Ferunt eius regulum olim, virum ſanctum, ſpiritu prophetico præditum conſuluiſſe, an regno ſuo poſteritas aliquãdo priuanda eſſet; illumque reſpondiſſe, priuandam, cum boues circum mœnia ciuitatis volarent. Quod cum impoſſibile videretur, æternum ſibi, familiæque ſuæ imperium tyrannus promittebat. Verùm nepotibus regnum tenentibus Ioannes Vittellenſis Alexandrinus Patriarcha eò cum copijs profectus, vbi obſidere vrbem aggreſſus eſt, explicatis vexillis, in quibus inſigne, ſiue ſymbolum par boum, qui vento flante, & vexilla agitante volare quodammodo videbantur, magnum oppidanis metum incuſſit. Erat enim cunctis optimatibus notum vaticinium: nec multis poſt diebus ciuitas dedita eſt, quæ vſque in hanc diem Romanis Pontificibus paret: tyranni diſſipati ſunt. Ex lib. 2. Comment. Pij II. de rebus memorabilibus.

II. Occa-

II. *Oculorum continentia. Alex. M. Valent. Iun. Imp.*

OBtutus formosæ fæminæ animis infirmioribus iaculum est, rete est, ignis est, exitium est: quo ij videlicet consauciantur, inuoluuntur, aduruntur, & perire incipiunt. Quare qui hæc mala vitare cupit, eum vitare decet simulacra, & pabula amoris, iuxta Lucretium, quorum hoc primum est, visus inquam. Suadet idem Sapiens noster. *Ne aspicias virginem, ne forte scandaliZeris in decore eius, Ecclesiast. 9.* Non falso dixit de poetis Græcis quidam, hæc esse arma mulierum, formam puta egregiam, quibus pro clypeo, & hasta vtantur, ferrumque, & ignes deuincant. Laudandi igitur oculi pudici, & continentes, in ijs præsertim, quorum quo impunitior, eo plerumque solutior est in omni genere, in hoc autem potissimum peccandi libertas; vt sunt Principes, Reges, Imperatores. Commendatur Alex. M. qui ad filias Darij, quas captiuas tenebat, eximia pulchritudine virgines visendas inuitatus recusauit, quod diceret, se, qui viros vicisset nolle vinci à mulieribus. Præsagiebat quid sibi ex aspectu futurum esset. Vxorem Darij simul cum filiabus, & regis matre captam, semel tantum vidit, dum matrem visurus veniret, eximiæque formæ eius pulchritudinem non libidinis habuerat inuitamentum, sed gloriæ. Q. Curtius lib. 4. Commendat talem temperan-

perantiam quoque D. Ambrosius in concione funebri de Valentiniano iuniore, quem pater ex Iustina Ariana fæmina susceperat; cui frater Gratianus, ex Seuera eidem antea natus, imperio Italiæ, & Africæ cesserat.

Scenicæ cuiusdam forma, ac decore deperire Romæ adolescentes nobiles nuntiabatur. Iussit eam ad comitatum venire. Missus pretio deprauatus sine mandati effectu rediit. Alterum misit, ne voluisse emendare vitia adolescentum, & non potuisse videretur. Datus est obtrectandi aliquibus locus. Deductam tamen nunquam aut spectauit, aut vidit. Postea redire præcepit; vt & omnes agnoscerent irritum eius non esse mandatum: & adolescentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipse qui potuit habere in potestate, despexerat. Et hæc fecit cum adhuc non haberet vxorem, & tamen exhiberet sibi tanquam vinctus coniugio castitatem. Quis tam dominus serui, quàm ille corporis sui fuit? Quis tam aliorum arbitrer, quàm ille suæ censor ætatis?

III. *Amalasuentæ Reginæ Italiæ laus, & mors indignissima.*

THeodoricus Ostrogothus Italiæ rex prole mascula carens, filiam vnicam Amalasuentam vocabulo (malè quidam Amalasuntam) reliquit: quæ patre mortuo regni gubernationem suscepit. Hanc mulierem á multis rebus diuisa propemodum prædicatione extulit grauis, &

illustris auctor Cassiodorus, eidem Theodorico ab epistolis, lib. Variar. 10. ep. 4. ad Senatum vrbis Romæ. *In ipsa est*, inquit, *decus regnorum omnium: in ipsa nostræ originis flos bonorum. Quidquid fulgemus, ab eius claritate suscipimus: quando non solùm parentibus laudem contulit; sed ipsum quoque genus humanitatis ornauit. Quis possit sufficienter edicere, quanta pietate, quanto morum pondere decoretur? Discerent profectò noua philosophi si viderent; & minora libris suis faterentur condita, quam huic cognoscerent attributa. In tractatibus acuta: sed ad loquendum summa moderatione grauissima. Hinc est quod eius doctrina mirabilis per multiplices linguas magna vbertate diffunditur: cuius ingenium ita paratum reperitur ad subitum, ut non putetur esse terrenum. In libris Regum regina Austri venisse legitur ad discendam sapientiam Salomonis: hic Principes audiant, quod sub admiratione cognoscant. Paucis verbis sensus clauditur infinitus, & summa facilitate componitur, quod ab aliis nunc sub longa deliberatione formatur. Beata respub. quæ tantæ Dominæ gubernatione gloriatur. Hoc obsequio dignissime dominamur. Nam cum tantæ prudentiæ pareo, cunctis virtutibus obsecundo. Sub tali siquidem monitore regni pondere non grauamur: dum si quid sit nouitate incognitum, fiet nobis eius instructione certissimum. Quam aut interrogando melius sentimus: aut eius imitatione proficimus.*

Non facile aliam mulierem Principem tam eximiè

eximiè laudatam inuenias. Hæc orbata filio Athalarico, quem Euchario item Gotho, viro nobilissimo genuerat, & regni consortem, licet adhuc tenerum assumpserat, Teodahado item Gotho secundis nuptijs sese copulauit. Qui homo ingratissimus splendorem tantæ virtutis, & excellentiæ non ferens, & illius præstantiam suam dedecus interpretans, miseram in insulam lacus Vulsineusis eiecit, & tribus Gothis, quorum propinquos ipsa ob filium malè educatum, atque corruptum interfici iusserat, suo ipsorum arbitrio morte multandam tradidit. Quæ immanitas mœstitudine & Italos, & Gothos omnes affecit. De hac Procop. de bello Gothorum. Ioan. Mag. Gothicæ Histor. lib. 10. cap. 6. & 8.

IV. De Theophylacti, Patriarchæ Constantinopolit. Schismatici, & Caligulæ Aug. hippomania, seu profano, & insano equorum studio.

Filius hic fuit Romani senioris Imp. & eunuchus: qui cum sedecim natus annos contra sacrorum Canonum præscriptum Ecclesiæ gubernacula vsurpare cæpisset, nihil eorum quæ pessima sunt intentatum reliquit. Tanto certè equorum desiderio tenebatur, ut eorum ultra duo millia possideret. Iis alendis perpetuò erat intentus: neque fœnum ipsis proponebat: sed pomorum fructus, pistacia, palmulas, vuas passas, aliaque huiusmodi: quibus etiam vinum

fragrans

sapientissimum Consulem. *Age, age Lector, usque excrea Queso hercle usque ex penitus faucibus.*

Notandum,& sensibus imis (res est non parua) reponendum, quod de talibus, eorumque similibus, magis nomine quàm re ipsa Episcopis, vanissimis scilicet studijs, & actionibus occupatis aduersus Luciferianos scribés ait D. Hieronymus. *Vt sal omnem cibum condit: nec est aliquid tam suaue, quod absque eo gustum demulceat: ita mundi totius, & propria Ecclesia condimentum Episcopus est. Qui si infatuatus fuerit siue per negationem, siue per haresin, siue per libidinem, & (ut semel dicam) per uniuersa peccata, à quo alio poterit condiri, cum ipse fuerit omnium condimentum?*

V. Flauius Iosephus quàm honorificè, & liberaliter Roma ab Imperatoribus, & Imperatrice habitus.

IOsephus non modo vir sapiens, & eruditus, verum etiam in armis strenuus fuit, & in bello Iudaico multa fortitudinis, ac prudentiæ militaris exempla contra Romanos edidit: & ob id Vespasiano, ac Tito eius filio non modo vita, verum etiam beneficijs, & honoribus magnis dignus est visus. Omitto quæ in illum captum adhuc in Iudæa contulerunt. Narrabo ipsius verbis, quemadmodum postquam cum Tito Romam venit, tractatus fuerit. Vt verò in vrbem peruenimus, multis Vespasianus me dig-

natus eſt beneficijs. Nam donatum ciuitatis iure diuerſari iuſſit in ædibus, quas ipſe antequam Imperator fieret habitauerat, penſioneque honorauit annua, nihil de benignitate ſubtrahens donec viueret. Varijs appetitus inuidorum calumnijs, omnes euaſi Dei prouidentia. A Veſpaſiano præterea dono accepi in Iudæa latifundium, manſitque mihi perpetua Cæſarum beneuolentia. Nam defuncto Veſpaſiano Titus ſucceſſit, qui in eodem quo pater honore me ſemper habuit: nec ullis aduerſum me accuſationibus unquam credidit. Poſt hunc Domitianus maioribus etiam me cumulauit honoribus. Nam & accuſatores meos Iudæos capite punijt, & ſeruum Eunuchum, filij mei pædagogum me criminatum puniri mandauit: & quod eſt honorificentiſſimum, immunitatem prædiorum, quæ in Iudæa habeo, mihi conceſſit. Domitia porrò Cæſaris vxor, nunquam mihi benefacere deſtitit.

VI. Menecratis medici faſtus, & arrogantia non ferenda. Philippi Regis in eum techna. Neſtorii inflatio.

DEſcribit hanc fuſius Athenæus lib. 7. ex quo contractius Adrian. Iunius, adagio, Nihil ad medicorum arrogantiam. Ex eo nos ad verbum. Menecrates Syracuſanus Iouis cognomen ſtultè vſurpabat, velut qui ſua arte vitam mortalibus, exemplo Iouis, daret: quo nomi-

ne

ne gloriabundus veluti cœtum quendam consentientium deorum sibi asciscebat eos ipsos, quos comitiali morbo obnoxios sanitati restituerat, sacramenti lege obstrictos, iussosque famulantium more subsequi, hunc Herculis habitu, illum Mercurij chlamyde, caduceoq; instructum; rursus alium Apollinis, alium Æsculapij amictu: quũ interim ipse Iupiter præ omnibus emineret, purpureo paludamento, aureaq; corona conspicuus, manuq́ue sceptrum tenens, pedibus crepidatus. Neque stetit intra hosce fines vecordia hominis, sed in maius etiam erupit, quando ad Philippum Macedonum regem per litteras in hunc modum scripsit. *Menecrates Iupiter Philippo salutem. Tu quidem Macedoniæ rex es; ego verò Medicinæ. Tu sanos quum vis perdere potes: at ego ægrotos seruare in vita: & bona valetudine præditos, qui mihi obsecundauerint ad extremam usque senectutem incolumes, & integros tueri. Quapropter te Macedones armis stipãt, me verò victuri: siquidem illis Iupiter ego vitam largior.*

Huius insanæ belluæ proteruiá tribus verbis castigasse contentus fuit Philippus, hæc tantùm illi rescribens. Philipphus Menecrati ὑγιαίνειν, id est, sanitatem mentis. Eidem ad cœnam vocato cum assecla deorum suorum comitatu, medio in triclinio, loco editiore mensem adornari iusserat, magnifico, & sacrorum apparatu: extructa insuper media in mensa ara, in qua fru-

ctuum omnis generis primitiæ adolebantur: ita vt quum cæteris conuiuis fercula varia apponerentur, huic cum asseclis suis pueri thymiamata, libaminaque, qualia in sacris solent, adolerent. Qua ratione exceptus, cum nihil inferretur quod esuriem placaret, irrisus, ludibrioque omnium, sannisque traductus, è conuiuio cum suis proripuit se indignabundus. Ælian. lib. 12. cap. 51.

Non admodum dispar insolentia, & superbiloquentia fuit Nestorij Constantinopolit. Episcopi, qui in prima statim concione his verbis Imp. Theodos. iuniorem compellauit, & se deum quendam fecit. *Da mihi, ô Imp. terram ab hæreticis liberam & puram, & ego tibi cælum reddam. Tu mihi hæreticos extirpa, & ego tibi in Persis delendis adero.* Niceph. lib. 14. cap. 31.

VII. Adulatorum aliquot exempla.

Athenęus scriptor πολυμαθὴς, & lectionis infinitæ, libro VI. longa narratione ex antiquorum historiis qui, quorum regum, & quomodo adulatores fuerint ostendit. Ex qua narratione nos pauca, & saltuatim, delectandi lectoris decerpemus. Clisophus Philippi assentator, increpante rege quod semper aliquid peteret, obliuisci se dixit. Equum saucium, quem Philippus donauerat, cum vendidisset, eo interrogante vbi nam esset, ex vulnere, inquit, venijt: quasi dicere voluisset, perijt. Cum exoculato prodijt, eodem

dem oculo fasciis obligato: ac rursum cùm crus oblæsum regi, ac luxatum fuisset, ipse eodem crure claudicans in publicum exijt. Si quem cibum acrem ori Philippus admoueret, vultum Clisophus contrahebat, quasi eo quoque morderetur. Arcadion Achæus odio Philippi sponte solum verterat. Quem apud Delphos conspectum aduocans Macedo, quamdiu profugiturus es, inquit, ô Arcadion? Quoad, respondit ille, ad eos peruenero, quibus Philippus ignotus sit. Ad id responsum Philippus risit: Arcadionem deinde ad cœnam inuitauit, vnde inimicitiæ depositæ fuerunt. Cùm Alexander à musca se compunctum quereretur, ideoque muscas grauiter abigeret, ex adulatoribus Nicesias quidam tum præsens, alijs profectò muscis, inquit, hæ, quæ tuum sanguinē degustarunt præstantiores multo futuræ sunt, ac strenuiores. Chirosophus assentator Dionysij, cum procul ridentem Dionysium vnà cum familiaribus videret, & ea quæ dicebantur minimè audiuisset, interrogatus quamobrem risisset, respondit, vobis credebam, esse risu digna quæ dicta sunt. Plures etiam Dionysio eius filio assentatores fuere. Ii quia Dionysius minus oculis perspicax esset, inter cœnandum obtusè cernere se fingentes, apposita fercula tanquam visu non discernerent, temere contrectabant, quoad manum Dionysius ad patinas perduceret. Cum sputaret Dionysius, faciem sputo conspergendam obijciebant, saliuam,

uam, & quæ vomitu egesserat delingentes, eaque melle dulciora esse affirmantes. Qui cum Hierone cœnabant amici, ac familiares de industria à cibis quos appetebant aberrabant:vt cum manum illorum ad patinas Hiero,qui hebeti aspectu erat,perduxisset, acutius cernere quàm ipsi videretur. Athenis oratores qui rempub. administrabant, Chremonidio bello populo assentantes dixerunt pro concione, cum Græcis esse communia cætera: at viam qua in cælum itur, solos Athenienses nosse. Anaxander vnus ex assentatoribus Alexandri, cum rege iter faciens, vt stupendo fragore, inopinatoque intonuit, omnibus pauore consternatis dixit, Hoccine fecisti, Alexander Iouis fili? Epicrates Atheniensis apud regem Persarum cum legatum egisset, multisque muneribus ab eo cumulatus esset, absque vllo pudore tam apertè, & insolentèr regi est adulatus, vt dixerit, quotannis ad regem qui mittantur creandos esse populi suffragijs legatos nouem potius, quàm totidem summos in repub. gubernanda magistratus. Nicesias Alexandri assentator cum sumpto medicamento regem cruciari torminibus videret, quid ô rex nobis fiet, inquit, quando vos deos hæc tormenta premunt? Adde his ex 3. Diodori.

Apud Æthiopas rege claudicante eius amici claudicabant: eo moriente se interficiebant, cap. 1. Cic. in Lælio. *Assentatio quamuis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit,*

cipit, eaq; delectatur. Ita fit, vt is assentatoribus patefaciat aures suas maxime, qui ipse sibi assentatur, & se maximè ipse delectat.

VIII. Clarissimarum ciuitatum occasus.

SEruius Sulpitius Iureconsultus eloquentissimus, in illa elegantissima, & prædulci epistola, qua M. Tullium propter obitum filiæ Tulliæ mœstum, & afflictum suauissimè consolatur, & hunc casum æquo animo ferendum non leuibus argumentis demonstrat, vrbium quoque illustrissimarum meminit, quarum euersiones, & ruinæ nos mouere debeant, vt homines charos, quorum vitam natura fragilem, ac breuem fecit, mortis fato perire, nobisque eripi adeò dolendum non putemus. Verba annumerabo. *Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, cum ab Ægina Megaram versus nauigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Ægina: ante Megara, dextra Piræus: sinistra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata, & diruta ante oculos iacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare. Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrûm interiit, aut occisus est, quorum vita breuior esse debet, cum vno loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant. Vis ne tu te, Serui, cohibere, & meminisse hominem esse na-*

tum? Quod dicit de florentissimus quondam oppidis, & nunc cadaueribus, illustrari potest ex Arcadicis Pausaniæ, quo libro, octauo scilicet, multas & præclaras vrbes ad nihilum fortuna redactas his verbis indicat.

Megalopolis quidem ipsa magna alacritate, & conspiratione Arcadum, omnia sibi ad spem optimam de nouâ vrbe proponentium condita, veteribus iam omnibus ornamentis, ac pristinis opibus amissis, magna iam ex parte inter ruinas & rudera iacet. Quæ res nullam mihi omnino admirationem affert, cum sciam noui semper aliquid fata moliri, & arbitratu suo Fortunam æquè valida atque imbecilla, neq; minus orientia quàm occidentia impotenti quadam necessitatis vi vrgere ac ferre. Nam & Mycenæ, quæ vrbs Troicis temporibus Græciæ cunctæ imperabat, & regis Asyriorum Ninus funditus deletæ sunt. In Græcia verò Thebæ, quæ sibi olim Græciæ principatum vindicabant, ad arcem iam vnam, & non ita multos incolas redactæ, vetus nomen vixdum seruant. Iam verò quæ cunctas olim vrbes opum magnitudine antecellebant Ægyptiæ Thebæ, & Minyarum Orchomenos ne mediocres quidem nunc priuati hominis opes adæquant. Delos commune olim Græcorũ conciliabulum tantopere iam deserta est, vt præsidio templi amoto, quod Athenienses mittunt, hominibus, si Delios tantum numeres, prorsus orbata sit. Babylon Chaldææ omnium quas unquam

quam ſol aſpexit vrbium maxima, iam nihil præter muros reliqui habet: quod ipſum de Tirynthe Argolica vrbe euenit. Hæc inquam ad nihilum Fortuna redegit.

Quomodo vrbes, ſeu ciuitates more hominum mori ab auctoribus dicantur, & quibus modis earum mors contingat: quomodo item naſci cum conduntur, & renaſci cum reſtituuntur, eruditè docuit Petrus Faber Semeſtrium lib. 1. cap. 8. & 9. à pag. 39. Congruentia dictis Sulpitij Seneca ad Polybium cap. 20. Et rurſum epiſt. 71. Omnes quæ vſquam rerum potiuntur vrbes, quæque alienorum imperiorum magna ſunt decora, vbi fuerint aliquando quæretur. Enumerare omnes fatorum vias longum eſt: hoc vnum ſcio, omnia mortalium opera mortalitate damnata ſunt: inter peritura viuimus.

IX. *Cimonis Athenienſis liberalitas, & beneficentia prædicanda. Item Piſiſtrati benignitas.*

OMnium litteris, & linguis digna ſunt, quæ Cimon Miltiadis filius Athenienſis in hoc genere præſtitiſſe apud ſummos auctores Ariſtotelem, Plutarchum, Theophraſtum, Æmilium Probum legitur. Nos narrationem Athenæi ex lib. 12. hauſtam ex Theopompo in medium afferemus. In agris & hortis ſuis qui fructus cuſtodirent nullos eſſe permiſit: vt è ciuibus qui vellent ingreſſi fructus legerent: & ſi quid ege-

rent, quod in ſuis poſſeſſionibus proueniret, aſportarent vt collibuiſſet. Præterea domum ſuam omnibus ille communem exhibebat, parata ſemper frugali cœna, quę multis hominibus ſatis eſſet: vt tenuis fortunæ ciues, & inopes accedentes, & ingreſſi cœnarent. Illis etiam fauebat, qui quotidie ab eo quidquam poſcerent: & cum per ciuitatem ambularet, duo vel tres adoleſcentuli eum comitari ſolebant, cum minutis nummulis, quibus imperabat, ſi quis obuius egeret, ei ſtipem ut erogarent. (Probus. *vt ſi quis opis eius indigeret, haberet quod ſtatim daret: ne differendo videretur negare.*) Eum quoque tradunt mortuis ſepeliendis pecuniam contuliſſe: ac ſæpe cum ex ciuibus aliquem malè veſtitum aſpiceret, adoleſcentum cuipiam ex ijs, qui ſequebantur mandauiſſe, vt ſuam cum eo veſtem commutaret. (Probus. *Sæpe cum aliquem offenſum fortuna videret minus bene veſtitum, ſuum amiculum dedit. Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit, multos locupletauit.*) Piſiſtratum ſcribit idem Athenæus ſua item prædia, & hortos nullis cuſtodibus muniuiſſe, vt volenti cuiuis liceret illis frui, quod exemplum ſibi Cimon propoſuerit. Verùm magnitudine virtutis multis eum partibus ſuperauit.

Fructus liberalitatis eſt, vt ait M. Tull. 2. de finibus, beneuolentiam ſibi conciliare, & quod aptiſſimum eſt ad quietè viuendum, charitatē. Ne ſit tamen temeraria liberalitas, & benefi-

centia

centia. Videat etiam quibus det, & quibus potius, aut amplius det. Democritus cum cerneret quendam quibuslibet promptè ac inconſideratè largientem, Malè, inquit, ſit tibi, qui Gratias virgines effeciſti meretrices. Maxim. ſerm. 8. Sapienter Seneca, vt omnia, epiſt. CXX. *Sunt virtutibus vitia confinia, & perditis quoque ac turpibus recti ſimilitudo eſt. Sic mentitur prodigus liberalem: cum plurimum interſit, vtrum quis dare ſciat, an ſeruare neſciat. Multi ſunt qui non donant, ſed proijciunt. Non ego voco liberalem pecuniæ ſuæ iratum.*

X. De Rege Mithridate, eiusque libris de remediis morborum, parricidiis, & interitu. Martialis iocus.

MIthridates ille vndeuiginti regnorum Rex, poſt tot bello deuictas gentes, ſingulari ſtudio arcana morborum remedia conquiſiuit, deque ijſdem Commentarios, quos in theſauri ſui ſcrinio reconditos ſeruauit, doctè conſcripſit. Hos Pompeius victor regia prędą potitus in triumpho pop. Rom. oſtentauit, ac Leneo Pompeio liberto ſuo negotium dedit, vt hoſce de re medica Mithridatis libros latinitate donaret: quò populus Romanus ex tanti regis theſauro pharmaca haberet, quibus morbis ſuis mederetur. Ab eodem rege ſingulare antidoton contra venena, morboſque omnes contagioſos Mithridaticum, ad nominis eius immortalitatem

est à pharmacopœis appellatum. Hic idem Rex totidem linguis loquebatur, quot nationibus imperabat, de quarum numero variant Scriptores. Matrem, fratrem, tres filios, totidem filias interfecit. Hausto veneno mori non potuit, propter quotidianam pharmacorum consuetudinem, inquit Appianus, quibus se contra venena præmunire solebat, quæ nunc quoque vocantur Mithridatica. Cuius consuetudinis eum pœnituit. Quamobrem dux quidam Gallorum Bituitus rogatus eum occidit. Vide Plin. lib. 25. cap. 2. Gell. lib. 17. cap. 16. Per comparationem huius Mithridaticæ consuetudinis venena cum antidotis vsurpandi, ne quãdo venena sibi necis caussa administrata nocerent, facetè in Cinnam quendam, ob paupertatem nunquam saturum ludit Martialis lib. 5.

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.
Tu quoque cauisti cœnando tam malè semper
Ne posses vnquam, Cinna, perire fame.

XI. Pocula de craniis hominum.

BArbarum prorsus, & inhumanum factum, quod Scythæ etiam parentum, & amicorum perpolitis capitibus à morte, & inauratis dicuntur bibere soliti; vt minus mirum videatur, aduersus hostes eiusmodi immanitatem fuisse vsurpatam. Nam & Bulgarorum dux Crumus vi-

ctoria

ctoria elatus Nicephori caluariam argento induxit, eaque pro calice vtens, inde sociis propinauit. Zonaras Tom. III. Caput etiam L. Posthumij, postquam hic cum XXV. armatorum millibus occubuisset, & cum toto exercitu fuisset deletus, Boij ouantes templo intulerunt, ex calua, auro cælata sacrum poculum facientes templi Antistitibus, quo in sollemnibus libarent. Sed & Cures Piezenigorum princeps Suatislao Rhutenorum Principe ex insidijs interfecto, ex cranio eius poculum confecit, auro circumdato, cum hac inscriptione. QVÆRENDO ALIENA, PROPRIA AMISIT. Ex Liuij lib.23. Strabone lib.7. & alijs.

Fecit idem Alboinus Longobardorum Rex, sed infælici exitu. Historiam ex Sigonij lib.1. de regno Italiæ commemorabimus. Alboinus in matrimonio Rosimundam Chunimundi Gepidarum regis, quem quondam in prælio interfecerat, filiam habebat. Quodam die cum in conuiuio plus solito lætus liberiore illi genio propinaret, poculum, quod de cranio patris eius condiderat, porrigi iussit, atque ipsam, vt hilarites cum patre suo biberet, inuitauit. Cuius vocis fœditate icta mulier, subitò animũ iracundiæ impotem ad necẽ parentis, & mariti contumeliã vlciscendã conuertit, ac, re cum Helminge, & Peredeo familiarib⁹ regis cõmunicata, ambos muliebri astu, blanditijsq; in perniciẽ, exitiũq; regis armauit. Ita non multo post, vbi res à mulie-

re compositæ ad insidias, instructæque satis fuerunt, vir fortissimus, ac multarum gentium victor, incautus, ac somnum capiens, domestica vxoris fraude, atque intestina familiarium conspiratione extinctus est. Paulus Diacon. de gest. Longobard. lib. 2. cap. 28. Adde Plin. lib. 7. cap. 2. Priores anthropophagos, quos ad Septentrionem esse diximus, decem dierum itinere suprà Borysthenem amnem ossibus humanorum capitum bibere, cutibusq; cum capillo pro mantelibus ante pectora vti Isigonus Nicæensis prodidit. De Saracenis Guibertus hist. sacræ lib. 8. Exempto vertex à capite serra diuiditur, idemq; in modum poculi regi Damasceno, à quo hæc gerebantur, ad terrorem nostrorum, quasi exinde bibituro conficitur. Vide Isidorum Etymol. lib. 11. cap. 10.

XII. *Reges qui illustres Bibliothecas collegerunt. Typorum utilitas. Cosmus Magnus Dux Etruriæ.*

PLacidum, modestum, elegans ingenium Petri Victorij, & qui ex eruditissimis eius scriptis elucent suauissimos mores, Nestoreamque facundiam semper amaui, & in eo legendo frequens fui: cui rei lucubrationes meæ fidem faciunt. Suppeditabit igitur nobis etiam hoc tempore, quæ ad Bellaria nostra locupletanda, & ornanda pertinere videbuntur. In epistolis itaque suis, commemoratione amoris, beneuolen-

tiæ

tiæ aliorum in se, & sui in alios refertis, lib. 1. epist. 18. de rebus à me propositis ad verbum ita differit.

Laudati meritò ab omnibus semper fuerunt, qui copiosas Bibliothecas construxerunt, ac magnum numerum optimorum librorum sub vnum tectum contulerunt. Id autem priscis temporibus opulenti multi, fortunatique homines, ac summi reges studiosè fecere, vt Polycrates Samius, Pisistratus Atheniensis, Nicærates Cyprius, Eumenes atque Attalus, magnificentissimi Pergami reges, atque elegantissimi: quique reliquos omnes, & Aristotelis bibliotheca empta, & Athenis, Rhodoque infinita librorum vi Alexandriam comportata (quater centena millia, vt traditum est memoriæ, collegit, teste Constantino Manasse) in hoc studio superauit, Ptolemæus Philadelphus: necnon Romani Imperatores: ipsi enim quoque laudis huius, & gloriæ valde cupidi extiterunt: vt multitudo ingens bibliothecarum Romæ quondam fuisse perhibeatur.

Et tamen qui huic rei studuerunt, hominibus tantùm, qui illic viuerent, profuerunt; sed ne ijs quidem plenam, atque integram vtilitatem attulerunt. Neque enim commode semper possunt erudiri, suisque studijs aptè custoditos in illis libros tractare. Qui autem formis imprimendos fideliter curant, in toto quasi orbe terrarum bibliothecam struunt, ac multo magis

com

commoditatibus studiosorum seruiunt: paruo enim ære illos parare, diligenter emendatos, & vsibus ipsorum accommodatos queunt.

Neque tamen tu (Cosme Medices) ab hac quoque laude vacuus es: quamuis verioris, noua ratione parandæ viam inueneris. A Clemente namque VII. Pont. max. magnificè incœptam bibliothecam, inchoatam tamen, imperfectamque relictá absoluis, ac magnis sumptibus ædificas: nec ornamentis tantum ipsius, pompęq; indulges: verum etiam illam sedulò supples, accurata librorum conquisitione; congerisq; illuc omnes, qui ad te amatorem summum ipsorum, ab ijs, qui tibi gratificari cupiunt, deferuntur. Hactenus Victorius. Elogium, ni fallor, eiusdem Cosmi habes apud Ioulum in militaribus lib. 7. postremum.

Multos libros congerere, vix fuit priuati hominis, aut censûs, cum tarda, & impendiosa descriptio esset: donec vtilissima hæc Typographia rem in compendium misit. Ptolemæi autem Bibliothecæ præfuit Demetrius Phalereus, exul à suis Athenis, vir scriptis, & factis illustris, & quem rex benigne habitum ad hæc, & maiora ministeria admouit. Lipsius Syntag. de Bibliothecis cap. 1. & 2.

XIII. Ludouicus Galliæ rex à Saracenis captus, & redemptus. Eius in hostem iustitia.

Inte-

INtegerrimus, atque Christianissimus Galliarum Rex Ludouicus ictus desiderio ingenti Hierosolymæ, regionisq; totius, quam Dei filius hominem indutus olim pedibus obijsset, & cruore suo tinxisset de manibus impiorum recuperandæ, copias non contemnendas collegit, eoque profectus, ac primum in Aegyptum delatus, Damiatam (olim Pelusium) expugnauit. Post iniquo loco multitudine Saracenorum circumuentus, simul cum Carolo, & Alphonso fratribus captus est. Veruntamen cum Gallis Saraceni præter exspectationem satis humanè egerunt, maiestate regis illecti, & mitigati. Itaq; pax facta, hac conditione, vt Rex vrbe Damiata decederet: quinquies centena millia penderet. Et quia tantam pecuniam Galli bello attriti extemplo facere non poterant, Sultanus honoris gratia de tota sorte centum millia sponte resecuit. Aurum ei pro portione appensum est, de residuo obsides dati: demum persolutum, & ab Aegypto discessum est. Sed dum expeditius pondere quàm numero Saracenis pecuniæ darentur, & decem millia per iniuriam eorundem Galli retinerent, ideoque velut sollertes eo compendio exultarent, postquam id resciuit optimus, & æquissimus rex, qui non pluris faciebat mala lucra, quàm damnum ipsum, excanduit, iussitq; Philippum Montfortium curare, vt quamprimum integra summa ex fide bona hostibus refunderetur, ad tantam fidem, & iustitiam obstupes-

ſtupeſcentibus barbaris, & quotquot aderant. Itaque quantum regis ærario deceſſit hac impenſa, tantum iuſtiſſimæ viciſſim gloriæ acceſſit. Ioan. Sireus in Chronicis cap. 42. & 50. & ex eo Forcatul. de imperio Gallor. lib. 2.

XIV. Mirum de partu numeroſo, & de infantulo.

HIs temporibus quædam meretrix vno partu ſeptem puerulos enixa, belluis omnibus mater crudelior in piſcinam proiecit necandos. Hoc ſi cui impoſſibile videtur, relegat hiſtorias veterum, & inueniet non ſolum ſeptem infantulos, ſed etiam nouem unam mulierem ſimul peperiſſe. Et hoc certum eſt maximè apud Aegyptios fieri. Contigit itaque vt rex Aegelmundus dum iter carperet, ad eandem piſcinam deueniret. Qui cum equo retento miſerandos infantulos miraretur, haſtaq; quam manu gerebat huc illucq; eos inuerteret, vnus ex illis manu iniecta haſtam regiam comprehendit. Rex miſericordia motus, factumque altius admiratus, eum magnum futurum pronunciat: moxq; eum è piſcina leuari præcipit, atque nutrici traditum, omni ſtudio mandat alendum. Et quia eum de piſcina, quæ eorum lingua Lama dicitur, abſtulit, Lamiſio nomen impoſuit. Qui cum adoleuiſſet, adeo ſtrenuus iuuenis effectus eſt, vt bellicoſiſſimus extiterit, & poſt Aegelmundi funus regni gubernacula rexerit. Paul. Diacon.

Diacon. de gest. Longobard. lib. 1. cap.15. Aliam mulierem vno partu XXX. proles dedisse refert Tatianus aduersus Græcos. Plin. de prodigiosis partubus lib. 7. cap.3. Tergeminos (id est, 3.) nasci certum est, Horatiorum, Curatiorumque exemplo: supra, inter ostenta ducitur, prærerquam in Aegypto, vbi fœtifer potu Nilus. Annis proximis, supremis D. Aug, Fausta quædam è plebe Ostiæ duos mares, totidem fæminas enixa, famem quæ consecuta est portendit haud dubiè. Reperitur & in Peloponneso quinos quater enixa, maioremque partem ex omni eius vixisse partu. Et in Aegypto septenos vno vtero simul gigni auctor est Trogus. Vide & Gell. lib. 10. cap. 2.

XV. Regina, & Rex Persarum Constantinopoli Christiana sacra susceperunt.

CIrcà hæc tempora (Constantini, filij Heraclij) Regis Persarum coniux nomine Cæsara de Perside exiens cum paucis suis fidelibus priuato habitu, propter Christianæ fidei amorem Cōstantinopolim venit. Quæ ab Imp. honorificè suscepta, post aliquot dies, vt desiderabat, baptismum consecuta, & ab Augusta de sacro fonte leuata est. Quod vir eius Persarum rex audiens, legatos Constantinopolim ad Augustum direxit, quatenus sibi vxorem suam redderet. Imperator audiens, remque omnino ignorans, legatis respondit. De regina quam quæ-

C ritis,

ritis, fatemur nos nihil scire, præter quod ad nos huc aliqua mulier priuato habitu aduenit. Tum Legati. Si placet vestro conspectui, volumus hanc quam dicitis mulierem videre. Quæ cum iussu Imperatoris aduenisset, mox vt eam conspiciunt, ad eius vestigia prouoluuntur, eique venerabiliter, quod eam suus vir conquireret, suggerunt. Quibus illa respondit. Ite, renuntiate regi vestro & domino; quia nisi sicut ego iam credidi, ita & ipse in Christum crediderit, me iam vltra consortem thori habere non poterit. Quid multa? Reuersi Legati omnia regi renuntiant. Qui nihil moratus, cum LX. millibus Constantinopolim pacificè ad Imp. venit, à quo gratanter, & satis dignè susceptus est. Qui cum vniuersis in Christum dominum credens, pariter cũ omnibus sacri baptismatis vnda perfusus, & ab Augusto de fonte leuatus, Catholica fide confirmatus est: multisque muneribus ab Augusto honoratus, accepta sua coniuge lætus, & gaudens ad suam patriam repedauit. Paul. Diacon. de gest. Longobard. lib. 4. cap. 52. Huius tam insignis historiæ haud equidem scio, an vllus præterea meminerit. Diaconum fabulam narrare non crediderim.

XVI. *Cupido immortalitatis apud Sinas.*

INsaniæ quidam morbus viros primores, & in præcipuis magistratibus constitutos inuadere solet: magno siquidem studio, & ardenti desi-

deri●

derio à magistris stolidissimis discunt, quo pacto nunquam moriantur. Et postquam quas sperare poterant opes, ac dignitates sunt consecuti, hoc vnum sibi ad beatitudinem deesse arbitrantur; quam in rem proinde omnem conatum conferunt, suntque illis magistri tanto chariores, quãto ipsa immortalitas alijs rebus antecellere existimatur, & acrioribus igniculis excitat ambientes. Nec facile hoc morbo ægrotantes ad sanitatem reuocantur. Ac tametsi quotidie immortalitatis venditores mortalitatis debitum exsoluere videant, nihilo tamen magis mouentur vt insanire desinant: quod putent se fæliciori fortuna fortasse vsuros: & quod aljis nocuit, sibi forsitan profuturum, neutiquam credentes supra humanam naturam id esse. In Sinicis Annalibus legi regem ex antiquioribus vnum hac dementia laborasse, vt non sine mortalis vitæ detrimento istam immortalitatem quæreret, id quod illis sæpe contingit. Is quorundam impostorum arte iam sibi poculum parauerat, quo hausto sibi vitam sempiternam promittebat: nec ab intimo amico suo ab eo exhauriendo vllis rationibus, & consilijs deterreri poterat. Cum igitur rex fortè vultum auertisset, ille poculum clam arripuit, & impigrè exhausit. Excanduit extemplo rex, & iam stricto mucrone mortem illi intentabat, quod sibi immortalitatis poculum eripuisset. Cui amicus intrepidè. Quid? cum ego immortalitatis poculum ebibe-

rim,tu mihi vitam eripi posse arbitraris? Sanè, si eripi potest mihi, nullum crimen admisi, vt qui tibi non immortalitatem eripuerim, sed fraude & impostura te liberarim. Rex his auditis acquieuit,&amici prudentiam,qua ab errore reuocabatur collaudauit. Nicol.Trigautius noster de Christiana expedit. apud Sinas lib. I. cap. 9. Mandemus memoriæ quod legimus apud Senecam Natural.Quæst.lib.6.cap.2. Nullum est maius solatium mortis, quam ipsa mortalitas. Nullum autem omnium istorum, quæ extrinsecus nos terrent,quàm quod innumerabilia pericula in ipso sinu sunt.

XVII. Mulier ἀθυρόγλωσσος, seu incontinentis linguæ.

M. Catonem pœnitebat unquam secretum aliquod mulieri credidisse. Est enim leuis, inconstans, loquax, & arcani proditrix natura muliebris. Hoc periucundo quodam exemplo lib. de Garrulitate grauissimus iuxta, ac sapientissimus auctor Plutarchus confirmat, cuius hæc est oratio. Romæ compluribus diebus quiddam serium, & arcanum agitabatur in senatu, de quo cum variasset hominum suspicio, mulier quædam, alioqui proba quidem, & pudica, mulier tamen, cœpit maritum precibus, ac blanditijs sollicitare, vt arcanum impertiret taciturae, silentij fidem lacrymis, iureiurando,dirisque imprecationibus in caput suum polli-

pollicens. Addidit querimonias illas sollemnes, quod maritus uxori fidem non haberet. Ibi Romanus, quò mulierculæ stultitiam redargueret, simulat se victum uxoris precibus. Decreueram, inquit, tacere, sed vincor. Audi igitur, sed taciturà. Portentum horribile, quod à sacerdotibus nuntiatum est; coturnix auream galeam in capite gestans, lanceamque ferens, volare visa est; & hac de re consultat senatus, ambigentibus auguribus, vtrum boni quippiam, an mali monstrum hoc portendat. Tu verò caue ne cui dixeris. Hoc dicto ibat in forum. At mulier velut urgeret abortus, nacta ex ancillis unam, quæ prima occurrerat, cœpit ea præsente verberare pectus, vellere capillos, clamans obiter. Heu mi vir, heu patria, quid calamitatis imminet nobis? his rebus ancillam ultro prouocans, ut quid esset mali percunctaretur. Percunctatur illa: hæc narrat rem omnem, & addit clausulam solemnem garrulis omnibus: caue quisquam ex te sciat, sed sile. Mox ancilla dominæ similis unā de conseruis nacta, rem illi denarrat de coturnice. Illa vicissim amatori suo, qui forte aderat, communicat. Itaque breui fabula ab alijs ad alios transiliens deuenit in forum, tanta celeritate, ut præueniret eum qui cōmentus fuerat. Quum enim quidam notus illi factus esset obuius, modò ne, inquit, è domo venis in forum? Modò admodum. Nihil ne igitur audisti? Nihil. Sed est ne nouæ rei quippiam? Coturnix, inquit, cum

lancea, galeaque aurea volare visa est, atque hac de re senatus cogitur. Ille verò ridens, Euge, inquit, vxor mea, quam probè abs te curatum est, vt arcanum tibi creditum me præcurreret in forum? Mox igitur adit primores, & exposita fabula ciuitatem, ac senatum inani trepidatione liberat. Deinde domum reuersus expostulat cum vxore. Heus bona mulier, perdidisti me. Senatus enim resciuit arcanum hoc ex ædibus nostris prodisse in vulgus. Itaque cogor incontinentis linguæ tuæ dare pœnas, & abire in exilium. Illa verò conturbata primùm inficiari: mox, nonne hoc, inquit, cum trecentis audiuisti? Quos mihi trecentos narras inepta? Quũ tu me defatigasses precibus, & lacrymis ut indicarem arcanum, ex tempore commentus sum quidquid tibi credidi, videlicet quò periculum facerem quàm esses linguæ continentis. Prudenter ille quidem, qui citra grande periculum sumpsit experimentum vxoriæ fidei, non aliter quam qui noua vascula volentes explorare num quà perfluant, aquam infundunt, non vinum, aut oleum, ne magno constet experientia.

Plaut. Aulularia Eunomiam Megadori sororem inter alia sic loquentem fingit.

Quanquam haud falsa sum, nos odiosas haberi.
Nam multum loquaces omnes meritò habemur.
Nec mutam profectò repertam vllam esse
Hodie dicunt mulierem vllo in sæculo.

XVIII.

XVIII. *Diuinator ludus factus.*

HEnricus Angliæ rex, eius nominis VII. diuinatorem, seu vatem quendam Astrologicum deridere maluit, quam aut diris punire supplicijs, aut etiam è medio tollere. Ex astrorum igitur rationibus regem eo anno moriturũ ille prædixerat. Id vbi rex rescinit, hominem accersit, rem honorificis verbis dissimulans. Inter cætera sciscitatur, num ex astris certa prænuntiari possent. Aiebat. Num ipse eius artis peritus esset. Annuebat, sperans tanto pluris se apud regem fore. Dic ergo mihi, inquit rex, vbi tu futurus es his festis, quæ imminent, Domini natalitijs? Hærebat. Quùm urgente rege negaret se posse certum prædicere, itaque, subiecit rex, ego sum artis quàm tu peritior: nam scio te futurum in turri (sic enim vocant locum munitum Londino imminentem, in quo seruantur quos volunt esse in tuto) simulque innuit ut duceretur. Illic ubi satis refrixerat diuinandi calor, cum risu dimissus est. Eras. in Lingua.

XIX. *Detractor, & loquax prudenter correctus.*

REx Britanniæ quodam è proceribus in conuiuio multa garriente in Prælatum quendã prædiuitem, & commemorante quot genera ciborum, quot missus ad vnius mensam inferrentur,

rentur, finxit se mirari hominis ingluuiem. Detractor quò magis delectaret regem hac fabula, quam existimabat esse perfacetam, studio exaggerabat omnia, non parum etiam, vt fit, affingens veris. Iam vbi tempus esset interpellandi blateronem, rogabat rex, Prælatus ille num gigas esset, aut cyclops. Respondit, esse mediocri statura. Ventrem igitur, inquit rex, habet præuastum. Ait hac parte non multum præcellere cæteris. Quonam igitur, subijcit rex, recondit tantum ciborum? Mihi non fit verisimile quod narras. Hic rabula constrictus, non solus, inquit, hæc comedit, ô rex; habet conuiuas multos, & familiam numerosam. Phy, exclamat rex, quid igitur noui narras, si multos habet cibos qui multos alit? Alioqui quidquid abs te dictum est in Prælatum, possis & in me dicere. Hac arte rex castigauit inepti conuiuæ stultam loquacitatem. Eras. ibid.

X X. *Mors cuiusdam ventris.*

ANnis abhinc multis habitauit in quadam Germaniæ haud ignobili ciuitate vir nobilis, in magnis diuitijs, cui deus venter erat: crapulæ enim, & ebrietati vacabat noctes & dies. Quam profusionē, & luxuriam magno demum luere coactus est. Totis namq; artubus ad summam infirmitatem, & ægritudinem redactus, præcordijs etiam putiscentibus, medici operam serò licet, & frustra requisiuit, ac non ita multò

post

post Parca misero stamen abrupit. Cumq; corpus humaretur, affuit etiam quem adhibuerat medicus. Qui Interrogatus à pluribus, quid causæ fuisset, cur tam breui hinc emigrasset; An vos isthuc nescitis? inquit. Ingens fames, ac sitis eum occiderunt. Ad hoc responsum illi stupere, ac dicere contrà, viuenti quod ederet, ac biberet semper abundè suppeditasse. Quomodo ergo fame, ac siti interire potuerit? Sed ego, occurrit medicus, illum nunquam adeo esitantè, ac potitantem vidi, quin plus esuriret ac sitiret, magisque ac magis se ingurgitaret. Qua via mortecaptus est. Ex Germanico.

Bene M. Tull. pro M. Cælio. Vitium ventris, & gutturis non solum minuit ætatem hominibus, sed etiam aufert. Et Medicorum verbum est; Plures occidit gula quàm gladius. Quæ aduersus hoc vitium disputantur à Francisco Patricio de Repub. lib. 5. cap. 8. ne pigeat legere.

XXI. *Prætor paganus honore superbit.*

Exiguum pagum rustici X. incolebant, è quibus vnus aliorum nouem Schultesius, seu Schultetus, vt vulgò appellitant, seu Prætor creatus, fortè vicini oppiduli balneas adiuit, ubi rusticum, quicum adolescens equos in pascuis custodiuerat lauantem reperit. Is socio veteri nouum honorem cum fausta apprecatione est gratulatus. Cui Dominus Prætor humaniter

gratijs

gratijs actis, admirabundus super magistratu suo, quid censes, inquit, amice mi? Cum vnà equitium pasceremus, & in pratis simul versaremur, quis credidisset, aut diuinasset talem virum me euasurum, & ad tantam dignitatem ascensurum? Tametsi ob id spiritus non tollo: licetque mecum agere & colloqui liberè, ac familiariter, vt cũ quouis priuato agricola. Ex Germ.

Cupiditas honoris, & gloriæ etiam in infimorum, & agrestium animis inest, quando naturà omnes excellentiam appetimus, & qualicunq; etiam imperio gaudemus. Atque hæc est illa tunica, quam extremam nos exuere Plato dixit. Facilius quippe affectus cæteri deuincuntur. Τὴν κενοδοξίαν ὡς τελευταῖον χιτῶνα ἡ ψυχὴ πέφυκεν ἀποτίθεσθαι.

XXII. *Vinum aqua mistum.*

AD fallendum, pecuniamque malis artibus, & sycophantiis cumulandam quasi in fallaciarum, & stropharum gymnasio aliquo docti, inueniuntur multi cauponum. Qui inter cæteras fraudes, dum Saluatorem æmulari conantur, vt aquam in vinum conuertant, contrà vinum potius in aquam, quæstus faciendi egregij μεταμορφῶσι commutant; vt de mensura quoque adulterata nihil dicam. Ita se gerebat, de quo narrabimus vicanus caupo. Quodam tempore compotandi caussa ad eum conuenerunt homines non inurbani, & qui cum Cretensi Cretizare scirent,

rent. Petunt ab eo vt aquam, & vinum, vtrumque separatim apponat, vt suo quisque arbitratu diluat. Infit ille non sine stomacho. Cui vinum meum displicet, eo licet abstineat. Vinum est plane iustum, ac bonum, & Rhenense quidem. Bene tu, excipit vnus de sodalibus; Rhenense est, quia per Rhenum natans, multum ex eo bibit. Hic excandescere caupo, & eos pro mendacibus accusare. Egresso illo dolum compotores struunt: pisciculos duos tresue, secum fortasse allatos, aut è patina sumptos (fundulos vocant) in cantharum immittunt. Redit; vinum inde in vitrum defundit, vt solent diuersoribus facere hospites; pisciculos innatare cernit, & in hæc verba erumpit: Hercle, nunc quod res est ipsa res manifesta me confiteri cogit: vinum aqua permiscui: vnde enim pisciculi in vinum? Ita iuxta adagium, cum vulpibus vulpinatus est, & artem arte delusit. Ex German.

XXIII. *Pauperis amici testamentum mirificum.*

IN Toxaride dialogo Lucianus vnum Græcum, alterum Scytham de Amicitia, apud vtros magis colatur, exemplis ex vtraque parte quinis contendentes inducit. Ex Græcis primum hoc est. Eudamidas Corinthius Aretæo Corinthio, & Charixeno Sicyonio amicis vtebatur, & iis quidem opulentis, cum ipse pauperrimus esset. Hic vita decedens testamentum reliquit, in speciem

ciem derididiculum. Sic enim in eo scriptum erat. Lego Aretæo quidem matrem meam alendam, atque in senecta fouendam: Charixeno verò filiam meam elocandam cum dote, quanta ab illo dari maxima poterit. Erat autem illi mater anus, ac filiola iam matura nuptiis. Si quod autem interim acciderit alterutri, huius quoque partem, inquit, alter habeto. Huiusmodi lecto testamento; qui tenuitatem quidem Eudamidę nouerant: at amicitiam quæ illi cum his viris intercesserat, ignorabant, rem pro ludo iocoque ducebant. Nemo certe aderat, qui non cum risu discederet, quod eiusmodi hæreditatem Aretæus, & Charixenus essent accepturi, fælices videlicet: atque ita aiebant. Si quidem persoluent Eudamidæ, superstites etiam ipsi hæreditatem tradent mortuo. At hæredes quibus ista erant legata, vt audierunt, venerunt illico, agnoscentes, rataque facientes ea, quæ erant testamento mandata. Itaque Charixenus quinque duntaxat dies superstes, diem obiit. Aretæus autem optimus successor factus, tum illius, tum suo ipsius suscepto onere, & matrem aluit Eudamidæ, & filiam non ita pridem elocauit, ex quinque talentis quæ possidebat, duobus in propriæ filiæ dotem, duobus in amici filiam erogatis. Ac nuptias ambarum eodem die fieri voluit.

Qui amicum verissimum, & sincerissimum habet, magnum thesaurum magna seruandum cura est adeptus. Rem vtique possidet dulci fimam

mam, sanctissimamque, qua vna post virtutem solam nihil homini melius in hac vita seu natura, seu casus aliquis, seu labor, ac studium dedit. Dulces sunt parentes, dulces filii, dulces fratres, possunt tamen amarescere: nec ideo parentes, filii, fratres desinunt esse: at amicus solus (dum sit verus) dulcis, & charus esse non desinit. Petrarcha Dial. LII. De amico fideli.

XXIV. Factum amici quantauis praedicatione dignum.

NArrationi antegressę apud eundem scriptorem altera statim subiungitur, quae plus etiam varietatis, admirationis, delectationis habet. Exemplum autem amici qualem multis è millibus non inuenias. Commonstrabatur mihi in Italia patriae nomine Legatum agenti vir decorus, procerus, ac diues, vt apparebat (Zenothemis Charmoleus, Massilia oriundus.) Assidebat illi vxor in rheda iter facienti, cum alioqui deformis, tum dimidia, nempe dextra corporis parte manca, alteroq; capta oculo, teterrimum quoddam, & refugiendum terriculum. Deinde cum mirarer, si decorus ille cum esset, ac venustus, sustineret eiusmodi mulierem sibi adiunctam: is qui mihi eum commonstrabat caussam exponit, quare in id matrimoniũ incidisset: nouerat enim compertè omnia, nam ipse quoque Massiliensis erat. Menecrati, inquit, huius foedae patri amicus erat Zenothemis, viro diuiti ac honora-

honorato, ipse iisdem rebus par. Deinde aliquãto post facultatibus exutus est ex condemnatione Menecrates: quo tempore infamis, & ad capessendos magistratus inidoneus est iudicatus à sexcentumuiris, tanquam qui sententiam iniquam pronuntiasset. Grauiter itaque ferebat Menecrates: primum quod esset condemnatus: deinde quod è diuite pauper: postremò quod ex nobili repente factus esset infamis, & reiectitius. Ac præter cætera eum ipsa discruciabat filia iam nubilis, vtpote annos nata decem & octo, quam ne cum omni quidem patris substantia, quam ante condemnationem possederat, dignatus fuisset quisquam ingenuus, ac pauper facile accipere, quæ tam infelici esset forma. Quin & concidere dicebatur, idque circa lunam crescẽtem. Hæc vbi apud Zenothemin deplorarat, bono, inquit, animo esto Menecrates. Neque enim ipse egebis rebus necessariis, & filia tua dignum aliquem suo genere sponsum inueniet. Atque hæc elocutus, statim apprehensa illius dextera deduxit domum. Ibique opes, quæ illi multæ erant, partitus est cum illo: ac cœna parari iussa, conuiuio accepit amicos, & in his Menecratem, veluti iam è necessariis cuipiam persuasisset, vt puellam in matrimonium acciperet. Postquam autem conuiuium peregerant, libassentque diis, tum verò plenum illi calicem porrigens: accipe, inquit, Menecrates à genero symbolum affinitatis poculum: nam hodie du-

Acturus sum ego filiam tuam Cydimacham: dotem autem iam olim accepi, talenta quinque & viginti. Illo respondente, absit, ne feceris, ô Zenothemi; neue ipse vsque adeo insaniam, vt te neglectum, qui & iuuenis es, & formosus, conspiciam cum deformi puella, ac debilitata coniugatum. Hæc, inquam, illo loquente, hic sponsam adiunctam tollens in thalamum abduxit. Ex eo tempore cum ea viuit supra modum diligens, &, quemadmodum vides, circumferens. Ac non solum nō pudet matrimonii, verumetiam perinde atque glorians de eo, sic ostentat: propterea quod negligit corporis formam, ac fœditatem, adhæc opes, & famam: tantum amicitationem habet. Quanquam pro his iam illi gratiam retulit fortuna ad hunc modum. Puellus enim formosissimus ex illa deformissima susceptus est. Neque diu est, quod tollens hunc pater intulit in curiam, frondibus oleaginis coronatum, ac pullis amictum, quò plus miserationis auo conciliaret. At infans arridebat iudicibus, manibus complodebat. Itaque curia commota super illo, remisit mulctam Menecrati. Atque ille iam rei, famæque restitutus est, eiusmodi patrono vsus apud iudices.

XXV. Othonis M. & Othonis III. Impp. aduersus sontes justitia commemorabilis, & huius exitium.

Cum

CVm ad ordinandam Rempub. in Italiam veniret cum exercitu Otho, cui res tot fortiter gestæ Magni cognomentum peperere, quodam co eum fœmina conuenit quæ se per vim ab homine lasciuo virginitate spoliatam lamentabatur. Imp. se illius iniuriam pro sua ducere, & in pudicitiæ ereptorem, vbi rediret vindicaturum promittere. Quid si obliuiscare mei? subdit illa. Tum intendens digitum in propinquum sacellum, hoc, inquit sacellum promissi [illegible]monebit. Compositis igitur negotiis cum longo po tempore eodem rediret, in Germaniam reuersurus, ad conspectum ædiculæ mulieris recordatus, eam acciri, & accusationem iterare iussit. Quæ stupratori iam nupta, & ex eo aliquot liberorum mater facta, cum se illi ignouisse diceret, Imp. per barbam Othonis, vt solebat, iuramentum concipit, impudicum illum regia bipenni sua emendatum iri. Nec mora, conquisitum capite multauit. Crantzius in Metropoli.

Quam porrò diligeret iustitiam similiter auo nepos Otho III. rerum Italicarum auctores testantur. Ego historiam ex lib. 7. de Regno Italiæ Caroli Sigonii recitabo, vnde id liquidò cognoscatur. Eo in agro Mutinensi agente, res exempli memorabilis incidit. Maria Augusta Comitem Mutinensem in amorem pellicere sui conata, postquam libidini reluctari suæ vidit, ira furens, se ab illo de stupro tentatam apud Othonem

nem insimulauit. Eius rei admonitus Comes, totum, vt erat, coniugi suæ mulieri prudentissimæ patefecit; se citius millies moriturum, quàm tantum Imperatoris dedecus patefacturum. Proinde eam precibus omnibus obtestari, vt forti, atque imperterrito animo apud eum mortui innocentiam sui purgaret. Neque ita multo post Comes irati, & creduli Imp. iudicio condemnatus pœnas capite dedit. Conuentu inde populis ad Roncalias instituto, quo die ius viduis dicebatur, mulier processit, atque ex lege Imp. ipsum ad supplicium, quòd maritum suum iniustè necasset, postulauit. Qua voce audita, mirabundus Otho, At tu, quonam pacto viri tui quam iactas innocentiam comprobabis? Cui illa. Candenti lamina: atque mox inspectantibus omnibus ferrum ignitum iussu Othonis allatum sine vlla offensione prehendit. Ea re Otho confusus, se quidem pœna dignum esse dicere, verùm ad eam subeundam spatium postulare. Tum mulier tribus vadimonijs dilatis, Atqui, inquit, ego supplicio Reginæ contenta sum, cuius nefaria calumnia maritus est meus oppressus. Otho muliere collaudata, Reginam igne cremari iussit: mulierem verò propter dilata sibi vadimonia quatuor in Etruria castris donauit. Huius iudicij Godefredus est auctor. Crantzius quoque Saxoniæ lib. 4. cap. 26. Carolus Sigonius de regno Italiæ lib. 7. Hanc historiam profert Lipsius quoque lib. 2. Monit. & Exempl. Politi-

cor. cap. 9. eamque fabulæ similiorem iudicat, cum tamen ibidem à bonis auctoribus scriptam testetur, quo minus de eius veritate ambigendum fuit.

Cæterùm hic Imp. indignum vitæ exitum est consecutus. Nam vt Crescentem Consulem Romanum maiestatis damnatum suspendio effecit, illius vxor, quæ ipsum spe regnandi ad amorem sui pellexerat, discessu eius ex Italia dolens, venenatum chirotecarum simulatæ amicitiæ munus ad eum misit: quo ille sensim infectus, XII. Kalend. Februarias apud Paternum, ex vaticinio sancti viri (Romualdi) extinguitur. Ibid. Sigon. & alij.

XXVI. *De pugna Pharsalica.*

PVgnam hanc luculentissimè descripsit Dio clarissimi nominis historicus lib. 41. In ea Cæsar, & Pompeius ambitiosissimi mortales de summa imperij decertarunt. Verùm nos ex ea descriptione pauca duntaxat huic Syntagmati inferemus. Itaq; suos vterque milites multis verbis cohortatus est, omnibus quæ ad præsentis pugnæ sortem, ex eaque euentura attinebant, in medium adductis. Similis tamen vtriusque fuit oratio: etenim idem vterque propositum sibi habentes, ac de ijsdem rebus verba facientes, quod vterque aduersarium suum tyrannum, se vindicem libertatis nominabat, nullam diuersa disserendi materiam habebant. Ergo ex altera

parte

parte mortem, captiuitatem, omnium rerum amissionem: ex altera salutem, dominium, omnium rerum possessionem proponebant: denique extrema mala aut inferenda hostibus, aut ab alijs accipienda esse docebant. His dictis animos ciuium cohortati, subditis quoque, & socijs spe melioris, ac metu deterioris conditionis ostenso, inter se prælio homines gentiles inuicem, contubernales, eodem victu, ijsdemque fœderibus vsos commiserunt. Quorsum verò attinet sortem reliquorum deplorare, cum ipsi duces, ante summa inter se necessitudine deuincti, quique multa inter se arcana communicauerant, multas res communi consilio confecerant, affinitatem olim contraxerant, eundemq; infantem alter ut pater, alter vt auus dilexerant, tum pugnam nihilominus conseruerunt: atque id vinculum consanguinitatis, quo eos natura adstrinxerat, inexsatiabili dominandi cupiditate dissoluêre, diuulsêre, dirupêre? qua effectum est, vt Roma de seipsa, ac contra seipsam pugnare, ac vincendò vinci cogeretur. Postquam directæ sunt acies, non extemplò concursum est: sed quia eadem ex patria, ijsdem à penatibus profecti essent, armaturaque, & ordinibus similibus vterentur, initium pugnæ facere, mutuasque cædes edere verebantur. Erat vtrinque altum silentium, ingensque mœstitia: neq; aut progrediebatur quisquam, aut sese commouebat: sed exanimorum instar, oculis in terram de-

fixis constiterant. Ibi Cæsar, & Pompeius veriti ne, si diutius ea quies militum durasset, languidior eorum vis fieret, aut in gratiam copiæ inter se redirent, confestim classicum cani, clamoremque militarem tolli iusserunt. Tantum abfuit, vt militum animos hoc accenderet, vt cum tubas eundem vtrinque cantum sonare, suosque clamore, & lingua inter se conuenire audissent, eo magis se eiusdem gentis, generisque esse cognoscerent. Itaque lacrymæ, luctusque eos occupauere. Tandem ab auxiliarijs initio pugnæ facto, ipsi quoque congressi sunt. Qui eminus pugnabant, quia quos sagittis, iaculis, fundisque suis peterent ignorabant, minori malo conflictabantur: at legionarij milites, equitesque pugnam acerbissimam depugnauere; quia comminus concurrentes, ita ut exaudiri etiam voces mutuæ possent, hostes agnitos vulnerare, nominatimque compellatos trucidare, interque recordationem communis patriæ spolia legere opus habebant, &c. Eadem ferme tradita sunt memoriæ ab Appiano, lib. 2. bell. ciuil. vbi hoc amplius. Fertur illacrymasse vtrumque, puta Pompeium, & Cæsarem ante conflictum.

XXVII. *Trium seruorum in heros, & filij in patrem fides, & charitas.*

IN illa proscriptione ciuium, quam Triumuiri Octauius, M. Antonius, & M. Lepidus exercuerunt

cauerunt, herum suum quidam seruus in cauernam abstruserat, quem cum indicio alieno iam iam periturum animaduerteret, vestem cum eo suam permutauit, herilique cum habitu percussoribus occurrit, ac pro suo ipse hero occisus est: herus autem abeuntibus illis, quum se eum quē voluissent occidisse crederent, aliò effugit. Alius quidam similiter omni habitu suo cum domino suo permutato, ipse in lecticam opertam se coniecit, in eaque ab suo domino vectus est. In hos cum emissarij incidissent, seruus ne visus quidem ab ijs iugulatus est: dominus autem tanquam famulus aliquis esset, dimissus. Q. Ciceronem Marci fratrem filius occuluit: ac quantum in ipso fuit, seruauit. Nam & occultauit patrem ne inueniri is posset: & quum in quæstionem adductus, omnibus tormentis interrogaretur, nihil enunciauit. Sed pater re cognita miratus simul ac miseratus filiū, vltro in publicum prodijt, ac se occisoribus exhibuit. Dio li. 47. In cæde tot millium Thessalonicensium, à Theodosio M. imperata, etiam seruus quidam hero suo, quo benigno vsus fuerat, quum is ad mortem duceretur, opem ferens, seipsum ad necem alacri animo obtulit. Niceph. lib. 12. cap. 40.

XXVIII. *De diuite auaro.*

DE diuitibus, ijsdemque tenacibus, sordidis, & auaris haud ita verè quis autumauerit,

rit, eos multam habere pecuniam, cum inde ne corpori quidem suo, nedum alienis benefacere audeant: vt meritò dici contrarium possit, eos à multa pecunia haberi. Magis enim habentur, quàm habent, magisq; possidentur quàm possident. Pecunia illis deus est: huic sacrificant, hanc adorant. Noui quendam de isto genere, qui cum ex hæreditatibus ædes, villas, facultatesque multis millibus æstimatas acquisisset, essetque ære alieno plane liber, nihilominus, vt à fide dignis audiebam, domi suæ tam parcè ac duriter viuebat, vt nunquam ad satietatem comederet; veruntamen in mensa aliena dentes exercere, & ambabus malis expletis vorare egregiè nouerat. Idem equum sibi emerat, qui cum noctu ederet, sonum edentis ille, dum cubat in cubiculo exaudiens, quid sit hoc ab vxore quærit. Respondet, equum esse, qui pro natura noctu appetentius, & largius edere consueuerit. Sciscitatur num id omnes equi, & semper soleant. Illa, omnes, & semper. Tum vir, valeat equus. Nam si & noctu, vt interdiu, pasci vult, vnde mihi tanta pabuli copia? Vendam, etsi dimidio minoris, quàm stetit. Miserum, qui bonis suis vti nesciebat. Si equus hic excrementa equina esitare, & meram auenam excernere potuisset, ne magno quidem eum vendidisset. Ex Germanico.

Sacri scriptores, & externi, philosophi, oratores, poetæ, historici, omnes demum sapientes

auari-

auaritiam, vt aliud vitium nullum, deteſtantur. Auaro nihil ſceleſtius, dictum à Siracide. Paulo auaritia eſt idolorum ſeruitus. *Auarus*, inquit Auguſtin. *velut infernus omnia deuorans, vellet nullum hominem eſſe, vt omnia ſolus poſſideret.* Ac proinde Auarus niſi cum moritur, nihil rectè facit, vt ſcripſit Mimographus.

XXIX. *Clementia, & largitio Maximiliani I. Imp. in peculatorem.*

MAximilianus I. non ſolum de imperio laudabiliter adminiſtrato, verùm etiam de lenitate, & placabilitate aduerſus criminoſos meritò vſque hodie commendatur. Diu iam bellum cum Venetis gerebat, cùm pecunia ad exſoluenda militi ſtipendia egere cœpit. Quocirca vnde vnde conquirendam, & redigendam curabat. Summa erat confecta non mediocris: ſed ea in tantum exercitum non ſufficiebat. Cum itaque omne illud aurum in conclaui Cæſareo ſuper menſam fuiſſet effuſum, ſtabat fortè ad feneſtram Imp. cubito caput fulciens, & ſecum ſollicitè voluens, qua ratione ad retinendos militum animos commodè impenderetur. In eo conclaui præter vnum de interioribus aulicis, & conſiliariis nemo præſens aderat. Hic, cum putaret ſomno victum Imp. & tanta copia nummûm aureorum ſuo fulgore oculos ei feriret, ſuſpenſo in digitos gradu ſenſim accedit; manum implet, & in crumenam immittit. Ani-

maduertit, & dissimulat negotium Imp. pauloque post ad hominem conuersus. Quid videtur? inquit, Ecquid liberet tibi de isto aceruo pugillum tollere? Quid peculator? Decorum seruat: modestè recusat; genua inflectit; gratias ingentes agit. Cui Imp. Si id bona venia mea fieri possit, cur tu id nolis? Agedum accede, & manu bene plena recede. Dum id facit Consiliarius, & ad crumenam tendit, Imp. apprehenso eius brachio, depone, ait, istos aureos super mensa, & expone item quos antea in crumenam coniecisti, iuxtaque colloca, vt admiremur, cum eos numerantes viderimus, si vno captu tantum, quantum altero sustuleris, & artem æqualiter capiendi bene noueris. Quis dubitet, hunc in scelere ab Imp. deprehensum fuisse vehementer consternatum? Prouoluit se mox ad pedes eius: per deum, & maiestatis illius clementiam delicti remissionem, & salutem obsecrat. Posthabendam illo tempore iustitiam ratus Imp. supplicem solatur, surgere, & quod ceperat retinere sibi, ac de cætero nihil tale committere iubet.

Hanc historiam, vt sequentes de duobus regibus latinè conscriptas ferri nihil ambigo, & ex ipsis fontibus eas adducere maluissem vtique. Sed quoniam libri ipsi latini non suppetunt, ex Germanico vertere, quàm lectorem tam iucundis narrationibus fraudare præoptaui. Profert de peculatore isto eandem historiam Philipp. Camerarius in Operis succisiuis, cap. 65, sed mul-

to aliter. Noſtra narratio mihi videtur fidei propior. Facilius enim fuit de menſa aureis nummis plena, quam de poculo manum, auerſo Imperatore implere.

XXX. *Perſimile factum Alphonſi Regis in furem annulorum.*

REx Aragoniæ Alphonſus aliquando accubiturus, prius, vti mos eſt, aquam manibus accipere voluit. Annulos ſuos pretioſos, ne madefierent, digitis abſtrahit; ſeruandos ex circumſtantibus proximo, vt ſolebat, daturus. Tum fortè inter colloquendum vni procerum ſuorum tradidit. Qui ratus regem nihil penſi habuiſſe cui cuſtodiendos annulos commiſiſſet: aut fortaſſis etiam ob multas, & graues curas, qualibus magni Principes ſemper exercentur, facile oblitum cui eos commiſerit: quandoquidem abſterſis manibus non repopoſcerit (in qua opinione illum confirmauit, ſecurumque reddidit, quod iam aliquot dies, immò hebdomades, immò menſes effluxerant: nec interea vel ipſe rex, vel quiſpiam alius mentionem vllam horum annulorum fecerat) de credito reſtituendo nihil laborauit. Ad finem annus procedebat, & Rege iterum diſcubituro, annulosque depoſituro, ac manus abluturo, propius acceſſit is, qui pridem, eoſdem ab illo ſuſcepturus. Obſeruauit Rex minimè ſincerum viri obſequium, & ei hæc verba inſuſurrauit. Contentus eſto

annulis prioribus : nimium concupiscis : isti valebunt pro aliis. Ex Germanico.

Hunc quoque vti superiorem occasio fecit furem. Dignus vterque qui in cruce pasceret coruos, ni magnanimi Principes, & auri contemptores dum parcunt humanitatis & clementiæ, quàm dum puniunt iustitiæ laudem maluissent.

XXXI. *Ludouicus XI. Rex Francorum, & eius pediculus.*

CONuentum coëgerat frequentem rex Ludouicus ex Principibus, & primoribus totius regni sui, ipséque ornatu splendidus, ac regio visendus astabat. Ecce autem in veste eius holoserica, supra humeros pediculus grandis, ac præpinguis conspicitur. Quem cum demere nemo pro reuerentia maiestatis auderet, vnus aliquis de infimis aulicis propius se admouet, sperans posse sic auferre, vt lateret. Sensit rex propinquum: caussam percunctatur cur ad se tam propè accesserit. Ille pauitans, & tremens, prædamque adhuc primoribus digitis conclusam tenens, factum confitetur; veniam audaciæ suæ, & impunitatem precatur. Hîc rex, cur se hanc rem celatum voluerit? Quia veritus sum, inquit, palam, ac non dissimulanter id facere, atque offendere, cum pediculos habere mendicorum sit. Iterum rex, cur velis occultare veritatem? Nunquid non coram deo omnes mendici sumus? An non quotidie quibus indigemus quis-

quisque pro statu, & conditione sua à deo petere, & mendicare cogimur? Statimque huic viro, postquam abiectionem, & inopiam eius intellexit, CCC. coronatos numerari mandauit. Ex Germanico.

Bene locauit operam. Wer wolt vmb diß gelt nit lausen. Hæc historia si minus vera, at verisimiliter conficta est, iuxta præceptum Horatianum, *Ficta voluptatis caussa sint proxima veris.*

XXXII. *De quodam plano, seu impostore.*

PEruagabatur regionem quandam Germaniæ homo sanus, ac robustus, cæterum laboris fugitans, & otii ac desidiæ inprimis amans. Hic quò minore negotio alios ad libenter, & liberaliter sibi largiendum permoueret, sinistrum brachium sordidis, ac sanie imbutis panniculis sibi obligauerat. Narrabat se nescio quod sectatum opificium, in itinere à viarum insessoribus vestitu, & rebus omnibus despoliatum, in brachio insuper atrocissimè vulneratum. Quare se compulsum bonorum hominum implorare misericordiam, quorum beneficentia mercedem soluere vulnerario posset. Alibi porrò alias brachij obuoluti caussas comminiscebatur. De variantibus huiusmodi responsis, & de furtis eius, quæ in ædibus aliquot custode vacantibus illum admisisse suspicio erat, ad Præfectum eius no-

men

honorato, ipse iisdem rebus par. Deinde aliquāto post facultatibus exutus est ex condemnatione Menecrates: quo tempore infamis, & ad capessendos magistratus inidoneus est iudicatus à sexcentumuiris, tanquam qui sententiam iniquam pronuntiasset. Grauiter itaque ferebat Menecrates: primum quod esset condemnatus: deinde quod è diuite pauper: postremò quod ex nobili repente factus esset infamis, & reiectitius. Ac præter cætera eum ipsa discruciabat filia iam nubilis, vtpote annos nata decem & octo, quam ne cum omni quidem patris substantia, quam ante condemnationem possederat, dignatus fuisset quisquam ingenuus, ac pauper facile accipere, quæ tam infelici esset forma. Quin & concidere dicebatur, idque circa lunam crescētem. Hæc vbi apud Zenothemin deplorarat, bono, inquit, animo esto Menecrates. Neque enim ipse egebis rebus necessariis, & filia tua dignum aliquem suo genere sponsum inueniet. Atque hæc elocutus, statim apprehensa illius dextera deduxit domum. Ibique opes, quæ illi multæ erant, partitus est cum illo: ac cœna parari iussa, conuiuio accepit amicos, & in his Menecratem, veluti iam è necessariis cuipiam persuasisset, vt puellam in matrimonium acciperet. Postquam autem conuiuium peregerant, libassentque diis, tum vero plenum illi calicem porrigens: accipe, inquit, Menecrates à genero symbolum affinitatis poculum: nam hodie du-

cturus sum ego filiam tuam Cydimacham: dotem autem iam olim accepi, talenta quinque & viginti. Illo respondente, absit, ne feceris, ô Zenothemi; neue ipse vsque adeo insaniam, vt te neglectum, qui & iuuenis es, & formosus, conspiciam cum deformi puella, ac debilitata coniugatum. Hæc, inquam, illo loquente, hic sponsam adiunctam tollens in thalamum abduxit. Ex eo tempore cum ea viuit supra modum diligens, &, quemadmodum vides, circumferens. Ac non solum nō pudet matrimonii, verumetiam perinde atque glorians de eo, sic ostentat: propterea quod negligit corporis formam, ac fœditatem, adhæc opes, & famam: tantum amici rationem habet. Quanquam pro his iam illi gratiam retulit fortuna ad hunc modum. Puellus enim formosissimus ex illa deformissima susceptus est. Neque diu est, quod tollens hunc pater intulit in curiam, frondibus oleaginis coronatum, ac pullis amictum, quò plus miserationis auo conciliaret. At infans arridebat iudicibus, manibus complodebat. Itaque curia commota super illo, remisit mulctam Menecrati. Atque ille iam rei, famæque restitutus est, eiusmodi patrono vsus apud iudices.

XXV. Othonis M. & Othonis III. Impp. aduersus sontes justitia commemorabilis, & huius exitium.

Cum

CVm ad ordinandam Rempub. in Italiam veniret cum exercitu Otho, cui res tot fortiter gestæ Magni cognomentum peperere, quodam co eum fæmina conuenit quæ se per vim ab homine lasciuo virginitate spoliatam lamentabatur. Imp. se illius iniuriam pro sua ducere, & in pudicitiæ ereptorem, vbi rediret vindicaturum promittere. Quid si obliuiscare mei? subdit illa. Tum intendens digitum in propinquum sacellum, hoc, inquit sacellum promissi [illegible]monebit. Compositis igitur negotiis cum longo po tempore eodem rediret, in Germaniam reuersurus, ad conspectum ædiculæ mulieris recordatus, eam acciri, & accusationem iterare iussit. Quæ stupratori iam nupta, & ex eo aliquot liberorum mater facta, cum se illi ignouisse diceret, Imp. per barbam Othonis, vt solebat, iuramentum concipit, impudicum illum regia bipenni sua emendatum iri. Nec mora, conquisitum capite multauit. Crantzius in Metropoli.

Quam porrò diligeret iustitiam similiter auo nepos Otho III. rerum Italicarum auctores testantur. Ego historiam ex lib. 7. de Regno Italiæ Caroli Sigonii recitabo, vnde id liquidò cognoscatur. Eo in agro Mutinensi agente, res exempli memorabilis incidit. Maria Augusta Comitem Mutinensem in amorem pellicere sui conata, postquam libidin reluctari suæ vidit, ira furens, se ab illo de stupro tentatam apud Othonem

nem insimulauit. Eius rei admonitus Comes, totum, vt erat, coniugi suæ mulieri prudentissimæ patefecit; se citius millies moriturum, quàm tantum Imperatoris dedecus patefacturum. Proinde eam precibus omnibus obtestari, vt forti, atque imperterrito animo apud eum mortui innocentiam sui purgaret. Neque ita multo post Comes irati, & creduli Imp. iudicio condemnatus pœnas capite dedit. Conuentu inde populis ad Roncalias instituto, quo die ius viduis dicebatur, mulier processit, atque ex lege Imp. ipsum ad supplicium, quòd maritum suum iniustè necasset, postulauit. Qua voce audita, mirabundus Otho, At tu, quonam pacto viri tui quam iactas innocentiam comprobabis? Cui illa, Candenti lamina: atque mox inspectantibus omnibus ferrum ignitum iussu Othonis allatum sine vlla offensione prehendit. Ea re Otho confusus, se quidem pœna dignum esse dicere, verùm ad eam subeundam spatium postulare. Tum mulier tribus vadimonijs dilatis, Atqui, inquit, ego supplicio Reginæ contenta sum, cuius nefaria calumnia maritus est meus oppressus. Otho muliere collaudata, Reginam igne cremari iussit: mulierem verò propter dilata sibi vadimonia quatuor in Etruria castris donauit. Huius iudicij Godefredus est auctor. Crantzius quoque Saxoniæ lib. 4. cap. 26. Carolus Sigonius de regno Italiæ lib. 7. Hanc historiam profert Lipsius quoque lib. 2. Monit. & Exempl. Politi-

cor. cap. 9. eamque fabulæ similiorem iudicat, cum tamen ibidem à bonis auctoribus scriptam testetur, quo minus de eius veritate ambigendum fuit.

Cæterùm hic Imp. indignum vitæ exitum est consecutus. Nam vt Crescentem Consulem Romanum maiestatis damnatum suspendio affecit, illius vxor, quæ ipsum spe regnandi ad amorem sui pellexerat, discessu eius ex Italia dolens, venenatum chirotecarum simulatæ amicitiæ munus ad eum misit: quo ille sensim infectus, XII. Kalend. Februarias apud Paternum, ex vaticinio sancti viri (Romualdi) extinguitur. Ibid. Sigon. & alij.

XXVI. *De pugna Pharsalica.*

PVgnam hanc luculentissimè descripsit Dio clarissimi nominis historicus lib. 41. In ea Cæsar, & Pompeius ambitiosissimi mortales de summa imperij decertarunt. Verùm nos ex ea descriptione pauca duntaxat huic Syntagmati inferemus. Itaq; suos vterque milites multis verbis cohortatus est, omnibus quæ ad præsentis pugnæ sortem, ex eaque euentura attinebant, in medium adductis. Similis tamen vtriusque fuit oratio: etenim idem vterque propositum sibi habentes, ac de ijsdem rebus verba facientes, quod vterque aduersarium suum tyrannum, se vindicem libertatis nominabat, nullam diuersa differendi materiam habebant. Ergo ex altera

parte

parte mortem, captiuitatem, omnium rerum amissionem: ex altera salutem, dominium, omnium rerum possessionem proponebant: denique extrema mala aut inferenda hostibus, aut ab alijs accipienda esse docebant. His dictis animos ciuium cohortati, subditis quoque, & socijs spe melioris, ac metu deterioris conditionis ostenso, inter se prælio homines gentiles inuicem, contubernales, eodem victu, ijsdemque fœderibus vsos commiserunt. Quorsum verò attinet sortem reliquorum deplorare, cum ipsi duces, ante summa inter se necessitudine deuincti, quique multa inter se arcana communicauerant, multas res communi consilio confecerant, affinitatem olim contraxerant, eundemq; infantem alter ut pater, alter vt auus dilexerant, tum pugnam nihilominus conseruerunt: atque id vinculum consanguinitatis, quo eos natura adstrinxerat, inexsatiabili dominandi cupiditate dissoluêre, diuulsêre, dirupêre? qua effectum est, vt Roma de seipsa, ac contra seipsam pugnare, ac vincendò vinci cogeretur. Postquam directæ sunt acies, non extemplò concursum est: sed quia eadem ex patria, ijsdem à penatibus profecti essent, armaturaque, & ordinibus similibus vterentur, initium pugnæ facere, mutuasque cædes edere verebantur. Erat vtrinque altum silentium, ingensque mœstitia: neq; aut progrediebatur quisquam, aut sese commouebat: sed exanimorum instar, oculis in terram de-

 fixis

fixis constiterant. Ibi Cæsar, & Pompeius veriti ne, si diutius ea quies militum durasset, languidior eorum vis fieret, aut in gratiam copiæ inter se redirent, confestim classicum cani, clamoremque militarem tolli iusserunt. Tantum abfuit, vt militum animos hoc accenderet, vt cum tubas eundem vtrinque cantum sonare, suosque clamore, & lingua inter se conuenire audissent, eo magis se eiusdem gentis, generisque esse cognoscerent. Itaque lacrymæ, luctusque eos occupauere. Tandem ab auxiliarijs initio pugnæ facto, ipsi quoque congressi sunt. Qui eminus pugnabant, quia quos sagittis, iaculis, fundisque suis peterent ignorabant, minori malo conflictabantur: at legionarij milites, equitesque pugnam acerbissimam depugnauere: quia comminus concurrentes, ita ut exaudiri etiam voces mutuæ possent, hostes agnitos vulnerare, nominatimque compellatos trucidare, interque recordationem communis patriæ spolia legere opus habebant, &c. Eadem ferme tradita sunt memoriæ ab Appiano, lib. 2. bell. ciuil. vbi hoc amplius. Fertur illacrymasse vtrumque, puta Pompeium, & Cæsarem ante conflictum.

XXVII. *Trium seruorum in heros, & filij in patrem fides, & charitas.*

IN illa proscriptione ciuium, quam Triumuiri Octauius, M. Antonius, & M. Lepidus exer-

cuerunt

euerunt, herum suum quidam seruus in cauernam abstruserat, quem cum indicio alieno iam iam periturum animaduerteret, vestem cum eo suam permutauit, herilique cum habitu percussoribus occurrit, ac pro suo ipse hero occisus est: herus autem abeuntibus illis, quum se eum quē voluissent occidisse crederent, aliò effugit. Alius quidam similiter omni habitu suo cum domino suo permutato, ipse in lecticam opertam se coniecit, in eaque ab suo domino vectus est. In hos cum emissarij incidissent, seruus ne visus quidem ab ijs iugulatus est: dominus autem tanquam famulus aliquis esset, dimissus. Q. Ciceronem Marci fratrem filius occuluit: ac quantum in ipso fuit, seruauit. Nam & occultauit patrem ne inueniri is posset: & quum in quæstionem adductus, omnibus tormentis interrogaretur, nihil enunciauit. Sed pater re cognita miratus simul ac miseratus filiū, vltro in publicum prodijt, ac se occisoribus exhibuit. Dio li. 47. In cæde tot millium Thessalonicensium, à Theodosio M. imperata, etiam seruus quidam hero suo, quo benigno vsus fuerat, quum is ad mortem duceretur, opem ferens, seipsum ad necem alacri animo obtulit. Niceph. lib. 12. cap. 40.

XXVIII. *De diuite auaro.*

DE diuitibus, ijsdemque tenacibus, sordidis, & auaris haud ita verè quis autumauerit,

rit, eos multam habere pecuniam, cum inde ne corpori quidem suo, nedum alienis benefacere audeant: vt meritò dici contrarium possit, eos à multa pecunia haberi. Magis enim habentur, quàm habent, magisq; possidentur quàm possident. Pecunia illis deus est: huic sacrificant, hanc adorant. Noui quendam de isto genere, qui cum ex hæreditatibus ædes, villas, facultatesque multis millibus æstimatas acquisisset, essetque ære alieno plane liber, nihilominus, vt à fide dignis audiebam, domi suæ tam parcè ac duriter viuebat, vt nunquam ad satietatem comederet; veruntamen in mensa aliena dentes exercere, & ambabus malis expletis vorare egregiè nouerat. Idem equum sibi emerat, qui cum noctu ederet, sonum edentis ille, dum cubat in cubiculo exaudiens, quid sit hoc ab vxore quærit. Respondet, equum esse, qui pro natura noctu appetentius, & largius edere consueuerit. Sciscitatur num id omnes equi, & semper soleant. Illa, omnes, & semper. Tum vir, valeat equus. Nam si & noctu, vt interdiu, pasci vult, vnde mihi tanta pabuli copia? Vendam, etsi dimidio minoris, quàm stetit. Miserum, qui bonis suis vti nesciebat. Si equus hic excrementa equina esitare, & meram auenam excernere potuisset, ne magno quidem eum vendidisset. Ex Germanico.

Sacri scriptores, & externi, philosophi, oratores, poetæ, historici, omnes demum sapientes

auari-

auaritiam, vt aliud vitium nullum, detestantur. Auaro nihil scelestius, dictum à Siracide. Paulo auaritia est idolorum seruitus. *Auarus*, inquit Augustin. *velut infernus omnia deuorans, vellet nullum hominem esse, vt omnia solus possideret.* Ac proinde Auarus nisi cum moritur, nihil rectè facit, vt scripsit Mimographus.

XXIX. *Clementia, & largitio Maximiliani I. Imp. in peculatorem.*

MAximilianus I. non solum de imperio laudabiliter administrato, verùm etiam de lenitate, & placabilitate aduersus criminosos meritò vsque hodie commendatur. Diu iam bellum cum Venetis gerebat, cùm pecunia ad exsoluenda militi stipendia egere cœpit. Quocirca vnde vnde conquirendam, & redigendam curabat. Summa erat confecta non mediocris; sed ea in tantum exercitum non sufficiebat. Cum itaque omne illud aurum in conclaui Cæsareo super mensam fuisset effusum; stabat fortè ad fenestram Imp. cubito caput fulciens, & secum sollicitè voluens, qua ratione ad retinendos militum animos commodè impenderetur. In eo conclaui præter vnum de interioribus aulicis, & consiliariis nemo præsens aderat. Hic, cum putaret somno victum Imp. & tanta copia nummûm aureorum suo fulgore oculos ei feriret; suspenso in digitos gradu sensim accedit; manum implet, & in crumenam immittit. Ani-

maduertit, & dissimulat negotium Imp. pauloque post ad hominem conuersus. Quid videtur? inquit, Ecquid liberet tibi de isto aceruo pugillum tollere? Quid peculator? Decorum seruat: modestè recusat; genua inflectit; gratias ingentes agit. Cui Imp. Si id bona venia mea fieri possit, cur tu id nolis? Agedum accede, & manu bene plena recede. Dum id facit Consiliarius, & ad crumenam tendit, Imp. apprehenso eius brachio, depone, ait, istos aureos super mensa, & expone item quos antea in crumenam coniecisti, iuxtaque colloca, vt admiremur, cum eos numerantes viderimus, si vno captu tantum, quantum altero sustuleris, & artem æqualiter capiendi bene noueris. Quis dubitet, hunc in scelere ab Imp. deprehensum fuisse vehementer consternatum? Prouoluit se mox ad pedes eius: per deum, & maiestatis illius clementiam delicti remissionem, & salutem obsecrat. Posthabendam illo tempore iustitiam ratus Imp. supplicem solatur, surgere, & quod ceperat retinere sibi, ac de cætero nihil tale committere iubet.

Hanc historiam, vt sequentes de duobus regibus latinè conscriptas ferri nihil ambigo, & ex ipsis fontibus eas adducere maluissem vtique. Sed quoniam libri ipsi latini non suppetunt, ex Germanico vertere, quàm lectorem tam iucundis narrationibus fraudare præoptaui. Profert de peculatore isto eandem historiam Philipp. Camerarius in Operis succisiuis, cap. 65, sed multo

-to aliter. Nostra narratio mihi videtur fidei propior. Facilius enim fuit de mensa aureis nummis plena, quam de poculo manum, auerso Imperatore implere.

XXX. *Persimile factum Alphonsi Regis in furem annulorum.*

Rex Aragoniæ Alphonsus aliquando accubiturus, prius, vti mos est, aquam manibus accipere voluit. Annulos suos pretiosos, ne madefierent, digitis abstrahit; seruandos ex circumstantibus proximo, vt solebat, daturus. Tum forte inter colloquendum vni procerum suorum tradidit. Qui ratus regem nihil pensi habuisse cui custodiendos annulos commisisset: aut fortassis etiam ob multas, & graues curas, qualibus magni Principes semper exercentur, facile oblitum cui eos commiserit: quandoquidem absterſis manibus non repoposcerit (in qua opinione illum confirmauit, securumque reddidit, quod iam aliquot dies, immò hebdomades, immò menses effluxerant: nec interea vel ipse rex, vel quispiam alius mentionem vllam horum annulorum fecerat) de credito restituendo nihil laborauit. Ad finem annus procedebat, & Rege iterum discubituro, annulosque depositvro, ac manus abluturo, propius accessit is, qui pridem, eosdem ab illo suscepturus. Obseruauit Rex minimè sincerum viri obsequium, & ei hæc verba insusurrauit. Contentus esto

quisque pro statu, & conditione sua à deo petere, & mendicare cogimur? Statimque huic viro, postquam abiectionem, & inopiam eius intellexit, CCC. coronatos numerari mandauit. Ex Germanico.

Bene locauit operam. Wer wolt vmb diß gelt nit lauffen. Hæc historia si minus vera, at verisimiliter conficta est, iuxta præceptum Horatianum, *Ficta voluptatis caussa sint proxima veris.*

XXXII. *De quodam plano, seu impostore.*

PEruagabatur regionem quandam Germaniæ homo sanus, ac robustus, cæterum laboris fugitans, & otii ac desidiæ inprimis amans. Hic quò minore negotio alios ad libenter, & liberaliter sibi largiendum permoueret, sinistrum brachium sordidis, ac sanie imbutis panniculis sibi obligauerat. Narrabat se nescio quod sectatum opificium, in itinere à viarum insessoribus vestitu, & rebus omnibus despoliatum, in brachio insuper atrocissimè vulneratum. Quare se compulsum bonorum hominum implorare misericordiam, quorum beneficentia mercedem soluere vulnerario posset. Alibi porrò alias brachij obuoluti caussas comminiscebatur. De variantibus huiusmodi responsis, & de furtis eius, quæ in ædibus aliquot custode vacantibus illum admisisse suspicio erat, ad Præfectum eius nomen

men defertur. Iubet adduci : ex præsente vti se res habeat cogniturus. Et quia annis virentem videt, eius calamitatem miseratur, hortaturque, habeat bonum animum : omnibus eius sanitatem cordi futuram spondet. Vulnerarium ad malum inspiciendum, & curandum illicò accersit. Repugnat doli fabricator : solutionem brachii coram eius nobilitate deprecatur, ne exhorrescat; siquidem aspectu sit fœdissimum. Instat Præfectus, & patescunt sycophantiæ, inueniturque brachium sinistrum tam sanum atque dexterum. Quamobrem in carcerem abripitur, & ad maleficia sua vltro, citra quęstionem enuntianda bonis verbis inducitur. Quæ tam multa enuntiauit, vt idoneus patibulo iudicatus, paulo post suspensus sit. Ex German.

XXXIII. *De facinoroso, in cuius tergo per publicum virgæ moriebantur.*

VRbini in Italia reus pro admissis virgarum supplicium cædēte carnifice luebat. Is cum forte eà duceretur, quà Doctor quidam, vir honoratus consistebat, cœpit ille miserabiliter laceratum, & nihilominus tardè procedentem conspiciens miserari, ac dicere, Infælix, & stolide, quin gradum acceleras, quò citius cruciari desinas? Restitit, & conuertens se ad Doctorem, eumque toruè intuens reus, Quid tua refert, inquit, vtrum ego lentius, an citatius incedam? Quando tu quoque virgis per vrbem cæsus fue-

ris,

gis, licitum erit tibi progredi vt placuerit: ego nunc vt mihi complacitum est progredior. Ex German.

XXXIV. *Fatui responsum neutiquam fatuum.*

AD opes suas exaggeratas, ad potentiam, & magnificentiam suam toti mundo prodendam, & ostentandam, Princeps quidam splendida, & sumptuosa ædificia moliebatur, quorum pars camerata, pars loqueata, pars in excelsum, pars in longum longius producta, omnia summo artificio à summis architectis, pictoribus, & magistris perfecta, & illustrissimè exornata. Forte euenit, vt simul Satrapas aduentitios, & Toparcharum legatos secum haberet, quos per omnia visum, ac lustratum circumduxit. Erat eidem in mancipio multorum leporum morio, seu fatuus. Hunc quoque interrogauit, ecquid placerent structuræ tam nobiles, ac fornices præsertim tam ampli, & columnæ tam insignes. Qui extemplò, Domine frater (sic enim Principem consueuerat appellare) tu te architectum incōparabilem existimas, & existimari ac prædicari cupis. Agedum, aspice (& aperit fenestram, Principemque manu prehensum eò perducit, & cælo digitum intendit) hic te longe superat. Verus ne sum? In ambitu domus huius ad firmandam, & constabiliendam ædificationem tu columnas tot supponere debuisti: hic autem in

tanti

tanti operis immensitate nullis columnarum fulcimentis indiguit. Hunc, Domine frater, hunc, inquam, Magistrum, & Architectum dici, & in eo gloriari patiare. Tuæ molitiones cum tua gloria ad illius machinas, & gloriam merissimæ nugæ sunt. Ex German.

XXXV. *Leuissima de caussa regno donatus.*

Hiarnes homo mediocris fortunæ, sed singularis ingenii inaudito more ad regnum peruenit. Siquidem incredibilis amor in Frotonem suum adegit proceres de regno consulturos, vt decernerent, illum fore regem, qui cæteros honore defuncti regis nemini impenso præcurreret. Certabant enim vniuersi cumulare defuncti gloriam. Ille quidem commemoratione rerum gestarum, diis immortalibus mortuum æquabat: alius iustitiam eius attollens, templo etiam honorandum decernebat: Hiarnes verò, vir industrius, poetices in patria lingua peritissimus, epitaphio condito regis memoriam apud posteros perennandam censuit. Itaque cum editum ab se carmen in illum recitaretur, adeo vniuersis complacuit in eo, vt omnes honore impenso superasse diceretur. Mox illi corona cum regio nomine defertur. Hoc verò carmen Saxo noster latinè reddens, in eam formam quæ sequitur transfudit.

Frotonem Dani, quem longùm viuere vellent,

Per sua defunctum rura tulere diu:
Principis hoc summi tumulatum cespite corpus,
Æthere sub liquido nuda recondit humus.

Hoc epitaphium à Danis regno compensatum est, imperiiq; pondus paucarum litterarum donatum est contextui. Tam exili impendio ingens præmium stetit. Crantzius Daniæ lib. 1. cap. 33.

Beneficium istuc, & donationem hanc prope immensam pro re nihili magnopere Seneca vituperaret, qui Alex. M. veteranum militem patris sui, beneficium aliquod ab se petentem vrbe donauit; & tanti muneris inuidiam refugienti dixit, Non quæro quid te accipere deceat, sed quid me dare: Alex. inquam, vt væsanum, & tumidissimum acriter reprehendit. Refert enim quid, cui, quando, quare, vbi, & cætera, sine quibus facti ratio non constat. Vide lib. 2. de Benef. cap. 15. & 16.

XXXVI. *Contumelia sapienter tolerata, quin & beneficio pensata.*

CAzimirus in Polonia, Dux, seu Palatinus, Sendomiriensis cum aulico quodam suo equite Ioanne Conario aleam ludebat, animi delectandi gratia. Incensum vtrinque vincendi studium, in profundam nocte ludum producebat. Pertæsi deinde ludi, & vigiliarum, vno iactu summam reliqui ludunt. Vincit Cazimirus, & argentum non modicum auferens, palma ma-

nus in faciem à Conario cæditur: qui noctis beneficio elapsus, & postridie inuentus ad Cazimirum adducitur. Clamantibus ibi cunctis, eum capitis pœnam commeruisse, qui Principis maiestatem minuisset. Minimè gentium, inquit Cazimirus, eum occidi oportet, qui dolore grandis iacturæ incogitans deliquit: & cum fortunam, à qua damno affectus erat vlcisci non posset, in me fortunæ alumnum commotus est. Ego magis in culpa sum, qui conditionis meæ, & dignitatis oblitus, eum ad ludendum prouocaui. Non modò igitur eum absoluo; verum etiam gratias ago, quòd me ictu illo admonuit, ne quid indignum Principe in me admitterem; neu me ludo, aut vlli rei leui, ac inhonestæ deinceps darem. Sic igitur Cazimirus seuerior in se ipsum quàm in alios iudex, homini, à quo tam indignè læsus erat, vltro veniam tribuit. Quin & argentum omne quod ludo acquisierat, ei restituit. Cromerus rerum Polon. lib. 6.

XXXVII. *Factum, & responsum memorabile S. Antonii de Padua.*

CVm in ciuitate Podiensi (forte Paduensi) Guardiani ministerio fungeretur, erat illic Notarius quidam omnino lubricus, carni, & mundo totus addictus. Eum quoties prætereiret

vir dei, nudato capite coram illo genu flectebat. Ille verò existimans id in sui irrisionem, & contumeliam fieri, animo perturbabatur, dabatque modis omnibus operam, ne illum vnquam obuium haberet. Sed cum die quodam insperatò eum transiret vir sanctus, & ita, vt diximus, erga illum se gereret, exacerbatus homo dixit, Nisi timerem deum, gladio te percuterem, quando ita me ludibrio habes. Quid sibi vult istuc, quod coram me poplitem flectis? Respondit vir beatus. Ego me libens deo martyrem obtulissem, sed illi non placuit. De te autem ipse mihi reuelauit, præclarum te martyrem fore. Oro itaque vt vbi ad martyrij agonem perueneris, memor mei esse velis. Hoc ille audiens risit. At non multo post tempore Episcopus Podiensis cum multis aliis profectus est Hierosolymam, vt Saracenis Christum prædicaret. Et ecce diuinitus permotus Notarius ille, venditis rebus suis omnibus, cum eo iter ingressus est. Cum autem peruenisset ad Saracenos, & Episcopus sic satis frigidè conciones haberet, semel quidem, & iterum, & tertiò Notarius dissimulauit At tandem instar beati Vincentii increpat Antistitem, quod ita frigide fidem Christi & prædicet, & propugnet: diuinoq; afflatus spiritu, cum multo feruore cœpit docere Saracenos, Christum esse verum deum, & dei filium, Mahometem autem esse filium Satanæ, & perditionis. Quod illi non ferentes rapiunt hominem, & per triduum diris

supplicijs excruciant. Cumque iam ad mortem duceretur, exposuit fratribus, Antonium id prædixisse, quòd ipse martyr futurus esset. Fuit ea res populo occasio, multa deinceps reuerentia beatum Antonium prosequendi. Surius Tomo 4. ad Iunij diem XIII.

XXXVIII. *Caroli M. corpus, linguarum, & artium peritia, aliaq; nonnulla.*

CORpore fuit amplo atque robusto: statura eminenti, quæ tamen non excederet: nam septem suorum pedum proceritatem eius constat habuisse mensuram; apice capitis rotundo: oculis prægrandibus, & vegetis: naso paulùm mediocritatem excedente; canicie pulchra: facie læta, & hilari: vnde formæ auctoritas, & dignitas tam stanti, quàm sedenti plurimùm congruebat. Ceruix quamuis obesa & breuior, venterque videretur proiectior, tamen hoc cæterorum membrorum celabat æqualitas. Incessu erat firmo, tantaque habitudine virili: voce clara, sed quæ minus corporis formæ conueniret: valetudine prospera, præter quòd antequam decederet quadriennio crebris febribus corripiebatur: ad extremum etiam vno pede claudicabat. Erat eloquentia copiosus, & exuberans. Nec patrio sermone contentus, etiam peregrinis studebat: in quibus latinam ita perdidicit, vt ea ac patria lingua orare sit solitus, Græcam verò melius

lius intelligere quàm pronuntiare poterat. Artes liberales studiosissimè coluit, earumq; doctores plurimum veneratus, magnis extulit honoribus. In discenda Grammatica Petrum Pisanum Diaconum senex audiuit: in cæteris disciplinis Albinum, quem alii Alcuinum nominant: alium Diaconum è Britannia, virum vndecunque doctissimum Præceptores habuit, apud quem & Rhetoricæ, & Dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ discendæ plurimum & temporis & laboris impendit. Assiduè exercitabatur equitando ac venando. Natandi tam peritus, vt nullus ei certaret. In cibo & potu temperans: sed in potu præcipuè. Corpori suo noxia esse jeiunia sæpe querebatur. Conuiuabatur rarissimè, & hoc præcipuis tantum festis, cum magna hominum frequentia. Circa pauperes sustentandos, & gratuitam liberalitatem erat deuotissimus: nec solum in patrio regno, verumetiam trans maria in Syria, Aegypto, Africa, Hierosolymis, Carthagine, Alexandria, vbi Christianos iam sub Saracenis egestate premi compererat. Ob hoc maximè transmarinorum regum amicitias expetebat, vt Christianis sub eorum dominatu degentibus, refrigerium aliquod prouenire. Colebat præ cæteris sacris locis apud Romam B. Petri Apostoli Ecclesiam, in cuius donaria magnam pecuniæ vim congessit, &c. Ex Crantz'j Saxon. lib.2. cap.7.& 8.

Patrem habuit Pipinum, qui ob egregiam

supplicijs excruciant. Cumque iam ad mortem duceretur, exposuit fratribus, Antonium id prædixisse, quòd ipse martyr futurus esset. Fuit ea res populo occasio, multa deinceps reuerentia beatum Antonium prosequendi. Surius Tomo 4. ad Iunij diem XIII.

XXXVIII. *Caroli M. corpus, linguarum, & artium peritia, aliaq; nonnulla.*

COrpore fuit amplo atque robusto: statura eminenti, quæ tamen non excederet: nam septem suorum pedum proceritatem eius constat habuisse mensuram; apice capitis rotundo: oculis prægrandibus, & vegetis: naso paulùm mediocritatem excedente: canicie pulchra: facie læta, & hilari: vnde formæ auctoritas, & dignitas tam stanti, quàm sedenti plurimùm congruebat. Ceruix quamuis obesa & breuior, venterque videretur proiectior, tamen hoc cæterorum membrorum celabat æqualitas. Incessu erat firmo, tantaque habitudine virili: voce clara, sed quæ minus corporis formæ conueniret: valetudine prospera, præter quòd antequam decederet quadriennio crebris febribus corripiebatur: ad extremum etiam vno pede claudicabat. Erat eloquentia copiosus, & exuberans. Nec patrio sermone contentus, etiam peregrinis studebat: in quibus latinam ita perdidicit, vt ea ac patria lingua orare sit solitus. Græcam verò me-

lius intelligere quàm pronuntiare poterat. Artes liberales studiosissimè coluit, earumq; doctores plurimum veneratus, magnis extulit honoribus. In discenda Grammatica Petrum Pisanum Diaconum senex audiuit: in cæteris disciplinis Albinum, quem alii Alcuinum nominant: alium Diaconum è Britannia, virum vndecunque doctissimum Præceptores habuit, apud quem & Rhetoricæ, & Dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ discendæ plurimum & temporis & laboris impendit. Assiduè exercitabatur equitando ac venando. Natandi tam peritus, vt nullus ei certaret. In cibo & potu temperans: sed in potu præcipuè. Corpori suo noxia esse ieiunia sæpe querebatur. Conuiuabatur rarissimè, & hoc præcipuis tantum festis, cum magna hominum frequentia. Circa pauperes sustentandos, & gratuitam liberalitatem erat deuotissimus: nec solum in patrio regno, verùmetiam trans maria in Syria, Aegypto, Africa, Hierosolymis, Carthagine, Alexandria, vbi Christianos iam sub Saracenis egestate premi compererat. Ob hoc maximè transmarinorum regum amicitias expetebat, vt Christianis sub eorum dominatu degentibus, refrigerium aliquod prouenirer. Colebat præ cæteris sacris locis apud Romam B. Petri Apostoli Ecclesiam, in cuius donaria magnam pecuniæ vim congessit, &c. Ex Crantz'j Saxon. lib. 2. cap. 7. & 8.

Patrem habuit Pipinum, qui ob egregiam

Pontiff. aduersus Lombardos nauatam operam primus Christianissimi cognomentum tulit. Ob eximia in Christianam religionem, sedemque Apostolicã merita à Leone III. Pont. max. Imp. est appellatus, & Romæ ab eodem inunctus & coronatus, acclamante pop. Rom. CAROLO AVGVSTO, MAGNO ET PACIFICO, à DEO CORONATO VITA, ET VICTORIA, Idibus Decemb. anno M. DCC. Egnatius lib. 3.

XXXIX. *De Amasi rege Aegypti, quid oraculis fecerit, & de lege quadam eiusdem capitali.*

FErtur Amasis, priuatus adhuc potandi, iocandique cum dicacitate studiosus, & vir neutiquam rerum agendarum anxius fuisse. Et quoties eum potantem, ac se oblectantem necessaria defecissent, solitum circumeundo furari: & quum reposceretur ab ijs qui dicerent eum ipsorum habere pecuniam, ac negaret, adduci solitum ad oraculum, quodcunque in eo loco erat: & frequenter ab oraculis conuictum, frequenter absolutum. Postquam deinde assecutus est regnum, ista egit. Quicunq; eum dij furti absoluerant, horum templa neque curæ habuit, neque vlla re ad ornamentum donauit, neque adiens sacrificauit, tanquam nihil mererentur, quod falsa responsa redderent. Qui autem eum pronuntiauerant furem, hos tanquam verè deos, nec mendacia reddentes oracula maximè

ximè coluit. Præterea hanc legem apud Aegyptios condidit vt quotannis vnusquisque apud Præsidem cuiusque loci demonstraret vnde viueret. Quod qui non fecisset, aut demonstrate vitæ suæ rationem iustam non potuisset, hunc morte multandum. Solon autem Atheniensis sumptam hanc legem ex Aegypto pro Atheniẽsibus promulgauit, qua illi semper vsi sunt, lege sanè inculpata. Herodot. lib. 2.

XL. *Argiuorum, & Lacedæmonum pro agro Thyrea dimicatio.*

PEr id tempus & ipsis Spartiatis inciderat cum Argiuis contentio de agro, qui Thyrea dicitur. Quem locum, etsi terræ Argolicæ partem, tamen Lacedæmonij interceptum tenebant. Etenim Argiuorum est quidquid regionis Malea tenus ad occasum vergit in continente: & insulæ tum aliæ, tum vero Cythera. Quum ergo Argiui suo territorio intercepto auxilium ferrent, ibi ab vtrisque in colloquium ventum & conuentum est, vt triceni vtrinque dimicarent, & vtri superiores extitissent, eorum regio foret, atque ambo exercitus in suam vterque terram discederent, nec permanerent dum dimicaretur: ea scilicet causa, ne, si adessent, parti succumbenti auxilium sui ferrent. His conuentis in diuersa digrediuntur. Ex vtrisque delecti viri, qui relicti sunt conflixerunt: atque illis quidem vt æquo Marte pugnantibus, ex sexcentis tres

omnino

omnino reliqui fuerunt, idque noctis interuentu; ex Argiuis duo Alcinôr, & Chromius, qui tanquam victores Argos cursu contenderunt: ex Lacedæmonijs vnus Othryades, qui spoliatis Argiuorum cadaueribus, eorum arma ad suorum castra detulit, & se in suo ordine tenuit. Postero die vtrique re audita affuerunt, sibi victoriam vindicantes: Argiui quidem, quod suorum plures superfuisse dicerent: Lacedæmonij verò, quod qui eorum superfuerant, fugissent; suus autem perstitisset, & hostium cæsos spoliasset. Ex contentione tandem concurrentes pugnant: ac postquam multi vtrinque ceciderunt, Lacedæmonij vincunt. Quo ex tempore Argiui tonsis capitibus, quum antea necessariò criniti essent, legem condiderunt, se deuouentes, ne prius comam alerent, neue mulieres aurum ferrent, quàm Thyreas recuperassent. His è diuerso legem tulere Lacedæmonij, vt in posterum comati essent, quum antea non fuissent. Othryaden, qui vnus è trecentis delectus reliquus fuisset, aiunt pudore Spartam reuertendi ob socios interfectos, illic apud Thyreas sibi mortem consciuisse. Herodot. lib. 1. Valer. lib. 3. cap. 2. Suidas. Meminit historiæ Ouid. quoq; 2 Fast. in laudibus Termini.

Si tu signasses olim Thyreatida terram,
Corpora non letho missa trecenta forent:
Nec foret Othryades congestis tectus in armis,
O quantum patriæ sanguinis ille dedit?

XLI.

XLI. *Aqua Igne maior deus.*

OLim ferunt Chaldæos Ignem deum suum celebrare volentes passim circumtulisse, vt cum omnibus prouinciarum dijs compararetur & is à quo ille victus esset, ab omnibus iudicaretur deus. Ac cæterarum nationum dij, cum ex ære, argento, ligno, lapide, similiue materia confecti essent, facile ab igne consumebantur. Itaque ignem vbique vincere necesse erat. Eo audito Canopi (in Aegypto) sacerdos callidum init consilium. Fictiles hydriæ continuis minutis foraminibus interpunctæ conficiuntur, vt per foramina illa aqua turbida colata limpidissima reddatur. Harum hydriarum vnam accepit, & foraminibus cera obturatis, varijs coloribus depictam, & aqua repletam, pro deo collocauit: & veteris statuæ caput amputatum, quæ ferebatur gubernatoris Menelai fuisse, accuratè impositum, simulacro illi adiunxit. Adsunt Chaldæi, accenditur ignis: cera, qua obturata erant foramina, liquescit. Hydria sudante, & per foramina destillante aqua ignis extinguitur. Sic calliditate sacerdotis Canopus Chaldæos vincit, & ex eo aqua pro deo colitur. Suidas in verbo Canopus.

Extat inter opuscula Plutarchi Dissertatio, Aqua an ignis sit vtilior. Vide quæ pro vtroque elemento argumenta afferantur: &, si placet, meum quoq; Progymnasma, seu Dialogū X. primæ partis Volum. 3.

XLII. *Vnde natum adagium, Nihil ad Parmenonis suem.*

PArmeno quispiam fuit, ex eorum hominum genere, qui nostris etiam temporibus varias animantium, & hominum voces ita scitè imitantur, ac repræsentant, vt audientibus tantùm, non etiam videntibus veræ, non imitatæ voces videantur. Neque desunt quos hoc artificium maiorem in modum delectet. Parmenon igitur hac arte vulgò vt iucundissimus, ita etiam celeberrimus fuisse perhibetur: quem cum reliqui conarentur æmulari, ac protinus ab omnibus diceretur illud, εὖ μὲν, ἀλλ' οὐδὲν πρὸς τὴν παρμένοντος ὗν, hoc est. Rectè quidem, sed nihil ad Parmenonis suem: quidam prodijt, verum porcellum sub alis occultatum gestans. Huius vocem cum populus imitaticiam esse crederent, statimque, sicut solent, reclamarent, τί οὖν αὕτη πρὸς τὴν παρμένοντος; Quid hæc ad Parmenonis suem? vera sue deprompta, ac palam ostensa, refellit illorum iudicium: vtpote non ex vero, sed ex imaginatione profectum. Parœmiographus ex Plutarch. Symposiακῶν lib 4. Quæst. 1.

XLIII. *Apellis, & Protogenis pictorum concertatio.*

SCitum est inter Protogenem, & Apellem quod accidit. Ille Rhodi viuebat: quò cum Apelles adnauigasset, auidus cognoscendi ope-

ra eius, fama tantùm sibi cogniti, continuò officinam petijt. Aberat ipse: sed tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ anus vna custodiebat. Hæc Protogenem foris esse respondit, interrogauitque à quo quæsitum diceret. Ab hoc, inquit Apelles: arreptoque penicillo lineam ex colore duxit summæ tenuitatis per tabulam. Reuerso Protogeni quæ gesta erant anus indicauit. Ferunt artificem protinus contemplatum subtilitatem, dixisse, Apellem venisse: non enim cadere in alium tam absolutum opus: ipsumque alio colore tenuiorem lineam in illa ipsa duxisse, præcepisseque abeuntem; si redisset ille, ostenderet, adijceretque hunc esse, quem quereret, atque ita euenit. Reuertitur enim Apelles: sed vinci erubescens, tertio colore lineas secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum. At Protogenes victum se confessus in portum deuolauit, hospitem quærens: Placuitque sic eam tabulam posteris tradi, omnium quidem, sed artificum præcipuè miraculo. Consumptam eam constat priore incendio domus Cæsaris in palatio, auidè ante à nobis spectatam, spatiosiore amplitudine nihil aliud continentem, quam lineas visum effugientes, inter egregia multorum opera inani similem, & eo ipso allicientem, omnique opere nobiliorē. Apelli fuit alioqui perpetua consuetudo, nunquam tam occupatum diem agendi, vt non lineam ducendo exerceret artem, quod ab eo in

prouerbium venit, puta, Nulla dies sine linea. Plin. lib. 35. cap. 10,

XLIV. *Libußa Bohemorum Regina.*

MOrauiæ reges aliquando etiam in Bohemos imperium tenuerunt. Igitur Croci Regis vnica filia Libussa, moriente patre virgo cœpit administrare paternam ditionem, tam prudenter, vt rex diu nullus in gente desideraretur. Ita circumspexit omnia, adeo iustitia insignis erat, vt nemo sub illa quereretur se suo destitutum: adeo scelerum vltrix, vt nemo impune peccaret. Mansissent proceres sub fœmina diutius: sed mortalem prospicientes, semen regium ex illa affectabant. Diu tamen nemo super ea re appellare audebat grauem fœminam. Sumpsere audaciam nonnulli ex maioribus, vt voluntatem procerum, & totius populi consensum atq; desiderium explicarent. Illa toruo primùm vultu intuita referentes, Quid est, inquit, quod vobis desit in hoc rerum statu, vt regem desideretis? Nihil, inquiunt illi, si te immortalem haberemus; nunc, quoniam communi omnes sorte sumus defecturi, quum te carere iam debemus, semen ex te regium expleret pro te populi desiderium: aut, si minus expleret, vel mitigaret ingentem tui nominis affectum. Dissimulabat aliquandiu populi desiderium casta mulier: tam illam delectabat thorus sine socio, tam castitatus illi inhærebat. Sed quum finem non fa-

cerent, illa siue oraculo commonita; siue suis deseruiens nutibus (si forte in rustica plebe virū iam delegisset, cui ipsa imperaret) iussit ornari candidum, cui insidere proficiscens solebat, gradarium: illum sequi preeuntem proceres iubet. Apud quem ille consisteret quiescens, si ferrea de mensa refici hominem conspicerent, regem mox suum consalutarent: nam illum se dignari maritum, quem fata iumento imperantia monstrarent. Sedulò curant iussa Reginæ: sternunt iumentum, & permisso illi fræno liberum sinunt præire, ipsi ponè sequuntur, obseruantes quò vadat. Abibat in agros viam non paruam, nec per solita gradiebatur itinera; sed compendia quærens, ibat in directum per nemora, per dumeta, per agros: donec ipso iam meridie deprehenderet hominem ex labore fessum, se ad refectionem in agro, quem ararat reponentem. Verterat aratrum, & ferrum ex sulcō splendescens attrito in planitiem positum pro mensa habebat. Cum cerneret hominem iumentum, stetit immobile, nusquam diuertens, aut circumspiciens. Comites recolunt quod Regina de ferrea mensa illis denunciasset: voto se potitos interpretantur, & gaudent. Mox sciscitantur de nomine, Primislao sibi nomen esse ait. Surge, inquiunt, protinus, & tibi stratum hunc equum ascende: Regina te demoratur futurum regem, futurum sibi maritum. Ille rogat ne sibi illudant; se sua sorte contentum viuere. Vrgent recusantem,

tem, & quo erat habitu inultum equo imponunt, & ad Reginam perducunt, narrantes quid repererint. Illa fato monstratum virum complectitur, & pro regia dignitate suis nudatum vestibus ornat, atque thoro dignatur. Krantzius Vandaliæ lib. 1. cap. 17. Æneas Syluius, Dubrauius.

XLV. *De Gilimere Vandalo, regni incubatore.*

HVnerico filio Genserici regis Vandalorum in Africa defuncto, regnum capessiuit Hildericus Genserici nepos. Cuius cognatus Gilimer regnum inuadit, domino suo, & omnibus familiaribus eius in vincula coniectis: & vt crimen tyrannidis à se amoueret, ad Iustinianum scribit, se non regnandi cupiditate imperium inuasisse; sed quod Hildericum ad id administrandum naturà minus aptum esse viderit. Rescribit Imp. se non conquieturum, nisi & iniusta vi oppressum vindicarit, & tyrannum vltus fuerit. Itaque patricium Belisarium ex oriente, vbi cum Persis bellum gerebat, accersitum, cum manu validissima, & magna classe, omnibus copiis, cum summo imperio in Libyam mittit. Quo cognito Gilimer fratri Amatæ mandat, Hildericum cum suis, quos in custodia tenebat, statim è medio tollat. Belisarius Gilimere profligato, ereptaque Carthagine totius Libyæ est

potitus

potitus, quam Romano imperio subiecit, à Vandalis per annos XCV. occupatam, & Gilimerem viuum cum vxore, & liberis comprehendit. Ferunt eum, dum in regione Maurorum, quò confugerat, aspera cum suis obsideretur, annona destitutum, à Tribuno, quem Belisarius obsidioni præfecerat, petijsse panem, citharam, & spongiam. Qui cum non intelligeret, qua de caussa ista peteret, nuntium interrogasse, eum verò respondisse: panem petere, quod postquam montem illum Puppuam in Mauris insedisset, panem coctum nullum vidisset. Spongiam, vt lacrymas quibus conficiebatur abstergeret. Citharam, vt præsentem calamitatem flebilibus modis, haud quaquam eius artis ignarus, leniret. Quæ vbi cognouit Pharas Tribunus, omnia misit. Facta porrò cum suis deditione, ad Belisarium viuus est perductus, interim ridens, vt qui videbant, eum errore mentis affici crederent. Sed res aliter se habebat. Nam dum fortunæ suæ commutationem animo reputaret, humana omnia ridicula esse existimabat. Qui item Constantinopoli inter captiuos purpurea veste indutus: vnà cum omnibus propinquis suis, & Vandalis, qui proceritate corporum, & oris pulchritudine præcellebant, præcipuè spectaculum præbuit. Is postquam in circo constitit, & Iustinianum in celso throno sedentem, populumque circumsistentem aspexit, fortuna sua ad rationem reuocata, illud Salamonis effudit, *Vanitas vanitatum*

tum, & omnia vanitas. Zonaras Tomo III. in Iustiniano, Procop. lib. 2. de bello Vandalico, Sigon. de imp. occident. lib. 17.

XLVI. *Quid Antiochiæ fecerit Iulianus ὁ παραβάτης & de ciuium in ipsum dicteriis, quoue pacto se vltum iuerit.*

IMperator ingenti pecunia à Christianis extorta, expeditionem aduersus Persas molitus est,& Antiochiam Syriæ se contulit. Atque ibi liberalitatis suæ studium Antiochenis probare volens, res in foro venales, & necessarias ad certum, constitutumque pretium reduxit; non considerans secum ipse, vbi militum sit frequētia, ibi accidi in vrbibus rerum omnium copiam,vicinosque etiam ea de caussa annonæ detrimento affici. Itaque caupones emere, & rursum vendere res ad victum necessarias quæstus gratia soliti, quod iacturam eam non ferrent, multa contra Imp. vociferati, negotiatione sua supersederunt: eoque modo vt rerum necessariarum penuria vrbem inuaderet effecerunt. Antiocheni verò (procliues enim sunt ad contumelias homines)liberè Imp. riserunt,& scommatis in barbam eius luserunt, quod prolixior esset, tonderi eam ad funiculos plectendos oportere dicentes. Atque item in nummis eius qui tauri effigiem habebant, cauillati sunt, perinde atque à præcipiti tauro mundum ab ipso imperante euerti iactantes. Quum enim supra

alios

annos omnes admodum superstitione teneretur, & quotidie tauros ad simulachrorum aras mactaret, & aram, & taurum nummo suo imprimi curauerat. Proinde ira ex scōmatibus eiusmodi percitus, malè se accepturum Antiochenos minatus est. Cæterùm minas factis exsecutus non est, sed verbis tantum in Antiochenos conuitia retorsit, orationemque præclaram, & facetam ira remissa in eos conscripsit, quam Antiochenam, & μισοπώγωνα, hoc est, barbæ inimicam inscripsit. Atque eo pacto iniuriam se vindicasse existimans, Persicam expeditionem, perpetua nota vrbi Antiochenę inusta, est prosecutus. Niceph. lib. 10. cap. 27.

Periit annum ætatis agens alterum & tricesimum; cuius moribundi vox impia in Christum: Vicisti Galilæe, sic enim ipsum, & Christianos Galilæos nominabat, per summam contemptionem videlicet. Iulianum circumscribens Nazianzenus, nuncupat τοῦ πονηροῦ τὸ πλήρωμα, maligni complementum, quasi dicas, completum quiddam, & omnibus partibus absolutum dæmonis figmentum, &c. Item orat. ad patrem τρᾶτον κακὸν summũ malum: & in Athanas. τὴν κακίαν ὁμότιμον τῷ φθόνῳ, malitia ęqualem diabolo. τὸν φθόνον enim illic vocat diabolum, vtpote inuidiæ parentem. Gabrielius in Scholiis notauit.

XLVII. *Iouinianus Iuliani successor Christianismum restituit. De sacrarum virginum coniugio quid sanxerit.*

IMperator Iouinianus experientia doctus, diuina vindicta Iulianum grauibus malis afflictum esse, ad omnes vbique Præfectos scripsit, vt cunctos libere rem diuinam facere, conuentus agere, & deum ex animo colere paterentur: & vt vna in imperio Romano obseruaretur fides & religio, Christianorum videlicet; iuraque pristina ecclesijs reddidit. Et quæcunque clero, viduis, & virginibus dudum à Constantino, & filiis eius diuini cultus augendi gratia concessa, legibusque firmata, à Iuliano autem propter summum eius in fidem nostram odium, pessimo consilio adempta, & accisa fuerant, priuilegia, & beneficia restituit.

Ad Præfectum prætorio quoque generalem dedit constitutionem, vt deinceps capitaliter in eum animaduerteretur, qui sacram virginem non dicam rapere, sed attentare tantummodo, iungendi matrimonii caussa, aut oculos impudicos ei adiicere auderet. Eamque legem vt promulgaret adductus est, quod homines quidam improbi, atque impudici, scelestas atque incestas huiusmodi nuptias, vel vi illata, vel persuasione adhibita, virginibus corruptis contraxerant: Iuliano, impotenti consuetudine, & fœda

da libidine flagitia talia audere permittente, & religione tum nostra periclitante. Itaque eccle-siæ dei rursum sunt apertæ: Græcorum autem templa clausa, & ipsi dij terræ cauernas, & recessus subiere. Et qui ad id vsque tempus vilibus lacernis vsi fuerant, ad communem rediere vestitum. Quicunque autem Episcopi ab Iuliano reuocati ab exilio non erant, tum reducti domum suam quisque redierunt; & inprimis Athanas. in cuius encomio Nazianzenus hūc Imp. commendat. Et in Iulian. orat. 2. vir. vt aliis rebus, ita pietate clarus, & insignis, atque imperatoria sanè oris maiestate præditus. Niceph. lib. 10. cap. 39. Decessit, vt auctor est Socrates lib. 3. cap. 22. mense imperii 7. ingentis staturæ vir, ingenio amœno, nec à litteris abhorrenti. Symbolum eius fuit, SCOPVS VITÆ MEAE CHRISTVS.

XLVIII. *Theophili Imp. iustum iudicium.*

Miles quidam manu promptus equum habuit egregium, qui ipsum sæpe incolumē ex acie extulerat. Huius equi amore captus dux, sub quo is militabat, cum neque pollicitationibus, neque minis impetraret, hominem timiditatis accusatum apud Imp. exauctorat. Cum autem Theophilus equum insigni virtute cuperet habere, & missis in omnes partes mandatis talem sibi quæri, atque adduci iuberet, eam na-

ctus occaſionem dux iſte, militi ei equum inako adimit, & tanquam ſuum Imperatori mittit. Poſt cum neceſſitas bellica plures milites requireret, mandatoque Imp. omnes, qui arma ferre poſſent in exercitum allegerentur, ille etiam miles arma ſumpſit, & in prælio fuſis ſuis, quod equum, à quo ſeruari conſueuerat non haberet occubuit, vxore, & liberis relictis. Vidua amiſſi mariti deſiderio accenſa, & quod neceſſaria pupillis ſubminiſtrare nequibat, iuſtitiæ Imp. fama inſtigante Conſtantinopolim venit, Theophilumque ad templum Blachernenſe equitantem de more conſpicata mariti ſui equo vehi, concitato curſu aggreſſa, frænum equi apprehendit, ſuum hunc eſſe vociferans: & non alium, ſed ipſum Imp. cædi mariti ſui cauſſam præbuiſſe. Perterritus Imp. manere eam iubet dum in palatium ipſe redeat; ac reuerſus ſtatim ad ſe vocat, ac de re tota accuratius inquirit. Quam cum ea ad finem vſque recitaret, illico etiam dux ipſe ſiſtitur, & muliere iuſſu Imp. occultata, de equo acriter interrogatur. Quem cum aſſeueraret ſuum fuiſſe, neque raptu paratum, producitur extra velum mulier, reum de vi peractura. Qua is conſpecta diriguit, & aliquandiu mutus adſtitit: tandemque ad ſe reuerſus, ſupplex pedibus Imp. ſeſe aduoluit lacrymans, ac peccatum confitens. Ergo Imp. ipſius facultates viduæ, eiusque liberis hæreditario iure addicit: ipſumque dignitate ſpoliatum, exilio per-

petuo damnat. Adeo infensus erat & ijs, qui iniustè opes parare intenderent. Cedren. Valentinian. Senior quomodo in hominem apud se gratiosum, qui mulieri, à qua iniuriarum fuerat postulatus non satisfecerat seuerissime vindicarit, Zonaras Tomo III.

XLIX. *Poloni nobilis aduersus leonem magnanimitas*

ERat in aula Regis Hungariæ Matthiæ Coruini Polonus miles, familia nobilis qui sæpe Hungaros ad luctam, & pugnam euocabat, multosque sæpe vincebat, sed iactantia nimia odiosus. Stabat in ferratis claustris immanis leo. Quis est, inquit Polonus, qui famelico leoni ausit carnem auferre, quam ore comprehenderit. Cum nemo præsumeret, Cernetis, inquit, quod dico. Hi fame per diem excruciant leonem: postero die ouem proijciunt quadrifariam dissectam. Leo irrugit, apprehensæ carni incubans: Polonus ingreditur, & leonem iam vorantem, diuaricatis cruribus insidens pugno ferit in os, dicens: Offam dimitte canis. Vocem intrepidam leo exhorruit, exeuntemque visu solo secutus est. Audax facinus cum ad regem referretur, nō probauit: euocatumque Polonum pro more donatum, domo suo iu[s]t excedere. Qui venalem ita vitam circumferret, non necessario, sed ad solam iactantiam se obijciens periculo, nihil non ausurū pręmio proposito. Crantzius Saxoniæ l.9.c.24.

Hoc iudicium Regis quomodo reprehendat Gaspar Cichocius in Alloquiis Osiecensibus li. 4. cap. 3. videbis, si volueris. Vltro, & indemnatos se bestiis obiicientes, seu ad bestias gloriæ adipiscendæ pugnantes, simul & spectaculo tali operam dantes, grauiter accusat D. Cyprian. ep. 2. lib. 2. Primus hominũ leonem manu tractare ausus, & ostendere mansuefactum, Hanno è clarissimis Pœnorum traditur: damnatusque illo argumento, quoniam nihil non persuasurus vir tam artificis ingenii videbatur: & male credi libertas ei, cui in tantum cessisset etiam ipsa feritas. Plin. lib. 8. cap. 16.

L. *Cleopatræ Reginæ Ægypti cum summa iniquitate, & parricidiis auaritia incredibilis.*

INterea turbabantur res Syriæ, Cleopatra non desinente in omnes incitare Antonium: quem hortabatur, vt auferens cuique suam dynastiam, ipsi contribueret: multumque apud eum poterat irretitum suis amoribus. Cumque natura esset alieni appetens, nihil sibi putabat illicitum. Primùm fratrem, cui debebatur regnum veneno sustulit, agentem annum XV. Deinde Arsinoën sororem suam Ephesi in templo Dianæ supplicem, interfecit per Antonium. Pecuniarum etiam vbicunque spes affulgeret, neque templum, neque sepulchrum, neque asylum vllum vnquam violare dubitauit, modo ad illam

redirent spolia quaesita vel sacrilegio: miscebatque sacra profanis, fas nefas, vt augeretur lucris vel iniquissimis. Ad summam, nihil satis erat mulieri sumptuosae, & voluptatibus deditae, cuius cupiditates vix totius orbis expleri possent opibus. Quamobrem & Antonium continuò sollicitabat, vt aliis ablata ipsi largiretur: & ingressa cum illo Syriam statim cogitauit, quomodo eam possessionem suam faceret. Nam Lysaniam Ptolemaei filium interfecit, caussata eum studere rebus Parthicis. Flagitabat etiam ab Antonio Iudaeam simul, & Arabiam sibi dari, ademptas suis regibus. Verùm ille erat quidem adeo deditus ei mulieri, vt non illecebris solùm, sed etiam veneficiis eius captus videretur: puduit tamen tam insignis iniustitiae, ne videretur ad procacis faeminae nutum libenter peccare etiam in rebus maximis. Ne igitur vel negando eam contristaret, vel imperata illius omnia faciens haberetur mortalium omnium nequissimus, partes de vtraque regione ablatas ei largitus est; adhaec vrbes quotquot sunt intra fluuium Eleutherum vsque ad Ægyptum: praeter Tyrum & Sidonem, quas iam inde à maiorum aetate sciebat liberas: quamuis has quoque illa multis precibus impetrare conaretur. Iosephus Antiquit. lib. 15. cap. 4.

Mulierem non humilem, id est, non imbecillis, abiecti, fracti, sed ingentis, & magni animi vocat Horat. Ode 37. propterea quod praelio

Actiaco victa cum Antonio, laude sui in triumpho deductae Augusto inuidens, corpori suo aspides admouit, quarum morsu interijt: id quod duae, licet exiles, & obscurae cicatrices in illius corpore, sine vllo alioqui veneni vestigio repertae prodiderunt. Nihilominus fictam eius imaginem cum aspide adhaerente Caesar in triumpho deportauit. Fertur aliquoties ante mortem dixisse, οὐ θριαμβεύσομαι, non ducar in triumpho.

LI. *Herodis conceptum, & praescriptum facinus crudelissimum.*

Morbo ingrauescente, cum instare sibi mortem sentiret Herodes, scelus atrocissimum, olim in infantes à se perpetratum, quos innocuos, propter vnum è medio tollendum ingenti numero trucidauit, in adultis, ijsque planè insontibus mactandis renouandum duxit. Nam cum è tota ditione nobiliores Iudaeorum ad eum conuenissent, euocati minaci edicto poenam capitis intentante non parentibus, infensus ex aequo siue sontibus, siue innoxis, vniuersos conclusit in circo: accita deinde Salome sorore, maritoque eius Alexa, ait instare sibi terminum vitae, tantis doloribus succumbenti. Quod quidem ferendum esse, quando secundum communem mortalium sortem accidat. Illud permolestum esse, si carendum sit extremo honore luctus, qui debeatur regibus. Non enim igno-

tam

tam sibi esse Iudæorum mentem, quod optatam suam mortem lætis accepturi sint animis, quandoquidem vel à viuente etiam tum non abstinuissent contumelias. Sed illorum esse officij leuamen aliquod præsentis huius doloris decernere. Nam si assensum consilio suo præbeant, fore suum funus longè quàm aliorum regum honoratius, & manibus suis gratius, omnibus per totam ditionem non ficte lugentibus. Ergo quamprimum viderint se exhalasse animam, debere eos clausam circo nobilium multitudinem cingere militibus, ignorantibus etiam tum suum obitum, non prius vulgandum, quàm mandatum suum executi fuerint: iubere deinde, vt circumuentos vnà omnes iaculis configant. Quibus hoc modo cæsis duplicem se eis habiturum gratiam: vel quod mandatorum fuerint memores; vel quod obitum suum publico luctu honorauerint. Hæc ille cum lacrymis lamentabundus cognatos per mutuam fidem, ac beneuolentiam, perque omnia sacra obtestabatur, ne se extremo hoc honore fraudatum vellent, eis contra pollicentibus mandata confecturos. Cæterùm Salome, & Alexas priusquam regis mors innotesceret, in circo clausos domum suam quemque dimiserunt, dicentes, ipsum ita iussisse, vt in agros digressi curarent suamet ipsorum negotia: atque hoc pacto magno beneficio vniuersam sibi gentem deuinxerunt. Ioseph. ibid. libr. 17. cap. 9. & 10.

LII. *Natura Chamæleontis.*

RESeram quæ de hoc animante in sua Hierosolymitana peregrinatione commemorat Illustriss. Princeps Nicolaus Christoph. Radziuilus, cuius tres filii, adolescentes integerrimi, & eximia erga deum pietate conspicui Augustæ plus biennium vixerunt, & Societatis nostræ gymnasium prælectionibus frequentandis condecorarunt. Tres ibidem in monasterio vidimus, qui in oleæ arboribus, quæ ibi sunt aliquot, asseruabantur. Figuram, & magnitudinem habet lacertæ: non mordet tamen, cum nec os habeat, nec cibo, vel potu, sed aëris tantum alimento sustentetur. Foramen tamen exiguum, quantum est paruum piperis granum, habet, quo aërem admittit. Caret omni veneno. Motus illi tardior, adeò, vt totius diei decursu vix vnius cubiti spatium reptando emetiatur; & manui impositus (nec enim in attrectando horrori est) vix sese moueat, donec deponatur. Ex arbore nunquam desilit. Maculæ per corpus rariores nigricant. Colorem subinde mutat, redditque eum, quem proximè attingit, præter rubrum & flauum; quod sæpius experiri placuit. Maculæ tamē nigræ non mutantur, nisi pellis ipsa. Oculos prominentes, rotundos, & hilares habet; quorum altero sursum, altero deorsum, non minus retro quam ante, vno eodemque momento simul intueri potest. Colori alicui superimpositus, quando diuersus alius color illi ex parte superiori opponi-

ponitur, vtrumque simul aspicit: & in quem intuitum firmius defixerit, cum assumere incipit, mora quasi vnius orationis Dominicæ interposita, totusque in eum iam notabiliter mutatur. Collocaui illum supra colorem album, viridem, cæruleum, nigrum, omnes recepit. Supra rubrum collocaui, mansit immutabilis. Flauum ad manus non habebam; sed nec hunc assumere dicitur. Aluum nunquam purgat, cum sit clausus vndique, nec cibo, potúue vtatur.

Describit & Plinius Chamæleontem lib. 8. cap. 33. & Aristoteles lib. 2. de animalibus. Vide & Pierium lib. 27. & Adagium Chamælonte mutabilior. Meminit in illa rerum varietate, ac vicissitudine, quam describit 15. Metam. huius animantis etiam Ouid.

Id quoque quod ventis animal nutritur, & aura
Protinus assimilat tetigit quoscunque colores.

De isthoc animante legi & hæc. Quid ineptius, quam Chamælæontem solo vento viuere? Plin. tamen omnes in istum errorem inducit. Equidē cum amplos habeat pulmones, sæpe, & multum spirat. Sed exerta lingua formicas, muscas, locustas, scarabæos inuiscat, quibus perbellè nutritur.

LIII. *De quodam, qui colicum dolorem simulabat.*

Galenus libello, Quomodo morbum simulantes deprehendantur, de quodam simulatore

latore hanc narrat historiam. Fit autem sæpè quod dolor quispiam ita simuletur, vt ingens, fereque intolerabilis videatur. Equidem ipso quendam noui in concionem à ciuibus vocatû, colico dolore se torqueri finxisse, vt ne accederet, cum hoc ita ei conducere visum esset, Et ego quidem eo tempore isthuc hominē agere, quod & postmodum ipse mihi confessus est, suspicabar. Fomenta igitur tum illi adhiberi iussi. Verùm ille, quanquam aliàs vel in minimis supra modum esset meticulósus, hîc succurri sibi nequaquam magnopere precabatur: & quidem paucis ante diebus nouit eodem modo laborantem, à me hausto pharmaco Philonio curatum: id quod à me omnibus modis petiuisset, si renera doluisset. Sed & exitus istud declarauit: quoniam dimissa concione extemplò conqueri, tanquam extra omnem dolorem mox constitutus, desijt. Quin & ipsa præterea viuendi ratio, quæ præcesserat, talis erat, vt colicam in eo dispositionem non posset generare: quando ex indigestione, infrigidationeque proficisci solent huiusmodi passiones. Subijcit mox alterum exemplum de seruo, qui, ne dominum peregrè abeuntem sequi cogeretur, vtriusque genu vehementissimum dolorem fingebat. Cuius versutiam Galenus quoque deprehendit.

LIV. Ad locum M. Tullij ex IV. Catilinar. de seruo scelerato historia memorabilis.

Verba

VErba Oratoris sic habent. Etenim quæro, si quis paterfamiliâs liberis suis à seruo interfectis, vxore occisa, incensa domo supplicium de seruo non quam acerbissimum sumpserit, vtrum is clemens ac misericors, an inhumanissimus & crudelissimus esse videatur. Mihi verò importunus ac ferreus, qui non dolorem suum, & cruciatum dolore nocentis, & cruciatu lenierit. Narrationem verissimam, & huic hypothesi quam simillimam, de crudelitate serui erga vxorem heri, & liberos proferam ex Iouiani Pontani lib. 3. de Obedientia, vbi de vario seruorum vsu est dissertatio. Maioricensis ciuis abunde locuples ruri cum esset, seruumque grauissimè cũ cæcidisset, tum ille iniquius secum actum iudicans, rationem hanc commentus est, qua & seruitutem finiret, & herum vlcisceretur. Eo enim longius à villa profecto, domo clausa fores munit, ac matrefamiliâs arctius vincta, heriles liberos in editiorem domus partẽ secum effert, domini illic reditum exspectans. Qui vbi villam intrauit, domum clausam ægre ferens, seruo, qui se de culmine ostendit, minitari cæpit. At, inquit ille, qui nunc domum clausam tam indigne fers; efficiam, vt haud multo post teque, & lucẽ oderis. Vix iam hoc dicto vnum, & alterũ filium è tecto præcipites iecit. Quo casu consternatus, ac pæne exanimatus pater, vbi ad se rediJt, tertio timens, mutato consilio seruum blandioribus lenire verbis studet: non facto solum veniam,

verum

verumetiam libertatem pollicens. At Maurus, nihil, inquit, tuis istis pollicitationibus actum scito. Nares tibi præcidas oportet, si vis tertium seruari. Tum pater duobus se liberis vno casu orbatum reputans, quò tertium, qui vnus erat reliquos seruaret, conditione accepta nasum mutilat. Qui vix dum terram attigerat, cum tertius cum matre simul ante pedes eius exanimis iacuit. Eum seruus vbi clamoribus, atque eiulatibus implere agros videt, deûm, atque hominum fidem implorantem, Atqui nihil tuis istis clamoribus egerit: neque sæuiendi in me tibi locum relinquam. Atq; hoc dicto semetipsum de summa tecti parte depulit. Audisti, lector, vnquam aliquid immanius? Narrat & Plin. ep. 14. lib. 3. de domino à seruis, dum lauaret, atrociter interfecto: sed adhunc seruum nihil. De fidelitate contrà serui erga dominum, & paruulum eius filium apud Tyrios Iustin. lib. 18.

LV. Solimanni Imp. Turcarum in tres filios immanitas.

QVatuor Solimanno erant liberi. Natu maximus, cui Mustafa nomen, bellum gerebat cum Persis, & victoria insigni potitus redibat adolescens ad patrem, alacer, & spei plenus. Byzantini cum multo honore venientem excipiunt, & ciuium studia Prætoriæ cohortes, Ianizares vocant, æquabant. In cõmuni gaudio solus pater offendit. Factum id minuendæ maiesta-

iestatis accipit: filium vocat, in remotis cubiculi strangulari iubet, & subinde cadauer in oculis exercitus abjci, cum hoc iuperdicto præconis. Vnus in cælis deus: vnus in terris Imperator Solimannus. Forte in omnium attonito stupere fuit, vt non vinceret animum frater iunior, & spectante patre fraternæ morti illacrymauit. Infælix pietas, biduo post veneno pœnas dedit. Tertius metu confugerat ad Persas, per legatos dedi iussus, & palam securi percussus. Solus hic Zelimus restabat, quem nuper ad Echinadas nauali prælio victum audiuimus: & ille homo esse desierat, nisi hominem exuisset. Horrenda ista, in gente tamen Osmanica non noua. Lips. Ep. Q. lib. 3. ep. 22.

LVI. *De naso Rodolphi Cæsaris.*

CVm haberet nasum aquilinum eumq; grandiorem, in decliui semita obuium habuit dicaculum quendam, qui Rodolphi facilitatem morum, & clementiam norat. Is prætereunti de via angusta decedere nolebat, quamuis id satellites imperarent. Caussam huius pertinaciæ rogatus respondit: quia nasus Imp. viam implet, vt cedere nequeam. Tum Rodolphus subridēs, flexo in alterum latus naso manu sua, inquit. Vade, fili mi, en nasum distorqueo, ne te impediat. Alius Imp. hominem prætextu læsæ maiestatis capite forsitan puniuisset: Rodolphus clemētia aduersus proteruum vti, & stulto secundum

-stulc

stultitiam suam respondere maluit. Ex Annal. Ecclesiast. Tomo XIII.

LVII. De tribus histrionibus, Christum repente, & insperatò confessis.

GEnesius Romæ cum in theatro præsente, & spectante Diocletiano Christianorũ mysterijs illuderet, subitò cælesti quodam lumine animum perfusus, baptismum haud simulatè, vt videbatur, sed planè seriò suscepit; cæteraque omnia mente, & spiritu Christiano dixit, egitque, obstupescente populo cum præsertim inter crudelissima tormenta vocẽ illam generosissimam ederet. Non est rex præter Christum: pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis. Surius Tomo 4. Talis apud Græcos extitit Ardalio, homo itẽ Scenicus; qui similiter quam sermone, & actione irridebat religionẽ, inopinatò à deo afflatus, & penitus immutatus, inter cruciamenta eam pro vera, & sancta confiteri vsque mortem non destitit. Menæa in Aprili. Talis quoque ex theatrali irrisore martyr euasit Porphyrius, de quo Menæa in Septembri. Adiungitur quartus à Baronio Dioscorus, ex Augustini epist. 67. ad Alipium. *Deus non irridetur, qui bonorum nostrorum non eget: & cuius vult miseretur, & quem vult indurat.*

RITVS, ET CONSVETVDINES PRISCAE.

I. Persæ μαχαιροφόροι.

VEL in alta pace semper accincti gladio ambulabant, vt Ammianus Marcellin. lib.23. indicat his verbis: Omnes tamen promiscuè vel inter epulas, festosque dies gladij cincti cernuntur: quem Græcorum veterũ morem abiecisse primos Athenienses Thucydides est auctor amplissimus. Iosephus etiam lib. 18. Antiquit. cap. 3. Regem Parthorum inter epulas à suis obtruncatum narrans subjcit, μαχαιροφορεῖν γὰρ ἔθος ἅπασιν, Quod Romanis, qui non nisi in procinctu, & sagis sumptis gladio accingebantur, Barbaricum videbatur. Vnde Ouid. 1. Trist. Getas semper ense accinctos mordet. Brisson. de regno Persar. lib. 3.

II. Vinum myrrhatum vita multandis.

COnsueuerant Iudæi tormenta subituris ad duritiem corporis, & animi conciliandam, vinum myrrhatum, & inebriatiuum ministrare: quem morem astruebant Prouerb. cap. vlt. *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo.* Quod vinum damnatorum vinum

Amos

Amos vocat cap.2. Metaphoricè Dauid Psal. 59. *Potasti nos vino compunctionis*. Chaldaicus Paraphrastes vertit, *calice maledictionis*: videlicet quia cruciarijs maledictis à lege dabatur. D. Hieronymus transfert, *vino consopiente*, id est, illo damnatorum vino, quod ad torporem inducendum eis datur, & ad eos sopiendos, ac dormientibus exæquandos. Ramiresius Pentecont. ca. 9.

III. *Serenitas Imperatoris.*

Serenitas soli Imperatori propriè tribuebatur. Hinc est quod Iulianus Patricius in Iustiniani Nouella 113. scribit, vetitum fuisse ab Imp. ne Quæstor, vel Præf. prætorio per Orientem in sacro auditorio istis interlocutionibus uterentur, *nostra serenitas, pietas, mansuetudo*, neue Aduocati ijsdem vocibus illos alloquerentur. Nulli enim licitum hæc verba sollemnia tribui, nisi soli Imp. Iuret. lib. 2. Miscellan. in epist. Symmachi.

IV. *Vina odoribus condita.*

Veteres amabant vina condire suauissimis odoribus. Quod Græcorum inuentum fuisse dicunt Aelian. var. hist. lib. 12. Eunapius Sardian. in Iamblicho, Athenæus lib. 2. Cassiodor. Variar. lib. 12. ep. 4. Petrus Chrysologus Serm. 32. scribit, solitos vtres pellium ab omni squalore purgari, & pigmentis odoratis liniri, vt vini sapor custodiretur. Sed & apud Isidorum Origin. lib.

lib.20.cap.3. inter varias potus ſpecies nominatur conditum, commixtione pigmentorũ compoſitum. Seruius etiam in 4. Georg. adnotat, aſperrima vina temperata mellis immixti dulcedine. Item Chryſolog. ſerm.93. neque accubuit pocula ſaporata melle, floribus odorata ſumptuus. Idem Miſcellan.lib.3.

V. Poſt ſacra conuiuium.

VEteres peractis ſacris conuiuabantur, & ſe inuitabant hilarius: vnde & μεθύειν factum putat Ariſtoteles, quod μετὰ τὸ θύειν, hoc eſt, poſtquam ſacrificaſſent, deinde hilaritati ſe traderent.

VI. Vehiculum publicum.

MOs fuit, vt quos ad ſe accirent Principes, euectionem illis publicam concederent. Indicant litteræ Conſtantij, S. Athanaſium euocantis, apud Theodoretum lib. 2. & Iuliani ad Euſtochium his verbis: ἧκε τοίνυν μεθέξων ὑπατείας. ἄξει δέ σε δημόσιος δρόμος ὀχήματι χρώμενον, ἑνὶ καὶ παρίππῳ. Veni igitur collega in conſulatu futurus. Veheris autem equis publicis vno atque altero. Iacob.Sirmond. Not.in Sidon.

VII. Gratiæ pro conſulatu actæ, & relatæ.

QVo die iniretur magiſtratus, & poſtquam ſacris operati eſſent, ſolebant pro accepto

consulatu gratias pro tribunali agere ei, cuius suffragio essent creati, hoc est, vel populo, vel Principi. Nec modò gratias agebant oratione recitanda: sed quodammodo referebant statim vt erant designati. Nam & ludos edebant ad populi voluptatem; & missilia spargebant in vulgus, atque hoc liberalitatis genere gratum animum, & beneficij à populo accepti memorem testabantur. Hinc in Impp. creatione sparsio pecuniæ. Petrus Faber ad tit. de orig. iuris.

VIII. Captiuorum ad tumulos iugulatio.

AD sepulchra virorum fortium captiuos necabant: quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulchra dimicare: qui à bustis bustuarij dicti. De hoc more Tertullian. lib. de spectacul. Nam olim quoniam animos defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captiuos, vel malo ingenio seruos mercati in exequijs immolabant: postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos parauerant, armis quibus tunc, & qualiter poterant eruditos, tantum vt occidi discerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant: ita mortem homicidijs consolabãtur. Hæc muneris origo. Notauit idem Faber Semestrium lib. 2. cap. 10.

IX. Senatus in dijs recipiendis auctoritas.

Nemini

NEmini, ne Imp. quidem sine senatus aucto-ritate priuatas inducere religiones, aut nouum aliquem deum consecrare, ipsiusque memoriæ; statuæue diuinum numen, & cultum tribuere apud Romanos fas fuit. Ita deus non erat, quem homo consultus noluisset, & nolendo damnasset, vt Tertullian. ait. Idem Semest. lib.3.cap.1.

X. *Cubare in floribus.*

AMabant delicatiores cubare in floribus, puta, rosa, lilio, croco, violis, hyacinthis, & narcissis. Lamprid. in Elagabalo. Strauit & triclinia de rosis, & lectos. Trebell. in Gallieno. Veris tempore cubilia de rosis fecit Claudian. delecto geniali, *roseisq́, cubilia surgunt Floribus.* Tales sunt, quæ *νυμφῶν εὖναι* dicuntur. Casaubon. in Spartian.

XI. *Pœna falsi testis.*

IN India falsis testibus extremi digiti, quibus falsum testimonium scripto consignassent, detruncabantur. Strabo lib.15.

XII. *Rasura capilli, & barbæ.*

LAcedæmonij barbam, & à fronte capillum radebant: eundem à tergo summittebant, quò tutiores in pugna essent, adimereturq́; hosti facultas capillo, aut barba apprehendendi. Pierius lib.32.

XIII. *Vsus velorum varius.*

VElum obtendebatur foribus cubiculi imperatorij, vt oculos arceret. Lamprid. de Elogabalo. Qui subitò militum strepitu exterritus, in angulum se condit, obiectuque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit. Videntur autem in palatio frequentia fuisse vela: tum quia Sueton. scribit prætensa fuisse foribus etiam solárij vela; tum quia velariorum præfidatum, & præfecturam in domo Augustana fuissé liquidum est. Barbari quoque Principes conclauium fores velis obtexerunt. Et causa quidem fuit, vt velum visum arceret: sed alia propior, & pæne sola, ratio venerationis, quæ & in priuatorũ ędibus pro suo modo fuit. Deorum sanè simulachra antiquitus obiecto velo abdebantur. Hoc autem à diabolo fuit, qui velum tabernaculi, & velum templi ridiculè voluit æmulari. A simulacris velamentorum obiectus transiuit ad consistoria Iudicum. Ab his ad limina Grammaticorum. In summa, quidquid abdendum fuit, velo condebatur. Lege Laurent. Pignorium de Seruis, à. pag. 233.

XIV. *Tituli affixi possessionibus.*

VEtustis temporibus mos erat singulis domibus proprium titulum affigere, qui veri, & legitimi possessoris nomen indicaret. Chrysolog. serm. 154. Sicut dominos prædiorum liminibus affixi tituli proloquuntur, &c. Augustin.

in

In Psal. 21. Quando potens aliquis inuenerit titulos suos, nonne iure rem sibi vendicat, & dicit: non poneret titulos meos; nisi res mea esset. Titulos meos posuit, mea res est. Inde origo appellandi titulos ecclesias, & parochias: quo sensu loquuntur auctores Ecclesiastici sæpissime, maximè Anastasius Biblioth. de vitis Pontificum: vt in Anacleto. Hic titulos in vrbe Roma dimisit presbyteris. Et in Marcello. Viginti quinque titulos in vrbe Roma constituit, &c. Iuret. Notis ad Auctar. Symmachi.

XV. *Pili in naribus.*

STudiosi elegantiæ, & compti pilos intra nares pullulantes extirpabant. Ouid. *Inq; cana nullus stet tibi nare pilus.* Festus. Vibrissæ pili in naribus hominum; dicti, quod his vulsis caput vibratur. Et hoc est lauti hominis indicium: vt horridi, & incompti pilos naribus non euellere. Iuuenal. sat. 14. *Sed caput intactum buxo, naresq; pilosas Adnotet.* Sauaro in ep. 2. lib. 1. Sidonij.

XVI. *Antemeridianum, & pomeridianum tempus.*

ANtiqui res operæ leuioris in postmeridianas horas transferebant, grauioribusque negotijs matutinas impendebant. Seneca de Trãquil. animi cap. vlt. Symmach. ep. 17. lib. 1. Plutarch. rerum Rom. cap. 84. Idcirco Virgilio melior diei pars matutina dicta est 5. Aeneid.

Nunc adeo melior quoniam pars acta diei, id est, maior & prima, consignante Seruio: quibus ius pro tribunali dicebatur, neque postmeridianis horis dicere ius fas erat. Idem ibid. Nullus extat liber Plutarchi, qui Rerum Romanarum inscribatur. Videndum igitur, quem indicet Saguaro, & an cap. recte citet.

XVII. *Accusatores sordidati.*

ACcusatores Iudicum oculis sordidatio buersabantur, impexi, squalidiq; incedebât, vt inuidiam reis facerent. Seneca lib. 10. Controuers. 1. Sordidatus es, non queror: sed si sordes tuæ inuidiam mihi concitant. Quintil. declamat. 283. Quis est iste filij habitus? quæ sordes? quid mihi hanc inuidiã facit? Zeno Veronens. Serm. de Iob. Quo nuntio accepto dei seruus scidit vestimenta sua, non vt deo inuidiam faceret; sed vt expeditus cum hoste pugnaret. Idem in epist. 7. lib. 1.

XVIII. *Aurum, & purpura vetita mulieribus.*

EVstathius in Iliad. 1. testatur apud Syracusanos lege cautum fuisse, ne aurum, aut purpuram ferrent mulieres, nisi impudicitiam professæ: quod & apud Lacedæmonios valuisse testatur Clem. Alex. lib. 4. Pædagogi. Muret. in Oeconom. Aristot.

XIX. Μακροκέφαλοι.

Narrat

NArrat Hippocrates de populis quibuſdam, qui ex re macrocephali vocantur, apud quos qui longiſſimo capite erant, nobiliſſimi habebantur. Statim igitur vt in lucem editus erat puer, caput illius adhuc molle, ac tenerum manibus comprimebant: tum ita alligabant faſcijs, vt naturalis illa capitis rotunditas plane tolleretur, cogereturque caput in longitudinem creſcere. Longam autem conſuetudinem tandem vertiſſe in naturam, ita vt longo, & acuto, & aliorum omnium populorum diſſimili capite naſcerentur. Muret. in 1. Platonis de Repub.

XX. *Arborum cultus.*

AD ſacras arbores, id eſt, quibus cultum diuinum exhiberi vellent, lucernas ſuſpendebant. Prudent. contra Symmach.

Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Suſtinuit, cadit vltrici ſucciſa bipenni.

Simulacrorum quoque aut deorum in morem coronatæ, vnctæque, & velatæ, vt eſt diſcere ex Theocrito eidyll. 18. De vittis Arnob. quoque lib. 5. aduerſus gentes. Inde, inquit, natum, & ortum eſt nunc etiam ſacras velarier, & coronarier pinos. Et infra. Quid lanatum vellera, quibus arboris colligatis, & circumuoluitis ſtipitem, &c. Idem cap. 19.

XXI. *Regum Hungariæ initiatio.*

QVæ cærimoniæ antiquitus in regibus Hungariæ inaugurandis obſeruarentur, tradit

Petrus Bizarus Historiæ Genuensis lib. 23. Vnicam memorabo. Consecratione peracta apud Albam regalem, sedem videlicet regum, sublatus in equum, postquam ciuitatem lustrauisset, extra portam ad D. Martini ædem progressus, ibique altissimam turrim conscendens, & quam maximè poterat, protenso extra turrim brachio, ad quatuor mundi partes nudatum ensem porrigebat, quasi vndique regnum tutaturus: aut certe illius fines, & ditionem propugnaturus.

XXII. Viri vxoribus dotem dabant.

GOthi magna seueritate matrimonia sua obseruantes, vxores suas in tori socias, & pares labores, non in dominas, siue ad delicias assumere consueuerunt. Proinde apud eos non mulier viro, sed vir mulieri dotem assignat: ne coniux ob magnitudinem dotis insolescens, aliquando ex placida consorte proterua euadat, atque in virum dominari contendat: sed castissimam illam Lucretiam iugiter imitando, lanæ, texturæque dedita sit, semper ad viri imperium parata nunc hæc, nunc illa difficillima negotia domi, & foris administrare, perinde ac si virilem fortitudinem haberet. Ioan. Mag. hist. Gothicæ lib. 7. cap. 9. Germanos quoque veteres hunc morem tenuisse, & qualem dotem sponsis dederint, docuimus Parte I. Ritu LXIX.

Tacit. de moribus Germanorum. Dotem nō vxor marito, sed vxori maritus affert. Intersunt paren-

parentes, & propinqui, ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quæsita, nec quibus noua nupta comatur: sed boues, & frænatum equum, & scutum cum framea, gladioq;. In hæc munera vxor accipitur, atque inuicem ipsa armorũ aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hoc coniugales deos arbitrantur. In mulieres dotem bonam viro afferentes, & ob id sumptuosas ac superbas quomodo inuehatur Megadorus, vide Aulul. Plauti.

XXIII. *Pugnis olim, non armis decertabant.*

INter ipsos quoque aduersarios, vt scitis, non erant prius armata certamina; sed pugnis se quamuis feruida lacessebat intentio. Vnde & pugna nomen accipit. Postea Belus ferreum gladium primus produxit; à quo & bellum placuit nominari, Consilium atrox, crudele præsidium, ferina certatio. Nam etsi datum illi est prius inermem facile vincere, tamen crimini applicandum est, quod inde posteritas potuit interire. Non permittatis ergo in famulis vestris fieri, quod adhuc debet in hostibus accusari. Cassiod. variar. lib. 1. epist. 30.

Affinis plane his locus Tibulli eleg. 10. lib. 1. quo inuentionem gladij, & prælia detestatur.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus, & verè ferreus ille fuit?

Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata:
Tunc breuior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra
Vertimus, in sæuas quod dedit ille feras.

XXIV. *Pontif. Rom. auctoritas in Imperatores.*

OLim Impp. non passi viuere Pontifices, ad supplicia eos deuocabant: & Græculi, postquam apud eos extincta stirpe Constantini, & deinde Magni Theodosij, non habuere Romanum Pontificem, nisi quem ipsi confirmassent. Mutatæ sunt rerum vices, vt non habeatur Imp. nisi quem Rom. Pont. confirmarit, & consecrarit. *Domini est terra, & plenitudo eius*: ipse transfert regna, & imperia, dignissimeque ad suum in terris Vicarium hoc sacrum ministerium delegauit. Crantzius Metropolis lib. 1. cap. 14. vbi & de coronatione Caroli M.

XXV. Λαμπαδοχία, & Λαμπαδοδρομία.

CErtaminis genus fuit apud Athenienses, Faces accendebant ex ara, easque manibus gestantes currebant, quàm poterant longissimè, & incitatissimè. Quorum faces extinctæ erant, quiue in cursu defecerant, quiue serius ad destinatum locum peruenerant, pro victis habebantur. Meminit Pausan. in Atticis. Certare autem

sol

Solebant hoc modo in sacris Promethei, qui ferula correptum ignem, ne extingueretur agitãs, è cælo ad homines detulisse putabatur. Item in sacris Vulcani, quod is deus igni præest. Et in sacris Mineruæ, cui tribuebant curam, & inuentionem artium. Artes autem omnes indigent igne. Vnde est apud Æschylũ παντέχνου πυρὸς σέλας. Qui autem curriculum suum confecerant, ordine aliis lampadas tradebant. Vnde illud elegantissimè dictum à Platone 6. de Legib. γεννῶντάς τε, καὶ ἐκτρέφοντας παῖδας, καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδιδόντας ἄλλοις ἐξ ἄλλων; quem locum ita expressit Lucret. lib. 2.

-------- sic rerum summa nouatur.
Semper, & inter se mortales mutuà viuunt,
Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur:
Inq; breui spatio mutantur secla animantum,
Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Muret. in 1. de Repub. Platonis. Quærit ibidem, & caussas profert, cur & in Dianæ sacris vt ita certaretur institutum fuerit. Videntur autem Athenienses non tantum in Dianæ, seu Proserpinæ, sed & in Cereris sacris λαμπαδοφορίαν adhibuisse. Id quod apertè significat Statius 4. Syluarum his versibus.

Tuque Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo
Votiuam taciti quassamus lampada mystæ.

XXVI. *Pro canibus venaticis læsis, & λυκοκτόνοις prærogatiua.*

Malaus

MAinus Rex Scotorum III. constituit, si quis venaticorum canum intra venandum oculum, aliudue membrum amisisset casu, quo minus foret vtilis, publicè aletetur. Item, qui lupũ occidisset, bouem acciperet præmium de publico: quòd ea bellua rei pecuariæ maximè sit infesta. Hector Boetius histor. lib. 2.

Ouibus præsertim infestum genus luporum. Ac si vel in altera ripa ouis lupum conspexerit, tremere dicitur. Compertum est, agnos ad solum vlulatũ luporũ exanimatos fuisse. Hinc illa prouerbia, Ouem lupo cõmittere. Et apud M. Tullium 2. Phipp. ô præclarum custodẽ ouium, vt aiunt, lupum. Horat. Ode 4. Epod.

Lupis & agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.

XXVII. *Aues & μηνίσκοι in capitibus simulacrorum.*

SOlebant prisci aues vnicuique deo sacras in capite eius simulacri collocare. Vnde Aristoph. Videbatur mihi Minerua ex vrbe venire, & noctua ei insidere. Minerua autem etiam aliquando noctuam manu tenebat: aliquando ei, vt & draco, ad pedes astabat.

Μηνίσκους, seu lunulas capitibus statuarum, ac deorum suorum in templis imponere solebant, ne auicularum insidentium fimo inquinarentur.

XXVIII. *Digitis computabant.*

Digitis

DIgitis antiqui numerabant. Seneca epiſt. 88. Numerare me docet Arithmetica, & auaritiæ commodare digitos. Idem lib. 3. de. Ira cap. 33. Valetudinarius fœnerator diſtortis pedibus, ac manibus ad cōputandum modò relictis. Tertullian. in Apolog. cum digitorum ſupputatorijs geſticulis aſſidendum eſt, &c. Sauaro in epiſt. Sidonii 9. lib. 9.

XXIX. *Balnea erant obſcura.*

CRedo veteres pudoris ergo balnea intraſſe obſcura, ne ſe nudos viderent, & viderentur: poſteaquam inualuit vt eſſent lucida, & luminoſa, lux balnearis, ſolisque lumen verecundos compellebat ſe plus putare quàm nudos, vt ait Sidonius, ſcilicet ſub cælo, tanquam ſub oculis dei nudos eſſe. Clemens Alexand. Pædag. li. 3. cap. 5. Hieronymus ad Lætam. Mihi omnino in adulta virgine lauacra diſplicent, quæ ſeipſam debet erubeſcere, & nudam videre non poſſe. Et hoc Sidonius ait (plus quam nudos) propter velanda corporis, quæ nec in balneis detegi debent. Ambroſ. 1. Off. cap. 18. Licet plerique ſe & in lauacro quantum poſſunt tegant, ne vel illic, vbi nudum totum eſt corpus, huiuſmodi intecta portio ſit. Auguſtin. 14. Ciuit. Omnes gentes adeo tenent in vſu pudenda velare, vt quidam barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant. Olim igitur balnea per rimas tantum diem admittebant, erantque tenebricoſa, & obſcura

ſcura vt diximus. Seneca epiſt. 86. Balneolum anguſtum, tenebricoſum ex conſuetudine antiqua. Idcirco blattaria vocabantur balnea, id eſt, cæca & lucifuga. Blattæ enim Virgilio 3. Georg. & Columellæ lib. 9. cap. 7. lucifugæ dicuntur. Seneca, paulo poſt. At nunc blattaria vocant balnea, ſi qua non ita aptata ſunt, vt totius diei ſolé feneſtris ampliſſimis recipiant, id eſt, ſolidum diem. Plin. lib. 1. epiſt. 3. Quid balneum illud, quod plurimus ſol implet, & circum it? Idem Sauaro in epiſt. Sidonii 2. lib. 2.

Quatuor de cauſſis poſſe balnea vſurpari docet Clemens Alex. Pædagogi lib. 2. c. 9. ob munditiem, calorem, ſanitatem, voluptatem. Voluptatis cauſſa lauare, reiiciendum. Munditiei, & ſanitatis lauent mulieres. Viri tantum ſanitatis. Caloris cauſſa lauare ſuperuacaneum, cum quod frigore horridum euaſerit, poſſit aliter recreari.

XXX. *Cruditates balneis decoctæ, & potiones ſudoribus exſuctæ.*

VEteres caldariis vt plurimum vtebantur, vt cruditatem decoquerent. Horat. epiſt. 6. lib. 1. *crudi tumidiq; lauemur.* Iuuenal. ſat. 1. *&* *crudum pauonem in balnea portat.* Plin. lib. 29. c. 1. balneas ardentes, quibus perſuaſere in corporibus coqui cibos. Collumell. in præfat. ad Syluinum. Mox deinde vt apti veniamus ad ganeas, cottidianam cruditatem laconicis excoquimus, & exſucto ſudore ſitim quærimus. Poſidonius

medi-

Medicus apud Aëtium lib.6.cap.10. cibos vt balneis calidis excoquebant, ita potiones sudoribus exsugebant. Idem in epist.9.lib.2.

XXXI. *Vestes à fœminis nobilibus conficiebantur, & donabantur.*

MAtronæ nobiles, aut heroinæ priscæ vestes filijs, maritis, amicisq; discedētibus, manibus propriis confectas dabant. Pluribus Poetarum locis id demonstrat Dempsterus Additionibus, seu Auctario ad Antiquit. Rom. Rosin. lib. 1.pag.33. Diximus & nos nonnulla in Symb. Virgilianis. Vestem Alex. M. à sororibus confectam scribit Curtius lib. 5. Xerxes donatur amiculo ab Amestri vxore, quod ipsa texuerat. Herodot. Colliope. Lænam gestat Æneas lib. 4. à Didone confectam.

XXXII. *Principes ceu deos honorabant, eorumque responsa, & rescripta oracula nominabant.*

NOn modò aras, flamines, templa, statuas, imagines, & sacrificia ad modum cęlestium deorum Principibus suis decernebant olim, sed etiam rescripta eorum, & responsa pro oraculis habebant, & ita vocabant. Iornandes de rebus Geticis, donatione sacro oraculo confirmata. Sueton. Nerone cap. 21. flagitantibus cunctis cælestem vocem respondit, in hortis copiam sui

volen-

volentibus factum. Omitto Tacitum, Cassiodorum, Symmachum, quos ad idem probandũ citat idem Dempsterus eodem libro.

XXXIII. *Ignis præferebatur Imperatoribus in lucernis.*

DE igne in lucerna Imperatori prælato, à nullo hactenus animaduerso, locus est insignis apud Corrippum Africanum de Iustino Principe in ludos Circenses prodeunte, lib. 2. num. 8. *prænuntius ante Signa dedit Cursor, posita de more lucerna.* Signum ergo illud erat Cæsarem aduentare, quoties Cursores lucernas prætulissent, quas in circo ponebant, veluti sacræ, & non violandæ maiestatis indicium. Sequitur enim apud eundem poetam.

Exoritur lætum iucunda per agmina murmur,
Intentos oculos ad sedem vulgus herilem
Extulit assurgens, quoniam plebs læta videre
Felicem dominum summos cupiebat amore.

Idem ibid. De igne prælato lege Alex. lib. 1. cap. 28. ibid. Tiraquell. Moris huius nemo scriptorum nec Græcorum, nec Latinorũ veterum, præter vnum Herodianum in Cõmodo meminit. Ignis ille lampas tantum fuit. Origo à cultu deorum, in quo adhibitæ lucernæ, & faces. Item à Persis: illorum enim regi prælatus ignis, &c. Lipsius Excurs. ad 1. Annal. Taciti. A.

XXXIV. *Garrulitas, & furta in balneis.*

In

IN balneis carmina recitabant, & ea quæ inaudierant referebant. Quare nomine garrulitatis balneatores notabantur. Illic enim, vt in tõstrinis, desident otiosi, quidlibet garrientes; quorum assiduo conuictu, vti tonsores quoque, hoc morbo inficiũtur. Vide prouerb. Lippis, ac tonsoribus notum. Furta in balneis frequenter cõmittebantur. Eorum furum meminit Tertullian. libr. de fuga in persecut. & de Idololatria. Catull. in epigram. *O furum optime balneariorũ.* Romæ pœna huiusmodi furibus duplionis statuta, Athenis mors. Legẽ Victorium lib. 7. cap. 17. Idem Dempster. ibid.

XXXV. *Stare, & sedere in sacris. Sedes pro sepulchro.*

DEos adorantes stabant erecto corpore. Martial. lib. 12. epig. 78.

Multis dum precibus Iouem salutat,
Stans summos resupinus vsque in vngues
Aethon in Capitolio.

At in parentali, seu funebri solemnitate operantes sacris sedebant. Curt. lib. 8. Assidebat ei vna ex neptibus, nuper amissum Hephæstionem, cui nupserat, lugens. Martial. lib. 2. epig. 41.

Te mœstæ decet assidere matri
Lugentiq́ virum, piumq́ fratrem.

Tibull. 2. eleg. 7.

Illius ad tumulum fugiam, supplexq́ sedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.

Propert. 3. eleg. 15.

Afferat huc vnguenta mihi, sertisq́ sepulchrum
Ornabit, custos ad mea busta sedens.

Ab hac consuetudine dimanauit, vt sedem pro sepulchro, seu tumulo vsurpemus. Sidon. Apollinar. lib. 2. ep. 8. perpetuis sedibus dormienti similior illata est: ad quem locum vide Sauaronem. Vetus marmoris cuiusdam fragmentum. HANC SEDEM SIBI VIVI POSVERVNT. Et epigramma vetus.

Lauini coniux Petronia, forma pudoris,
His mea descedens sedibus ossa loco.
Parcite vos lacrymis dulces cum coniuge natæ,
Viuentemq́ deo credite flere nefas.

Claudian. de bello Getico. *delubra Numæ, sedemque Quirini.* Virgil. 6. Æneid. *Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro.* Ibidem, *quam sedibus ossa quierunt.* Porrò sedem hanc perpetuam appellauit Sidonius supra, è qua scilicet ossa transferri inconsulto sacrorum rege, aut pontifice nefas erat: non quod corpora non resurgant: sed vt discrimen sit inter temporarium sepulchrum, & æternum, &c. Idem lib. 3. pag. 159. col. 1.

XXXVI. *Christianæ religioni adscripti pallium gestabant.*

PArum interest apud Christianos, quo quis habitu incedat: pallio tamen vsos qui initiabantur religioni Christianæ, postposito omni

alio

llio vestitu, Indicat argumentum libri Tertuliani de Pallio: & hic præsertim locus cap. 4. Suadeo reuerere habitum, vnius interim erroris tui renuntiatorē. Et postrema verba libri. Gaude Pallium, & exulta, melior iam te philosophia dignata est, ex quo Christianū vestire cœpisti. Similem habitus mutationem in nouis Christianis indicat Origenes apud Eusebium lib. 6. hist. Ecclesiast. cap. 13. cum de Heracla dicit, illum exuta veste vulgari, & cōmuni habitum assumpsisse philosophicum. Et quoniam pallium erat Græcorum gestamen, vt toga Romanorum, & Christiani frugalitatis gratia pallio vtebantur tanquā veste simpliciore & philosophica, factum est vt vulgari conuicio, qui nostris sacris initiati essent, Græci vocarentur: & ab iniectione pallij, quod tunicæ super imponebant, etiam imponentes, aut, quod magis volebant, impostores. Et quoties Christianus aliquis prodiisset, statim illud è triuio audiebat, γραικὸς ἐπιθέτης, vt scribit etiam D. Hieronym⁹ epist. ad Furiā de viduitate. Leonard. Coquæus Comment. in Augustin. Ciuit. lib. 19. cap. 19.

XXXVII. *Maiestas, & Deuotio à diis ad homines.*

MAiestas proprie diuina exaudiēda est. Quare apud Sueton. cap. 22. inter flagitia Caligulæ ponitur, quod maiestatem sibi diuinam asserere cœpisset. Post ad homines translata est.

Sueton. in Vespasiano cap. 7. Auctoritas, & quasi maiestas quædam, vt scilicet inopinato, & adhuc nouo Principi, adhuc deerat. Denique pro dignitate, & grauitate vox accepta est. Ouid. 1. Metam. *Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur Maiestas, & amor.* Quemadmodum autem maiestas de Imperatoribus, ita deuotio de subditis dicta. Constantinus M. epist. ad Albanium Præf. Pr. in Actis Concilii Arelat. primi. Cum deuotionis tuæ scripta legissem. Euseb. lib. 9. Hist. Hoc tibi præcepit Imp. διὰ τῆς ἐμῆς καθοσιώσεως, per meam deuotionem. Ambros. ep. 27. Baulo Imp. deuotionem exhibuit. Notæ P. Diaconi. D. D. N. M. Q. E. dicatus, deuotus numini, maiestatique eius. Plura Bulengerus de Imp. Rom. lib. 1. cap. 37.

XXXVIII. *Ad imagines, & statuas Impp. perfugium.*

TAnta in dignatione, & reuerentia fuere imagines, ac statuæ Principum, vt pro asylo, sicut templa, & aræ essent. Tacitus lib. 3. Dabatur deterrimo cuique licentia impunè probra, & inuidiam in bonos excitandi, accepta imagine Cæsaris, &c. Neq; ipse audeat ius experiri ob effigiem Cæsaris oppositam. Edixere triumuiri, nè quis, qui impunitatis caussa in templum D. Iulij confugisset, inde elici, vel abripi posset, quod ante ne deo quidem cuiquam concessum, exceptis iis quæ ad Romuli asylum pertinent. Seneca lib.

1. de Clement. Seruis ad statuam licet confugere, cum in seruos omnia liceant. Sueton. in Aug. Antonium iuuenem simulacro D. Iulij, ad quod post multas & irritas preces confugerat, abreptum interimit. Tacit. lib. 1. Senatores ad deos, ad effigiem Augusti manus tendere. Idem Bulégerus lib. 2. cap. 14.

XXXIX. *Acclamabant Imperatoribus.*

Acclamari solitum Imperatoribus, lippis & tonsoribus notum. Paul. Diacon. lib. 8. ob Pertinacis laudem ingeminatis ad vocis vsque defectum plausibus acclamatum est. *Pertinace Imperatore securi viximus, neminem timuimus, patre pio, patre senatus, patre omniũ bonorum.* Erat aliquis, qui formulam acclamationis conciperet veluti præcentor, reliqui voces ab eo acceptas reddebant. In Actis adnotatum quoties quidq; fuisset repetitum Dictum quinquies. Dictum vicies. Trebellius in Claudio, sexagies, octuagies idem acclamatum. Quem acclamandi morem vetus Ecclesia vsurpauit, populus in sacris conuentibus, Patres in Synodis, referebantque per Notarios in acta synodica, & in gesta Ecclesiastica, &c. Idem lib. 2. cap. 35. Denique sciendũ, Imperatoribus acclamari solitum vel in consilio à senatu, vel à militibus in triumpho, vel à populo in theatro, vel à tota vrbe, si noui quippiam, & reipub. atque imperio vtile, & salutare egissent.

XL. *Canebant ad myrtum.*

MOs fuit in cõuiuiis, circumlato ramo myrti, vnumquemque discubentium ad cantandum excitare. Singuli enim conuiuarum accepto in manus myrti ramo partes canebant suas. Quem morem Plut. in Sympoſiacis latè diſputat. Pierius lib. 50.

XLI. *Auorum nomina imponebantur filiis.*

GRæcorum conſuetudo fuit quam plerique etiam hodie tenent, vt patris ſui nomen alicui ex filiis ſuis imponant: quo auorum in nepotibus memoria renouetur. Sic Nicias Nicerati filius, vt ſupra diximus, Niceratum habuit filium. Sic in Lyſide, Lyſis Democratis filius, Lyſidis nepos. Ariſtoteles Nicomachi filius filium ſuum Nicomachum vocauit. Sic ſenex ille è Nubibus, cũ vxor nato filio aut Xantippo, aut Charippo, aut Callipedæ nomen eſſe vellet, ἐγὼ δὲ, inquit, τοῦ πάππου τίθεμαι Φειδωνίδην. Ego eum aui nomine appello Phedoniden. Romæ autem fere, qui primus filius ſuſceptus erat, ei patris prænomen imponebatur. Muret. in 1. de Repub. Plat.

XLII. *Signa Dædala.*

PRiſci lignea ſigna dædala vocabant. Quod ſanè moris ante Athenis natum Dædalum Palemaonis filium vſurpatum crediderim: qui poſt

post à dædalis (ligneis scilicet simulacris) non autem proprio, ac germano nomine Dędalo ipsi cognomen impositum fuisse arbitror. Pausan. libr. 9. Idem de Dædalo multa in Achaicis, seu lib. 7.

Præstantissimus faber, & artifex fuit Dędalus. Verùm signa Dædala priscis à δαιδάλλειν, quod est variare, dicta opinor, ob, varietatem nimirum artificiosam qua constarent. Sic Lucretio Dædala tellus, dædala lingua, natura dædala rerum, Ennio dædala Minerua, Virgilio Dædala Circe, dædala tecta, omnia hæc à varietate in qua elucet artificium.

XLIII. *Crines fluminibus detondebant, & sacrabant.*

VErba sunt Pausaniæ in Atticis. Iuxta fluuiū (Cephissum) simulacra duo sunt, alterum filii, Cephisso crinem suum detondentis. Fuisse verò patrium Græcis omnibus crinem fluminibus tondere, ex ijs Homeri versibus conijcias, in quibus est, Peleum Sperchio pro fælici Achillis à Troia reditu crinem vouisse. Aiax Telamonius Ilisso flumini crinem vouet. Philostrat. iunior in eius icone.

XLIV. *Bestiæ Romam deuectæ.*

BEstiæ ex Africa Romam deuehi solebant ad exhibenda pop. Rom. spectacula; in quibus vel conficerentur ab hominibus, in eam tē

operas locantibus: aut gratis, & virtutum ergò depugnantibus: vel inter se ipsæ committerentur. Faber Semest. lib. 2.

XLV. *Iuramentum admotis ad ceruices ensibus.*

IN nomen Imperatoris sollemniter iurabant milites. Veget. lib. 2. Id fiebat interdum admotis ad ceruices gladiis, vt est apud Marcellin. lib. 21. Vide & lib. 17. vbi de militibus Iuliani loquitur in hæc verba. Iussique vniuersi in eius nomē iurare sollemniter, gladiis ceruicibus suis admotis, sub exsecrationibus diris verbis iurare cœperunt conceptis, omnes pro eo casus quoad vitam profuderint, si id necessitas exegerit, perlaturos. Idem de Magistrat. Rom.

XLVI. *Interior carceris custodia.*

IN carcere interior quædam, & tutior custodia erat, quæ dicebatur barathrum: eò capitalium rerum damnati compingebantur. Tullianum Sallustio in Catilin. Idem Semest. 2.

Describitur autem Tullianum his verbis. Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur, vbi paululum ascenderis ad læuam, circiter XII. pedes humi depressus. Eum muniunt vndique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus vincta: sed incultu, tenebris, odore fœdo, atque terribilis eius facies. In eum locum postquam demissus Lentulus, vindices rerum capitalium,

talium, quibus præceptum erat laqueo gulam frangere.

XLVII. *Pœna ducum suos non sepelientium.*

APud Athenienses in eos duces capite animaduertebatur, qui re alioqui præclarè gesta, & administrata, suorum tamen in acie trucidatorum corpora non tumulassent. Diodorus lib.5.

XLVIII. *Cœnæ, & dies sollemnes.*

SOllemnes cœnæ aut simul omnium, aut singulorum ciuium habebantur. Nam sollemnes quoque dies vniuersis publicè, aut singulis ciuibus, eorumque genti, ac familiæ fuerunt. In sollemnibus primi generis ponebant Kalend. Ianuarias, hilaria matris Deûm, ludos Apollinares, Iouis epulum, & Saturnalia. Lamprid. in Alex. Seuero. Secundi generis fuerunt dies, velut sponsaliorum. Sueton. in August. cap. 53. repotiorum, natalitiorum, charistiorum, & aliorum huiusmodi &c. Faber Semest. lib. 1. cap. 6.

XLIX. *Conuiuium ab Imperatoribus & Consulibus.*

MOris fuit ab Imp. triumphaturo Consules inuitari ad cœnam: deinde rogari, vt venire supersederent; ne qui eo die, quo ille triumphauerit, maioris sit in eodem conuiuio imperij. Valer. lib. 2. cap. 3. Vnde intelligimus, qui

triumphum ducerent, eo die ciuibus, & magi-stratibus, & senatoribus conuiuium præbere solitos, prandium triumphale. Imitati sunt hoc Imperatores Romani, quo die Augustorum appellationem reciperent: Consules etiam ipsi consulatus die. Idem eod cap.

L. *Scenici Romæ infames.*

ROmani quamuis illos deos colerent, quos videbant sibi voluisse scenicas turpitudines consecrari: suæ tamen dignitatis memores, ac pudoris, actores talium fabularum nequaquam honorauerunt more Græcorum: sed sicut apud Cic. Scipio loquitur, cum artem ludicram, scenamque totam probro ducerent, genus id hominum non modo honore ciuium reliquorum carere, sed etiam tribu mouere notatione censoria voluerunt: sicut à B. Augustino de Ciuitat. lib.2. cap.13. traditur. Idem Agonistico lib.1.c.3. Vide Bud. Pand. Coquæum in locum August. Sauaronem in epist.13. Sidonij lib.3.pag.216. Qui personas agunt in dramatis, histrioniam facere Plauto dicuntur, id est, exercere artem histrionicam; vt facere mercaturam, vellaturam, scriptum, & similia: ipsi verò actores, scenici, ludiones, histriones, & ὑποκρίται, quasi dicas simulatores: verè enim simulant id quod nō sunt. Faciunt huic loco verba Pseudomercurij in prologo Amphitruonis, timentis sibi, & Pseudoioni, ne vt male simulantes, quia homines meri, exsibilentur:

Etenim

Etenim ille cuius huc iussu veni Iupiter,
Non minus quam nostrũ quiuis formidat malũ,
Humana matre natus, humano patre,
Mirari non est aequum, sibi si praetimet.
Atque ego quoque etiam, qui Iouis sum filius,
Contagione mea matris metuo malum.
Propterea pace aduenio, & pacem ad vos affero.

LI. *Pallium insigne Monachorum.*

MOnachorum insigne fuit pallium, vt philosophorum. Nam & ipsam vitam monachorum καὶ ἄσκησιν Graeci Patres Philosophiam nominarunt, &c. Sirmondus in epist. Sidonij. Quam varie monachi pro locorum discrimine, & viuendi instituto seueriore à Graecis Patribus nominentur, declarat Notis in vitam Athanasij Haeschelius pag 124.

LII. *Asini floribus coronati.*

COnsualibus festo Neptuni asini non minus quàm equi coronabantur floribus. Non immeritò, quippe qui tot, tantisque laboribus in varios vitae humanę vsus exercentur. Mox recensiti huius animantis labores, pag. 11. Passeratius in encomio Asini, ex Plutarchi Quaest. Rom. q. 48. Laboriferum animal asinus, & ob id coronandus floribus, coronatur fustibus, vt Plautus loquitur. Sed has coronas pigritiae suae acceptum ferat licet: quem imitantes idem cum eo nomen honoris causa sortiuntur.

AD deprehendendum ſcilicet quibus in locis nemorũ, montium, vallium oberrent paſcendo, atque hac ratione longæ labor inquiſitionis abſit, Præterea exiſtimant tintinnabuli ſono pecora perinde ac tibiæ gaudere, & pingueſcere. Plura de hoc cap. 8. Hieron. Mag. lib. de Tintinnabulo; quem è Cypro captiuus Conſtantinopolim abductus, ibidem Legato Cæſareo obtulit, ſperans ſe illius liberalitate è duriſſima ſeruitute exemptum iri. Sed virum ingenio, & doctrina præſtantem ſpes fruſtrata eſt. Quem deinde Mahometus Baſſa præfocari mãdauit, vt alibi, niſi fallor, enarraui.

LVI. *Plumbea quæ vocarent.*

ROmani cum de viliſſima, minimaque pecunia loquerentur, prouerbij loco vſurpabant plumbeum. Plaut. Trinum. *Cui, ſi capitis res ſiet, nummum nunquam credam plumbeum.* Quod etiam alijs in rebus vi, neruoque carentibus vſurpabant. Cic. ô plumbeum pugionem, pro argumento leui, ac futili. Plumbeum ingenium, ſtupidum: plumbeum acumen. Vide parœmiam, Plumbeo iugulare gladio.

LVII. *Pilæ compitales.*

PIlæ, vt tradit Feſtus, erant viriles effigies, atq; item muliebres ex lana, quæ compitalibus ſuſpendebantur in compitis, quod hunc diem feſtum eſſe deorum inferiorum putarent, quos

vocant

vocant Lares; quibus tot pilæ quot capita seruorum, tot effigies quot essent liberi, circa compita habitantes, ponebantur, vt essent his pilis, & simulacris contenti, viuisque parcerent. Hisce verò imaginibus nullius omnino pretii vestes circumponebantur. Proinde pannosas etiam quandoque pilas Martialis vocat. Ab harum pilarum similitudine quasi secundæ prodierunt feris obiectæ. Primæ erant compitales, primæ dictæ, quia in principiis viarum, hoc est, compitis ponebantur. Secundæ quæ feris obijciebantur, quæ primùm è stramine fiebant. Martial. lib. 10 in Laurum.

Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas,
Nunc postquam desit ludere, prima pila est.

Rader. noster in Comment.

LVIII. *Anagrammatismi.*

ANagrammatum inuentum Lycophronis, cum Ioannes Auratus, vir nostra ætate paucis conferēdus suscitasset, imperiti homines nihil aliud cōmune cum doctis præter laborem habentes, cui etiam in rebus parui momēti eruditi parcunt, cœpere ita in nominum inuersiones incumbere, vt nihil præter anagrammata in lucem prodiret: pulchrum, & laudabile ducentes, si tandem litterarū, ab aliquo themate primum discretarum compagem reficientes, imperfectas (vt plurimùm contingit) sententias ederent. Claud. Verderius in Censione auctorum.

LIX. *Epostracismus, genus ludi puerilis.*

PVeros videmus certatim gestientes testarum in mare iaculationibus ludere: is lusus est testam teretem, iactatione fluctuum leuigatam legere de littore, eam testam plano situ digitis comprehensam, inclinem ipsum, atque humilem quantum potest vndis irrotare: vt illud iaculum vel dorsum maris raderet; vel enataret, dum leui impetu labitur: vel summis fluctibus tonsis emicaret, emergeret, dum assiduo saltu subleuatur. Is se in pueris victorem ferebat, cuius testa & procurreret longius, & frequentius resiliret. Minutius in Octauio.

LX. *Reges olim vates, & augures.*

OLim reges præstantissimi augurijs & prædictionibus claruerunt: & se suosque liberos iis disciplinis erudiri curauerunt. Quid Asiæ rex Priamus, nonne & Helenũ, & Cassandram filiã diuinantes habebat? Quid? Polybum Corinthiũ nonne Homerus & aliis multa, & filio ad Troiam proficiscenti mortem prædixisse commemorat? Vt enim sapere, sic diuinare regale ducebant; vt testis est nostra ciuitas, in qua & reges augures: & postea priuati eodem sacerdotio prędit rempub. religionum auctoritate rexerunt, &c. Cic. de Diuinat.

LXI

Propert. 3. eleg. 15.

Afferat huc vnguēta mihi, sertisq́; sepulchrum
Ornabit, custos ad mea busta sedens.

Ab hac consuetudine dimanauit, vt sedem pro sepulchro, seu tumulo vsurpemus. Sidon. Apollinar. lib. 2. ep. 8. perpetuis sedibus dormienti similior illata est: ad quem locum vide Sauaronem. Vetus marmoris cuiusdam fragmentum. HANC SEDEM SIBI VIVI POSVERVNT. Et epigramma vetus.

Lauini coniux Petronia, forma pudoris,
His mea descedens sedibus ossa loco.
Parcite vos lacrymis dulces cum coniuge natæ,
Viuentemq́; deo credite flere nefas.

Claudian. de bello Getico. *delubra Numa, sedemque Quirini.* Virgil. 6. Æneid. *Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro.* Ibidem, *quam sedibus ossa quierunt.* Porrò sedem hanc perpetuam appellauit Sidonius supra, è qua scilicet ossa transferri inconsulto sacrorum rege, aut pontifice nefas erat: non quod corpora non resurgant: sed vt discrimen sit inter temporarium sepulchrum, & æternum, &c. Idem lib. 3. pag. 159. col. 1.

XXXVI. *Christianæ religioni adscripti pallium gestabant.*

PArum interest apud Christianos, quo quis habitu incedat: pallio tamen vsos qui initiabantur religioni Christianæ, postposito omni alio

filio vestitu, indicat argumentum libri Tertuliani de Pallio: & hic præsertim locus cap. 4. Suadeo reuerere habitum, vnius interim erroris tui renuntiatorē. Et postrema verba libri. Gaude Pallium, & exulta, melior iam te philosophia dignata est, ex quo Christianū vestire cœpisti. Similem habitus mutationem in nouis Christianis indicat Origenes apud Eusebium lib. 6. hist. Ecclesiast. cap. 13. cum de Heracla dicit, illum exuta veste vulgari, & cōmuni habitum assumpsisse philosophicum. Et quoniam pallium erat Græcorum gestamen, vt toga Romanorum, & Christiani frugalitatis gratia pallio vtebantur tanquā veste simpliciore & philosophica, factum est vt vulgari conuicio, qui nostris sacris initiati essent, Græci vocarentur: & ab iniectone pallij, quod tunicæ super imponebant, etiam imponentes, aut, quod magis volebant, impostores. Et quoties Christianus aliquis prodiisset, statim illud è triuio audiebat, γραικὸς ἐπιθέτης, vt scribit etiam D. Hieronym⁹ epist. ad Furiā de viduitate. Leonard. Coquæus Comment. in Augustin. Ciuit. lib. 19. cap. 19.

XXXVII. *Maiestas, & Deuotio à diis ad homines.*

MAiestas proprie diuina exaudiēda est. Quare apud Sueton. cap. 22. inter flagitia Caligulæ ponitur, quod maiestatem sibi diuinam asserere cœpisset. Post ad homines translata est.

Sueton. in Vespasiano cap.7. Auctoritas, & quasi maiestas quædam, vt scilicet inopinato, & adhuc nouo Principi, adhuc deerat. Denique pro dignitate, & grauitate vox accepta est. Ouid. 1. Metam. *Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur Maiestas, & amor.* Quemadmodum autem maiestas de Imperatoribus, ita deuotio de subditis dicta. Constantinus M. epist. ad Albanium Præf. Pr. in Actis Concilii Arelat. primi. Cum deuotionis tuæ scripta legissem. Euseb. lib. 9. Hist. Hoc tibi præcepit Imp. διὰ τῆς ἐμῆς καθοσιώσεως, per meam deuotionem. Ambros. ep. 27. Baulo Imp. deuotionem exhibuit. Notæ P. Diaconi. D. D. N. M. Q. E. dicatus, deuotus numini, maiestatique eius. Plura Bulengerus de Imp. Rom. lib. 1. cap. 37.

XXXVIII. *Ad imagines, & Statuas Impp. perfugium.*

TAnta in dignatione, & reuerentia fuere imagines, ac statuæ Principum, vt pro asylo, sicut templa, & aræ essent. Tacitus lib. 3. Dabatur deterrimo cuique licentia impunè probra, & inuidiam in bonos excitandi, accepta imagine Cæsaris, &c. Neq; ipse audeat ius experiri ob effigiem Cæsaris oppositam. Edixere triumuiri, nè quis, qui impunitatis caussa in templum D. Iulij confugisset, inde eiici, vel abripi posset, quod ante ne deo quidem cuiquam concessum, exceptis iis quæ ad Romuli asylum pertinent. Seneca lib.

1. de Clement. Seruis ad statuam licet confugere, cum in seruos omnia liceant. Sueton. in Aug. Antonium iuuenem simulacro D. Iulij, ad quod post multas & irritas preces confugerat, abreptum interimit. Tacit. lib. 1. Senatores ad deos, ad effigiem Augusti manus tendere. Idem Bulégerus lib. 2. cap. 14.

XXXIX. *Acclamabant Imperatoribus.*

ACclamari solitum Imperatoribus, lippis & tonsoribus notum. Paul. Diacon. lib. 8. ob Pertinacis laudem ingeminatis ad vocis vsque defectum plausibus acclamatum est. *Pertinace Imperatore securi viximus, neminem timuimus, patre pio, patre senatus, patre omniū bonorum.* Erat aliquis, qui formulam acclamationis conciperet veluti præcentor, reliqui voces ab eo acceptas reddebant. In Actis adnotatum quoties quidq; fuisset repetitum Dictum quinquies. Dictum vicies. Trebellius in Claudio, sexagies, octuagies idem acclamatum. Quem acclamandi morem vetus Ecclesia vsurpauit, populus in sacris conuentibus, Patres in Synodis, referebantque per Notarios in acta synodica, & in gesta Ecclesiastica, &c. Idem lib. 2. cap. 35. Denique sciendū, Imperatoribus acclamari solitum vel in consilio à senatu, vel à militibus in triumpho, vel à populo in theatro, vel à tota vrbe, si noui quippiam, & reipub. atque imperio vtile, & salutare egissent.

XL. *Canebant ad myrtum.*

MOs fuit in cõuiuiis, circumlato ramo myrti, vnumquemque discubentium ad cantandum excitare. Singuli enim conuiuarum accepto in manus myrti ramo partes canebant suas. Quem morem Plut. in Symposiacis latè disputat. Pierius lib. 50.

XLI. *Auorum nomina imponebantur filiis.*

GRæcorum consuetudo fuit, quam plerique etiam hodie tenent, vt patris sui nomen alicui ex filiis suis imponant: quo auorum in nepotibus memoria renouetur. Sic Nicias Nicerati filius, vt supra diximus, Niceratum habuit filium. Sic in Lyside, Lysis Democratis filius, Lysidis nepos. Aristoteles Nicomachi filius filium suum Nicomachum vocauit. Sic senex ille è Nubibus, cũ vxor nato filio aut Xantippo, aut Charippo, aut Callipedæ nomen esse vellet, ἐγὼ δὲ, inquit, τοῦ πάππου τιθέμην φειδωνίδην. Ego eum aui nomine appello Phedoniden. Romæ autem fere, qui primus filius susceptus erat, ei patris prænomen imponebatur. Muret. in 1. de Repub. Plat.

XLII. *Signa Dædala.*

PRisci lignea signa dædala vocabant. Quod sanè moris ante Athenis natum Dædalum Palemaonis filium vsurpatum crediderim: qui

post

post à dædalis (ligneis scilicet simulacris) non autem proprio, ac germano nomine Dædalo ipsi cognomen impositum fuisse arbitror, Pausan. libr. 9. Idem de Dædalo multa in Achaicis, seu lib. 7.

Præstantissimus faber, & artifex fuit Dædalus. Verùm signa Dædala priscis à δαιδάλλειν, quod est variare, dicta opinor, ob varietatem nimirum artificiosam qua constarent. Sic Lucretio Dædala tellus, dædala lingua, natura dædala rerum, Ennio dædala Minerua, Virgilio Dædala Circe, dædala tecta, omnia hæc à varietate in qua elucet artificium.

XLIII. *Crines fluminibus detondebant, & sacrabant.*

VErba sunt Pausaniæ in Atticis. Iuxta fluuiū (Cephissum) simulacra duo sunt, alterum filii, Cephisso crinem suum detondentis. Fuisse verò patrium Græcis omnibus crinem fluminibus tondere, ex ijs Homeri versibus conijcias, in quibus est, Peleum Sperchio pro fælici Achillis à Troia reditu crinem vouisse. Aiax Telamonius Ilisso flumini crinem vouet. Philostrat. iunior in eius icone.

XLIV. *Bestiæ Romam deuectæ.*

BEstiæ ex Africa Romam deuehi solebant ad exhibenda pop. Rom. spectacula; in quibus vel conficerentur ab hominibus, in eam te

operas locantibus: aut gratis, & virtutum ergò depugnantibus: vel inter se ipsæ committerentur. Faber Semest. lib. 2.

XLV. *Iuramentum admotis ad ceruices ensibus.*

IN nomen Imperatoris sollemniter iurabant milites. Veget. lib. 2. Id fiebat interdum admotis ad ceruices gladiis, vt est apud Marcellin. lib. 21. Vide & lib. 17. vbi de militibus Iuliani loquitur in hæc verba. Iussique vniuersi in eius nomẽ iurare sollemniter, gladiis ceruicibus suis admotis, sub exsecrationibus diris verbis iurare cœperunt conceptis, omnes pro eo casus quoad vitam profuderint, si id necessitas exegerit, perlaturos. Idem de Magistrat. Rom.

XLVI. *Interior carceris custodia.*

IN carcere interior quædam, & tutior custodia erat, quæ dicebatur barathrum: eò capitalium rerum damnati compingebantur. Tullianum Sallustio in Catilin. Idem Semest. 2.

Describitur autem Tullianum his verbis. Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur, vbi paululum ascenderis ad læuam, circiter XII. pedes humi depressus. Eum muniunt vndique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus vincta: sed inculta, tenebris, odore fœdo, atque terribilis eius facies. In eum locum postquam demissus Lentulus, vindices rerum capitalium,

talium, quibus præceptum erat laqueo gulam frangere.

XLVII. *Pœna ducum suos non sepelientium.*

APud Athenienses in eos duces capite animaduertebatur, qui re alioqui præclarè gesta, & administrata, suorum tamen in acie trucidatorum corpora non tumulassent. Diodorus lib.5.

XLVIII. *Cœnæ, & dies sollemnes.*

SOllemnes cœnæ aut simul omnium, aut singulorum ciuium habebantur. Nam sollemnes quoque dies vniuersis publicè, aut singulis ciuibus, eorumque genti, ac familiæ fuerunt. In sollemnibus primi generis ponebant Kalend. Ianuarias, hilaria matris Deûm, ludos Apollinares, Iouis epulum, & Saturnalia. Lamprid. in Alex. Seuero. Secundi generis fuerunt dies, veluti sponsaliorum. Sueton. in August. cap. 53. repotiorum, natalitiorum, charistiorum, & aliorum huiusmodi &c. Faber Semest. lib.1. cap.6.

XLIX. *Conuiuium ab Imperatoribus & Consulibus.*

MOris fuit ab Imp. triumphaturo Consules inuitari ad cœnam: deinde rogari, vt venire supersederent; ne qui eo die, quo ille triumphauerit, maioris sit in eodem conuiuio imperij. Valer. lib.2. cap.3. Vnde intelligimus, qui

triumphum ducerent, eo die ciuibus, & magi-stratibus, & senatoribus conuiuium præbere solitos, prandium triumphale. Imitati sunt hoc Imperatores Romani, quo die Augustorum appellationem reciperent: Consules etiam ipsi consulatus die. Idem eod cap.

L. *Scenici Romæ infames.*

ROmani quamuis illos deos colerent, quos videbant sibi voluisse scenicas turpitudines consecrari: suæ tamen dignitatis memores, ac pudoris, actores talium fabularum nequaquam honorauerunt more Græcorum: sed sicut apud Cic. Scipio loquitur, cum artem ludicram, scenamque totam probro ducerent, genus id hominum non modo honore ciuium reliquorum carere, sed etiam tribu mouere notatione censoria voluerunt: sicut à B. Augustino de Ciuitat. lib.2. cap.13. traditur. Idem Agonistico lib.1.c.3. Vide Bud. Pand. Coquæum in locum August. Sauaronem in epist.13. Sidonij lib.3. pag.216. Qui personas agunt in dramatis, histrioniam facere Plauto dicuntur, id est, exercere artem histrionicam; vt facere mercaturam, vellaturam, scriptum, & similia: ipsi verò actores, scenici, ludiones, histriones, & ὑποκριταὶ, quasi dicas simulatores: verè enim simulant id quod nō sunt. Faciunt huic loco verba Pseudomercurij in prologo Amphitruonis, timentis sibi, & Pseudoioni, ne vt male simulantes, quia homines meri, exsibilentur:

Etenim

Etenim ille cuius huc iussu veni Iupiter,
Non minus quam nostrū quiuis formidat malū.
Humana matre natus, humano patre,
Mirari non est æquum, sibi si prætimet.
Atque ego quoque etiam, qui Iouis sum filius,
Contagione mea matris metuo malum,
Propterea pace aduenio, & pacem ad vos affero.

LI. *Pallium insigne Monachorum.*

MOnachorum insigne fuit pallium, vt philosophorum. Nam & ipsam vitam monachorum καὶ ἄσκησιν Græci Patres Philosophiam nominarunt, &c. Sirmondus in epist. Sidonij. Quam varie monachi pro locorum discrimine, & viuendi instituto seueriore à Græcis Patribus nominentur, declarat Notis in vitam Athanasij Hæschelius pag 124.

LII. *Asini floribus coronati.*

COnsualibus festo Neptuni asini non minus quàm equi coronabantur floribus. Non immeritò, quippe qui tot, tantisque laboribus in varios vitæ humanę vsus exercentur. Mox recensiti huius animantis labores, pag. 11. Passeratius in encomio Asini, ex Plutarchi Quæst. Rom. q. 48. Laboriferum animal asinus, & ob id coronandus floribus, coronatur fustibus, vt Plautus loquitur. Sed has coronas pigritiæ suæ acceptum ferat licet; quem imitantes idem cum eo nomen honoris causa sortiuntur.

LIII.

AD deprehendendum scilicet quibus in locis nemorũ, montium, vallium oberrent pascendo, atque hac ratione longæ labor inquisitionis absit. Præterea existimant tintinnabuli sono pecora perinde ac tibiæ gaudere, & pinguescere. Plura de hoc cap. 8. Hieron. Mag. lib. de Tintinnabulo; quem è Cypro captiuus Constantinopolim abductus, ibidem Legato Cæsareo obtulit, sperans se illius liberalitate è durissima seruitute exemptum iri. Sed virum ingenio, & doctrina præstantem spes frustrata est. Quem deinde Mahometus Bassa præfocari mãdauit, vt alibi, nisi fallor, enarraui.

LVI. *Plumbea quæ vocarent.*

ROmani cum de vilissima, minimaque pecunia loquerentur, prouerbij loco vsurpabant plumbeum. Plaut. Trinum. *Cui, si capitis res siet, nummum nunquam credam plumbeum.* Quod etiam alijs in rebus vi, neruoque carentibus vsurpabant. Cic. ô plumbeum pugionem, pro argumento leui, ac futili. Plumbeum ingenium, stupidum: plumbeum acumen. Vide parœmiam, Plumbeo iugulare gladio.

LVII. *Pilæ compitales.*

PIlæ, vt tradit Festus, erant viriles effigies, atq; item muliebres ex lana, quæ compitalibus suspendebantur in compitis, quod hunc diem festum esse deorum inferiorum putarent, quos vocant

LIX. *Epostracismus, genus ludi puerilis.*

PVeros videmus certatim gestientes testarum in mare iaculationibus ludere: is lusus est testam teretem, iactatione fluctuum leuigatam legere de littore; eam testam plano situ digitis comprehensam, inclinem ipsum, atque humilem quantum potest vndis irrotare: vt illud iaculum vel dorsum maris raderet; vel enataret, dum leui impetu labitur: vel summis fluctibus tonsis emicaret, emergeret, dum assiduo saltu sublevatur. Is se in pueris victorem ferebat, cuius testa & procurreret longius, & frequentius resiliret. Minutius in Octauio.

LX. *Reges olim vates, & augures.*

OLim reges præstantissimi augurijs & prædictionibus claruerunt: & se suosque liberos iis disciplinis erudiri curauerunt. Quid Asiæ rex Priamus, nonne & Helenũ, & Cassandram filiã diuinantes habebat? Quid? Polybum Corinthiũ nonne Homerus & aliis multa, & filio ad Troiam proficiscenti mortem prædixisse commemorat? Vt enim sapere, sic diuinare regale ducebant: vt testis est nostra ciuitas, in qua & reges augures: & postea priuati eodem sacerdotio pręditi rempub. religionum auctoritate rexerunt; &c. Cic. de Diuinat.

LXI. *Romæ, & Constantinopol. dies natales feriati, seu festi.*

LIb. 7. Cod. de Feriis, Valentinianus, Theodosius, & Arcadi⁹ Auggg. natalitios dies Romanæ vrbis, & Constantinopolis feriatos, nefastos, & iuris dicundi immunes sanxerunt: vt propter eos iura differantur, in quibus natæ sunt. Forcat. lib. 1. Qui laudes Romæ requirit, Aristidis orationem, & Admiranda Lipsij, qui Constantinopolis Bulengerum de Imp. lib. 1. cap. 3. legat.

LXII. *Capillos retro flectebant.*

OLim radices capillorum retroflectere decorum erat, & ea forma Alexandrum Apelles delineauit. Polycletus ære duxit, vt eius icones fidem faciunt. Nec est quod frontem capillitio denudatam intelligas. Idem de Pompeio Lucan. lib. 8, Capitolin. in Pertinace. Fuit autem senex venerabilis immissa barba, reflexo capillo. Spartian. in Pescennio Nigro. Fuit statura Pescenius prolixa, forma decorus, capillo in verticem reflexo. Hieronym. aduersus Iouinian. lib. 2. comæ in occipitium, frontemque tornantur. Alcimus Auitus lib. 1. de Indis loquens.

Cæsaries incompta viget, quæ crine supino
Stringitur, vt refugo careat frons nuda capillo.
Sauaro in epist. Sidonij 2. lib. 1.

LXIII. *Regum Gothorum habitus.*

Eodem

EOdem habitu quo reliqui veſtiebãtur. Gregor. Turonenſis lib.6.cap.24. vſque ad ætatem Liuigildi regis. Iſidor. in Chronico, Era DCVIII. Leuigildus primus inter ſuos regali veſte opertus ſolio reſedit. Nam ante eum & habitus, & conſeſſus communis, vt gentis, ita regibus erat. Eunodius in Panegyrico Theoderici in fine. Quia quod agunt in alijs Dominis diademata, hoc in rege meo operata eſt deo fabricante natura. Illos faciunt tot adiumenta diuitiarum conſpicuos: ſed hunc edidit ſimplex, & immutabilis figura meliorem, &c. Idem ibid.

LXIV. *Brachiorum, & crurum expolitio.*

VEteres brachia & crura pumice, reſina, pſilothro, ſalamandra, & Veneto luto expolibant, & expoliabant. Quam expoliationem pilorum Plinius lib.29.cap.2. euirationem appellat. Leues enim illi, & glabri virum euirare videbantur. Tertullian. de cultu fęminar. & Clemens Alexand. Pædagog. lib. 3. cap. 3. Inde dura brachia Sidonio ſunt piloſa, ſeu ſetis aſpera. Iuuenal. initio ſat. 3. *duræ per brachia ſetæ Promittunt atrocem animum.* Horat. lib. 3. Ode 4. *Fidens iuuentus horrida brachiis.* Valentia brachia Vegetio lib. 1. cap. 6. Idem ibid.

LXV. *Digitorum præciſio.*

PAtulis manibus, & longioribus digitis milites valentius arma tractabant, quique munus

Martium, & functionem militarem auersabantur, vt inhabiles essent, sibi digitos amputabant. Ostendit hoc multis in eandem epistolam idem doctissimus Sauaro, quæ tute legas pag. *12.*

LXVI. *Vestibula cancellis septa, fores aulæis velatæ.*

ÆDium regiarum vestibula cancellis sepiebantur, fores autem velabantur aulæis. Exclusa velis, inquit Sidonius, inclusa cancellis. Cancelli, inquam, circumuallabant vestibula, & illis inclusi neque in via stabant, neque intra ædes erant. Seneca de Benef. lib. *6* cap. *33.* In domo multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludunt: vt hoc loco Sidonij satellites intra cancellos receptos vela excludebant, id est, fores velis velatæ, atque ita in vestibulis erant. Hæc fusius idem in eandem epist. pag. 14.

LXVII. Gothi Ariani: item Ariani, & Aëriani.

GOthi Ariani sabbatho genio indulgebant, & opiparè conuiuabantur, quo die Catholici, & Romani ieiunabant, more Arianorum, Aërianorumque, qui diebus quibus Christiani abstinebant, odio fidei Catholicæ epulabantur. Die autem solis, cum lætitiæ Christiani indulgerent, & ieiunare nefas ducerent, illi abstinebãt. Ibid. & simul de ieiunio sabbathi.

LXVIII. *Silentii significatio, & dii silentij Præsides.*

INdicem silentium imperantes ori admouebãt veteres. Idem dicitur à nonnullis salutaris, quod rem saluti maximè conducibilem silentium denotaret. Gyrald. dial.2. Præsides taciturnitatis apud Ægyptios Harpocrates, apud Romanos Angerona, simulacra ore obsignato habebant. Plin. lib. 3. cap.5. Solin cap.1. Ouid. 10. Metam. *Quiq; premit vocem, digitoque silentia suadet.* Aulon.epist.25.apud Paulinum, *Aut tunc Sigalion Ægyptius oscula signet*, &c. Thom. Demp. in lib. 1.Corippi.

LXIX. *Pecuniæ libra expendebantur.*

OLim non numerabantur, sed pendebantur pecuniæ.Fest.lib.14.pendere pœnás, soluere significat, eo quod ære graui vterentur Romani: penso eo, non numerato debitum soluebant. Plin.lib.33.cap.1.non amplius quam mille pondo auri. Silius lib.1.*Hic galeæ Senonum, pensatiq; improbus auri Arbiter ensis inest.* Ad lancem ergo, & stateram exigebantur pecuniæ debitæ,&c. Idem ibid.

LXX. *Bestiæ Principes adorantes.*

IN ludis, & spectaculis quæ à Principibus populo edebantur mos fuit, vt quę in arenam bestiæ introducebantur, eæ ita à magistris doctæ

cernuæ procumberent, ipsosque Princeps adorarent. Martial. lib. Spectacul. epig. 7. *Quod pius, & supplex elephas te, Cæsar, adorat.* Vide ibidem Marcilium.

LXXI. *Reges Persarum fratres Solis, ac Lunæ.*

ITa se nominabant ipsi, & ab aliis appellari postulabant, superbiæ insigni exemplo. Ammian. lib. 17. literas ad Constantium dedit, nunquam à genuino fastu declinans, quarum hunc fuisse accepimus sensum. Rex regum Sapor, particeps siderum, frater Solis ac Lunæ Constantio fratri meo S. Idem lib. 23. Denique ad id tempus reges eiusdem gentis prætumidè appellari se patiuntur fratres Solis ac Lunæ. Chrysolog. serm. 120. Coripp. *Ille etiam Solis qui se subiactat amicum.* Idem in lib. 4.

LXXII. *Somnus meridianus.*

MEridiabant antiqui, id est, medio die dormiebant leuandi animi caussa, qui matutinis operis, & operibus defatigati erant. Sidon. ep. 9. lib. 2. Excusso torpore meridiano paulisper equitabamus. Iob. cap. 24. 2. Reg. cap. 11. Varro, si non insititio somno diem diffinderem meridie, non viuerem. Meridiabat Aug. Sueton. cap. 78. & Seuerus Imp. Lamprid. in Alex. Seuero. Traianus, Plin. in Paneg. Iustinianus, Aimoinus lib. 2. cap. 5. Alboinus rex Longobard. Paul. Diaco-

Diaconus lib.2.cap.28. Sauaro in Sidon. epist.2. lib.1.

LXXIII. *Sponsus, & sponsa à sacerdote coronati.*

APud Græcos sacerdos sponso, & sponsæ nuptias acturis serta imponebat, & octauo die eadem serta illis demebat, cum sollemni precatione. Vide Euchologium, vbi vocatur ἀκολυθία στεφανώματος.

LXXIV. *Lombardorum veterum habitus.*

CEruicem vsque ad occipitium radentes nudabant: capillos à facie vsque ad os demissos habentes, quos in vtramque partem in frontis discrimine diuidebant. Vestimenta verò eis erant laxa, & maximè linea, qualia Anglosaxones habere solent, ornata institis latioribus, vario colore contextis. Calcei verò eis erant vsque ad summum pollicem pæne aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti. Postea verò cæperunt hosis vti, super quas equitantes subrugos byrreos mutabant. Sed hoc de Romanorũ consuetudine traxerũt. Paul.Diacon. Hist.Lombar. lib.4. cap.23. De vocabulis hosa, subrugus, byrreus vide Obseruationes Lidenbrogij.

LXXV. *Obsides etiam fæminæ.*

CLælia virgo Romana cum alijs virginibus Porsenæ regi Etruscorum Romam oppug-

nanti obſes data eſt. Liuius lib.2. Florus lib.1. ca. 10. Conſtans, ſiue Conſtantinus Heraclij filius Imp. cum Romoaldo, regis Longobardorum Grimoaldi filio accepta obſide eius ſorore pacem fecit. Paul. Diacon. hiſt. Lombard. lib. 5. cap. 8. Tacitus in vitæ Agricolæ, Adeo, vt efficacius obligentur animi ciuitatum, quibus inter obſides puellæ quoque nobiles imperantur. Ad Germanos pertinere vult ibidem in Notis Lipſius, quod in Auguſto, cap. 21. tradit Suetonius. A quibusdam nouum genus obſidum fæminas exigere tentauit, quod negligere marium pignora ſciebat. Et hunc morem habuiſſe Metapontinos, ac cæteros Italiæ populos liquet ex Athenæo lib. 13. cap 28.

LXXVI. *Caput, & barba raſa ad ignominiam.*

IAm olim apud Indos qui grauiter delinquerant, ſic puniti. Cum enim ſummum formæ decus ſint capilli, extremam quoque ignominiam putabant, ſi pars illa corporis demeretur. Teſtis Stobæus Serm. CXL. Rex Ammonitarũ vt magna contumelia afficeret Legatos Dauid, raſit dimidam partem barbæ eorum, &c. Sed admodum vſitata hæc pœna fuit temporibus Impp. poſteriorum: vnde ſæpiſſimè illa leguntur, decaluari, verberariq́;. Cedren. in Iuſtino. Verberans eum, & caput radens, nudumq́ue aſino imponens, per mediam circumdixit ciuitatem.

tatem. Guntherus lib.7. *exusta candenti fronte metallo, Detonsaq́, coma post verbera pulsus abibit.* Paul.Diacon.hist. lib 6.cap.20. comprehensumque Rotharit pseudoregem, eius caput, barbamq; radens, Tauremis in exilium retrusit. Lidenbrogius.

LXXVII. *Regibus nouis in scutum leuatus hasta tradebatur.*

PAul. Diacon. lib.6.cap. 55. Hildebrandũ foras muros ciuitatis, ad sanctæ genitricis Ecclesiam, quæ ad Perticas dicitur, in regem leuauerunt. Cui dum cõtum, sicut moris est, traderent, in eius summitate cuculus auis volando veniens insedit. Aimoinus lib.3. cap. 68. Tunc demum Guntramnus rex hastam, quam manu gerebat nepoti tradidit, inquiens, Hoc, amantissime nepos, indicio noueris te mihi successurũ in regno. Idcirco tradita à me tibi potestate cũctas regni mei ciuitates tanquam tuas dispone. Insistentem autem scuto nouiter electũ regem ter circum exercitum ducebant. Aimoinus cap. 60. Euocatum Gundoaldum more antiquorum Francorum regem proclamantes esse suum, eleuauerunt cum clypeo. Cumque tertiò totum cum eo circumissent exercitum, &c. Idem Lidenbrogius. Verùm hastæ traditio genus quoddam adoptionis erat.

LXXVIII. *Christiani vocabantur sancti.*

AVctor primus appellationis huius est, opinor, S. Petrus, qui in epistola gentem sanctam, regale sacerdotium vocauit. Quomodo porrò Ecclesia sancta ab Apostolis dicta est, ipsum scilicet corpus, sic etiam sancta quælibet eius membra. Ita fides sancta, religio sancta, sacramenta sancta, vasa sancta. Deo dicati & consecrati per baptismum sumus, dei sumus, quem colimus, adoramus, & profitemur, ipsum inquam, & quem misit filium IESVM Christum, à quo cognomentum accipimus. Ac Tertullianus quidem fæminas Christianas vt benedictas, sic sanctas sæpe nominat. Hinc & Episcopi dicti sanctissimi, qui titulus in Pontifice Romano duntaxat remansit.

LXXIX. *Adoptiones per arma, capillos, barbam, baptismum, qui Cypriano vnda genitalis.*

BEllicosæ gentes per arma sibi filios asciscebant, armorum traditione videlicet. Formula extat apud Cassiod. lib. 4. Variar. vbi Thedericus rex Herulorum regem sibi filium procreat. Sic Iustinianus Athalarici patrem adoptauit, vt hic ipse apud eundem auctorem gloriatur lib. 8. Hasta item tradenda successores designabantur, vt supra ostensum est.

Fiebat item adoptio per comam, siue per capillos, quos præcidebant adoptandis qui adoptabant. Paul. Diacon. lib. 6. cap. 53. Circa hæc tempo-

tempora Carolus Francorum Princeps filium ſuum ad Luitprandum miſit, vt eius iuxta morem capillum ſuſciperet. Qui eius cæſariem incidens, ei pater effectus eſt. Retulit & Otho Friſingenſis lib. 1.cap.16. Et in plerisque Caroli annalibus ſic expreſſum legitur. Vt more fidelium Chriſtianorũ eius capillum primus attonderet,& pater illi ſpiritualis eriperet. Cuius moris hodieque umbra reliqua eſt (in conferenda prima tonſura ſcilicet, vt initiati ſacris nouerunt.)

Barbæ etiam tactu Alaricum Clodouæo regi filiũ factũ Aimoinus ſcribit lib. 1.cap.20. Et lib. 4.cap.57. inquit. Romanorum patricius promiſit Iaſoni, quod barbam eius præcidens, iuxta morem antiquorum adoptaret in filium.

Meminit quoque Theodorum Balſamonem alicubi notare per ſacras preces, ſiue per baptiſmum adoptionem fieri. Quod apud nos iam pridem in vſu eſt. Quare & ſuſceptores patrini, à patre deducto nomine audiunt. Hæc carptim ex Pithæi Aduerſarijs lib.1,cap.1.

LXXX. *Meſsium, & vindemiarum feriæ, ſeu iuſtitium.*

DVo ab antiquo ferijs deſtinata tempora, meſſium puta, & vindemiarum. De quibus lib.2. C. Theodoſ. de Ferijs. Omnes dies iubemus eſſe iuridicos. Illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis menſibus ad

requiem laboris indulgentior annus accepit, æstiuis feruoribus mitigandis, & auctumni f[illegible] tibus decerpendis. Neque tunc dicam alicui scribere, vel caussas in foro agere licebat: quod Statius tangit Syluar. lib. 4.

Certe non Latia non miscent iurgia leges,
Et pacem piger annus habet, messesq; reuersæ
Dimisere forum. nec iam tibi turba reorum
Vestibulo, querulíq; rogant exire clientes.

Minutius Fælix in Octauio. Ad vindemiam feriæ iudiciariam curam laxauerant. Erant porro vtræq; vnius mensis, vt dictum est, nempe 30. dierum. Paul. Diacon. lib. 3. cap. 12. de Tiberio Imp. Procedente autem eo ad villam, vt iuxta ritum imperialem trigintadiebus ad vindemiam iocundaretur. Ad quem locum Obseruator hæc annotauit, quæ legisti.

LXXXI. *Reges Persici iidem Magi. Eorum ornatus.*

PErsarum Reges Magorum sacris initiari, cærimoniarumque principes esse constat: ideoque eos vti tiara excelsa, exornataque gemmis, & pluuiali chlamyde, cultu non absimili ab eo, quo Romani Pontifices in sacris sollemnibus exornantur. Iouius in Elogijs militarib. lib. 1.

LXXXII. *Turcarum Imp. templ. intranti æditNus.*

VEtus, atque perpetuum Turcarum institutum est, vt intranti templum supplicandi

causa

caussa Imperatori Talismanus ædituus occurrat, claraque voce pronunciet, vt meminisse velit, imperium quod iustitia, & virtute bellica partum sit, non aliis quàm iisdem artibus conseruari, propagarique oportere. Idem lib. 2. in Baiazete.

LXXXIII. *Vestes sericeæ vulgatæ.*

TAnta vis & copia serici est apud Sinas, vt non incolæ solùm vniuersi, tenues æque ac opulenti eo induantur, & in finitima omnia regna exportetur: reperiturque in eorum Annalibus, operis serici artificium ante Christum natum bis mille, sexcentis triginta sex annis in eo regno viguisse, ex quo apparet in reliquam Asiam, nostramq; Europam, immo & in Africam id genus opificij transmigrasse. Nicol. Trigaut. in hist. Sinensi lib. 1. cap. 2.

LXXXIV. *Carnes ad esum apud Sinas.*

SVilla vescuntur. Sed tamen alijs quoque carnium generibus abundant: bubula, ouilla, caprina. Abundant item gallinis, anatibus, anseribus passim. Quin etiam equis, mulis, asellis, canibus æque fere, vt reliquis carnibus vesci solent, atque ita in macellis venales exponuntur. Idem ibid.

LXXXV. *Ædificia eorundem.*

Sinæ

SInæ extruendas ædes humanæ vitæ breuitate metiuntur: ſibi enim, non aliis ædificant: noſtri æternitatem ſpectant. Quare cum audiunt moles noſtras plura ferre ſæpius ſæcula, immò nonnullas annos mille, alias bis mille, mire obſtupeſcunt. Cauſſam rogati eam referimus in alta, & ſolida fundamenta, quorum profunditas ſuperſtructam molem ſuſtinere diutiſſime poſſit. Sinæ contrà vel nulla fundamenta effodiunt: ſed ſolùm ſolo inconcuſſo lapides prægrandes locant: vel ſi effodiunt, vix ad aliquot cubitos, quantumuis moles, turresúe futuræ ſint excelſiſſimæ: atq; ita rarò vnius ſæculi ætatem durant, etiam ipſa mœnia, quin crebrò opus ſit inſtaurari. His accedit, quod magnam partem ligneę domus ſunt, vel ligneis columnis ſuſtinentur. Qua in re commoditas eſt non exigua ex eo, quod ferè parietes intacto ædificio reliquo poſſunt innouari. Neque enim tecta parietibus, ſed columnis innituntur. Idem cap. 4.

LXXXVI. *Conuiuia eorundem.*

IN his non minus ſunt officioſi quàm frequentes: non pauci etiam fere quotidiani. Omnia enim propemodum ſua negotia, non illa ſolum quæ ad humanæ vitæ rationes, ſed quæ ad Religionem quoque ſpectant epulantes tractant: & inter eximia beneuolentiæ argumenta ponunt conuiuia. Quæ ab ipſis non comeſſationes, ſed Græcorum more compotationes non immeritò

tò vocentur. Licet enim eorum ſcyphi, ac patera non plus vini, quàm nucis putamen capiant, frequentiſſimè tamen hauſtus iterant. Idem cap. 7.

LXXXVII. *Apparatus menſæ, edentium ciuilitas, potus, & alia.*

OMnibus ijs veſcuntur, quæ apud noſtrates in fercula adhibentur: nec ea malè cōdiunt: ſed de ſingulis ferculis parum infertur. In varietate ſtatuunt conuiuii maieſtatem: menſas enim opplent diſcis, ſeu patinis mediocribus, & aliis exiguis: nec piſces, vt nos, à carnibus ſeparant: ſed ſine diſcrimine permiſcent. Nullum porrò ferculum ſemel appoſitum toto conuiuio tollitur: itaque menſas non opplent modo, ſed diſcos aliis alios ita ſuperponunt, vt caſtellorum ſpeciē referant. Panis nullus in conuiuales menſas infertur: ſed neque oriza, quæ apud Sinas in panis noſtri vicem ſuccedit, niſi forte in quibuſdam epulis minus ſollemnibus, ſub menſam extremā. Inter veſcendum nec fuſcinulas adhibent, nec cochlearia, nec cultros, ſed bacillis vtuntur teretibus ſeſquipalmum longis, quibus mira dexteritate quodlibet edulij genus ori admouent, digitis nihil omnino contrectantes. Sciendum tamen omnia in menſas inferri fruſtatim diſciſſa, niſi ſi quid fuerit natura mollius, vt oua, piſces, aliaque huiuſmodi, hæc enim ipſis bacillis diuiduntur. Potu vtuntur feruenti, etiam in ſummo æſtu. Et quoniam nihil edulij manū tāgunt, ideo

nec

nec ante, nec post conuiuium manus lauant. Varios etiam in conuiuia ludos ingerunt, in quibus qui perdidit, potare compellitur, magno cæterorum applausu, festisque clamoribus. In edendo sunt omnino moderatiores. Et sæpe accidit, vt quis ab vrbe discessurus vno die septem, vel octo conuiuiis intersit, vt amicis omnibus satisfaciat. Huiusmodi verò nō sunt è celebrioribus: hæc enim totam noctem absumunt, & in auroram insequentem protrahuntur. Ferculorum denique reliquiæ inter hospitum famulos liberaliter diuiduntur. Ibid.

LXXXVIII. Ritus eorum funebres.

EX multis quæ eodem lib. 1. cap. 7. etiam de cærimoniis Sinēnsium funebribus differuntur, pauca huc adscribam. Eorum vestis lugubris non pulla, sed candida est. In luctu parentum filij cannabina veste asperrima induuntur, primis saltem mensibus: & ipsa forma talaris tunicæ, pilei, calceorum satis absona, primoque aspectu miserabilis. Fune quoque prope nauticò renes cingunt, ad eum modum quo Patres è D. Francisci familia. Inuiolabili consuetudine receptum est, vt luctus patris, aut matris in triennium extendatur. Cuius rei caussam in suis libris reddunt hanc, vt suis parentibus, qui primo triennio eos vlnis gestauerunt, tantoque labore educarunt, vicem rependant. In cæterorum propinquorum luctu contractior est lugendi mora,

prout

prout quisque vicinior, aut remotior sanguine cuique fuerit: aliâs enim annuo spatio, aliâs trimestri terminatur. Funebres Sinarum ritus iusto volumine continentur. Atque ita cum aliquis è familia diem suum obit, superstites, ad quos funus spectat, eum librum consulunt, vt ad rituum præscriptum funebris pompa procuretur. Eo in volumine non solum præscribuntur, sed insuper spectandæ proponuntur vestes, pilei, calcei, Zonæ, cæterique ritus vniuersi.

LXXXIX. *Connubia.*

SPonsalia, & connubia in teneris annis peragunt, nec sponsum à sponsa volunt ætate admodum discrepare. Contractus hos parentes vtrinque componunt, nec ad eos filiorum consensum exigunt, quos tamen filii, aut filiæ nunquam non admittunt. Primates omnes cum primatibus connubia miscent, & familiarum paritatem requirunt. Religiossimè autem obseruatur, ne quis vxorem ducat sibi cognominem, tametsi nulla sanguinis inter vtrumque intercedat necessitudo. Sinarum porro cognomina haud paulo pauciora sunt, quàm apud nostrates: neque enim mille numerantur. Nemini verò licet nouum aliquod cognomen effingere, sed ex iis quæ antiquo vsu recepta sunt, vnum habeat oportet. Sponsa nullam secum dotem defert. Ac tametsi quo die in mariti domum pergit, multam supellectilem secum ferat, tanto apparatu, vt copiosiore

ſiores ea vicos oppleant, omnis tamen illa ſupellex mariti ſumptibus cōparatur, qui aliquot menſibus prius magnam pecuniæ ſummam domo ſubmittit. Rex, regiſque proles in connubiis poſthabita ſanguinis nobilitate ſolam corporis venuſtatem ſpectat. Vxor regis vna primaria eſt, quæ ſola legitima dici poteſt. Præter hanc Rex, & regni hæres alias nouem paulo inferiores ducunt, ac deinde alias triginta ſex, quæ omnes coniugali titulo gaudent. His accedunt aliæ numero maiore pellices, quæ nec reginæ, nec coniuges appellantur. Inter coniuges quæ filios pariunt, gratioſiores euadunt, maximeque parens primogeniti, qui regni ſucceſſor nominatur. Primaria illa coniux ſola menſę cum marito aſſidet, reliquæ omnes legitimæ coniugis velut ancillæ, & pediſſequæ ſunt, quibus in alterutrius præſentia ſedere non permittitur. Earum filij non ſuam parentem, ſed primariam vxorem matrem ſuam vocant, & eam ſolam cum extinguitur triennio lugent, eiuſque funus, non propriæ genitricis curaturi, officijs ſeſe abdicant. Ibid.

XC. *Iuramentum puerorum per Herculem.*

APud priſcos obtinebat olim religioſa conſuetudo, vt pueri qui vellent iurare per Herculem, non ſinerentur id facere ſub tecto, ſed iubebantur ire ſubdium: vt vel hac mora diſcerent iurare parcius, ac circumſpectius. Sic enim publicum

blicum morem interpretati sunt viri sapientes. Quidam addunt, ipsum Herculem fuisse ad iusiurandũ religiosissimum, & verecundissimum, adeo, vt per omnem vitam non nisi semel iurauerit, idque soli Phyleo Augeæ filio. Eras. in Lingua.

XCI. *Flamen Dialis non iurabat.*

APud Romanos Flamini Diali nefas erat iurare. Variæ redduntur caussæ. Vel quod oporteat Sacerdotis & corpus, & animum inuiolatum esse, quum iusiurandum tormenti genus sit. Vel quod absurdum sit ei non habere fidem in rebus humanis, cui credita sunt diuina. Vel quod solemnis iurisiurandi clausula sit execratio: deuoueo me, meamque familiam si quid sciens fefellero. Cæterùm omnem execrationẽ, quoniam tristis sit & abominanda, non conuenire Flamini Diali, qui nec aliis malum imprecari soleat. Vnde non iniuria laudata est illa sacerdos Athenis, à qua cùm populus flagitaret vt Alcibiadem execraretur, respondit, sese in hoc sacerdotium suscepisse, vt omnibus precaretur bona, non vt cuiquã imprecaretur malum. Sunt qui hanc quoque cõsuetudinis caussam afferant, quod cum periurus velut impius inuisus sit numini, & periculo periurij vicinus sit quisquis iurat, ne si homo impius, quique deos habet iratos pro ciuitate vota suscipiat, citius prouocet iram numinum, quàm fauorem impetret. Idem ibid.

XCII. *Iusiurandum Scythicum.*

PEr Ventum, & Acinacem iurabant Scythæ. Per illum quasi caussam vitæ: per hunc quasi auctorem mortis: quibus duabus rebus mortalibus nihil maius sit. Lucian. in Toxaride.

XCIII. *Viros præclaros diuinis honoribus colebant Scythæ.*

BOnis, & aliqua virtute illustribus viris, Scythæ post mortem templa condebant, sacra faciebant, festisque diebus, & celebribus conuentibus eos honorabant: tum vt eos propitios tanquam deos haberent, etsi eos pro diis non habebant: tum multo magis quod existimarent, se rem vehementer conducibilem his qui in vita essent facere, si præstantium virorum memoriã celebrarent. Siquidem hac ratione futurum, vt multi eorum similes euadere cuperent. Lucian. in Toxaride, vbi à principio Orestis, & Pyladæ amicitia celebratur summis laudibus. Et est totus ille dialogus commendatio amicitiæ, qua nihil melius Scythæ arbitrabantur, neque vlla in re magis gloriabantur, quàm in adiutandis amicis, communicandisque rebus acerbis: quemadmodum neq; probrum aliquod apud illos maius, quàm amicitiæ desertorem videri.

XCIV. *Quomodo ijdem amicitiam instituerent.*

VBI in amicitiam cæteris repulsis delectus est quispiam, protinus fœdus ac iusiurandum concipitur, quod sit maximum: nimirum, & victuros eos pariter, & mortem oppeiiturum, si sit opus, alterum pro altero: simulque incisis digitis, sanguinem in calicem destillantes, & gladiorum mucrones intingentes, ambo deinde bibebant. Admittebantur autem ad huiusmodi fœdera summum tres. Nam multis amicus, eodem loco habebatur apud eos, quo communes istæ, atque adulteræ vxores: putabantque non iam perinde firmam illius amicitiam fore, posteaquã esset in plures partes dissecta. Lucian. ibid.

XCV. Tributum in bobus, aut in equis.

FRanci deuictis ab se Saxonibus annuum tributum cõstituerunt quingentos boues. Hoc autem genus tributi, aut ei non dissimile in equis quandoque Saxones persoluerunt Daniæ, quum essent ab illis quoque armis, & viribus superati. Krantzius Saxoniæ lib.1.cap.31. Et in extremo cap. libri de Carolo M. Cum igitur in Saxoniam maiore apparatu ducere constituisset, audit Saxones omnes aditus communijsse. Sed ille vi perfregit, & in hostico solo pugnaturus constitit: occurrentes, & iusta acie decertantes vicit, imposito tributo trecentorum per singulos annos caballorum.

XCVI. *Saxonia per duodecim proceres administrata.*

ANtequam Carolus Imp. Saxonibus arma inferret, prouincia per XII. proceres alternis vicibus regebatur. Quem vero grande bellum in rectione deprehenderat, eum vsque ad finem belli regem habebant. Finito autem bello redibat in ius pristinum, reddita administratione comparibus suis. Crantzius lib. 2. cap.22.

XCVII. *Gladios distringebant, dum Euangel. in sacris legeretur.*

SVb Mieceslao Principe mos pius inoleuit apud Polonos, vt homines equestris ordinis in templis, dum sacerdos apud altare pronunciat, vnde recitaturus sit Euangelium, gladios medio tenus stringerent, quasi profitentes Euangelij, & religionis defensionem. Choro autem respondente, Gloria tibi Domine, rursus reconderent: diuque hic mos mansit in Polonia. Cromerus de reb. Polon. lib. 3.

XCVIII. *Annuli gestandi honos.*

APud antiquos Romanos non modo liberto, sed ne ingenuo quidem vlli aureo annulo licebat vti, nisi senator esset, aut equestris ordinis. Proinde is, qui summæ rerum præerat, libertis, quibus volebat, etsi aurum alioqui gestarent ij, tamen honoris causa, vt libertis præstantio-

ſtantiores viderentur, & equeſtris dignitatis, annulorum vſum largiebatur. Dio, lib. 48.

XCIX. *Cantus in Eccleſia.*

NOn ſolum in lege veteri, ſed noua primitiua cantum in vſu fuiſſe, patet ex Apoſt. ad Epheſ. 5. *Loquentes vobismet ipſis in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris domino*: tum ex Dionyſio Areopag. Eccleſiaſt. hierarchiæ cap. 3. Demum, inquit, ad ſanctum altare iterum rediens pſalmorum incipit melos, concinentibus ſecum ſacra carmina omnibus eccleſiaſtici ordinis gradibus, &c. D. etiam Ignatio tribuit Socrates lib. 6. cap. 8. inſtitutionem antiphonarum, ſiue hymnorum, reſponſoriorũ: & poſt eum Niceph. lib. 13. cap. 8. Harmonicæ modulationis inuentum attribuunt Ephrem Syro Theodoret. lib. 4. cap. 29. & Niceph. lib. 9. cap. 19. Si recentiora quæras teſtimonia, pſalmos alternis cantari ſub Cõſtantio Imp. conſtituerunt Antiochiæ D.D. Flauianus, & Diodorus, Sigeberto teſte. Miſſarum, & aliarum horarum cantus officia tum ab Ambroſio Mediolani, tum à D. Gregorio Romæ inſtituta ſunt, &c. Pamelius Annotat. in Cyprian. de Orat. Domin. num. 6.

C. *Euchariſtiam fideles quotidie ſumebant.*

CYprian. eodem libro. Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus. Quod iam

inde ab Apostolis vsitatum fuisse patet ex Actis Apostol. non vno loco, Perdurauit ea consuetudo vsque ad D. Hieronymi ætatem Romæ, & in Hispanijs, vel ipso teste, epist. ad Lucam Bæticum, Apologet. ad Pamach. pro libris contra Iouin. Mediolani ad D. Ambrosij vsque, quemadmodum colligere est ex vltimo cap. lib. 4. & 5. de Sacramentis, & in Africa vsque ad D. Augustin. tum ex D. Chrysost. homil. 61. ad pop. Antioch. 3. in epist. ad Ephes. & 17. ad Hebræos, vbi varias affert obsecrationes tum eorum qui in sollemnitatibus communicabant, in Aduentu, & Quadragesima, tum eorum qui in Pascha duntaxat, aut bis aut ter in anno, tum Eremitarum, qui ex humilitate quadam semel quotannis, aut singulis biennijs. Idem ibid. num. 48.

CI. *Persæ, & Aegyptij cadauera non concremabant.*

PErsæ ignem deum arbitrabantur, & ideo nefas putabant deo obijci depascendum cadauer hominis. Aegyptij verò persuasum habebant, ignem animatam esse belluam, & omnia quæ nascuntur deuorare: & postquam deuorando fuerit expleta, vna cum ipsa re deuoratam emori. Herodot. lib. 3.

CII. *Fabæ odium apud Aegyptios, & Romanos.*

FAbas Aepyptij in sua terra nec admodum serunt, nec eas quæ prouenerint aut crudas,

aut in aqua coctas edunt. Sacerdotes verò ne aspicere quidem eas sustinent, arbitrantes haud mundum illud legumen esse. Herodot. lib.2. Quin & apud Romanos inter funesta habebantur fabæ; quippe quas nec tangere, nec nominare Diali Flamini liceret, quod ad mortuos pertinere putarentur. Nam & lemuribus iaciebantur laruis; & parentalibus adhibebantur sacrificijs: & in flore earum litteræ luctus apparere videntur, ut testatur Festus. Cur autem Pythagoras à fabis abstineri iusserit, vide principium Chiliadum, vbi eius symbola explicantur.

CIII. *A suibus, & subulcis abhorrebant Aegyptij.*

SVem olim Aegyptij bestiam adeo spurcam ducebant, vt si quis vel transiens contigisset, continuò properaret ad flumen, se pariter ac vestem abluturus. Subulcos etiam indigenas adeò inuisos haberi, vt nec in templa recipiantur, nec ad matrimonium, aut affinitates admittantur, auctor Herodot. lib.2. Venerationis ergô huic animanti pepercisse Aegyptios, quod id symbolum tenebrarum ducerent, ex quorundam sententia tradit Pierius lib. 9. Habet hieroglyphicum indocilitatis, vt & maximè brutum, & nullam ad rem, nisi ad esum idoneum: tametsi frequens suillæ esus obtundit ingenium.

CIV. *Clepsydris aquam affundentes.*

AD clepsydratum mensuras in iudiciis olim dicebant. Eam aquã tenues quidam ac nullius frugis, infames, & contemptissimi homines subministrabant Athenis: quales ferme Romæ scenici, aliorumque publicorum certaminũ ministri. Vnde in infimæ sortis homines, ac sordidissimis quæstibus addictos dici solitũ ἐφ' ὕδωρ κακὸς, id est, ad aquam malus. Chiliast.

CV. *Execrationes in fœderibus.*

OLim in fœderibus, quò minus violarentur, adhibebant non solum promissa, dextras, & sacrificium, verum etiam execrationes in caput eius, quicunq; non staret pactis. Vide prouerb. Phocensium execratio.

CVI. *Hirundinum inuitatio.*

THeognis apud Athenæum lib. 8. declarat Rhodiis sollemne fuisse quotannis publicis votis inuitare hirundinem sub tempus vernum, quod illi χελιδονίζειν appellabant, acclamantes in hunc modum: ἐλθὲ ἐλθὲ καλὰς ὥρας ἄγουσα, καὶ καλοὺς ἐνιαυτοὺς, veni veni hirundo, pulchra tempora adducens, & pulchros annos.

CVII. *Tenedia securis.*

SVidas ait, regem quempiam Tenedi fuisse, cui nomen Tenes, qui legem tulerit, atque morem induxerit, vt à tergo iudicis astaret quispiã securim tenens, videlicet in hoc paratus, vt qui perperam quid in iudicio dixisset (opinor mendacium

dacium, aut falsum testimonium) eum protinus feriret. Tenedia bipennis in eos qui nimium seuerè iudicant, ac puniunt. Vide Chiliadas.

CVIII. *In adulterio deprehensa.*

APud Cumanos mulier in adulterio deprehensa ducebatur in forum, vt illic lapidi insistens omnibus esset conspicua. Deinde impositam asino, atque ita per totam ciuitatem circũductam, reducebant ad lapidem, vt ibi rursus esset omnibus spectaculo. His actis habebatur infamis per omnem vitam, & ignominiæ gratia ὀνοβάτις dicebatur quod asinum equitasset. Lapis autẽ nefastus, ac detestabilis habebatur, in quo steterat mulier, Chiliast. prouerb. Onobatis.

CIX. *Thraces dies lætos, & tristes numerabant.*

VAna mortalitas, & ad circumscribendam seipsam ingeniosa computat more Thraciæ gentis: quæ calculos colore distinctos pro experimento cuiusque diei in vrnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de quoque pronunciat. Plin. lib. 7. cap. 40. Horat. Ode 36. lib. 1. *Cressa ne careat pulchra dies nota.* Illic lege interpretes Lambin. & Torrentium.

CX. *Mercatura odiosa.*

APud Thebanos, & Ægyptios iuxta legem patriam nemo ad magistratum, & munera publica admittebatur, nisi prius à mercimoniis

exercendis destitisset annis decem. Tanto in odio illis fuit auaritia, nimiumque lucri faciendi studium. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 6. ex Plut.

CXI. *Lunulæ in calceis.*

PAtritij Romani lunulas in calceis gestabant, hoc est, fibulas eburneas, corniculantes instar lunæ, ex instituto Numæ. Quo admonebantur, ne fauore fortunæ, & secundis rebus spiritus tollerent: sed instabilitatem rerum humanarum cogitarent, exemplo lunæ, quæ modo claro lumine orbe pleno fulget: modo omni luce viduata ad nihilum redit. Idem lib. 5. cap. 18. Plutarchus & hanc caussam, & alias insuper tres profert, Quæst. Rom. quæst. 76. Vide item Claudiũ Minoem in Emblema Alciati CXXXVI.

CXII. *Quæ foribus ad ostentationem affigerentur.*

VEtus ea nobiliũ multis retro sæculis religiosè seruata consuetudo, vt qui venatione delectarentur, ferarum capita, exuuias, pelles, militaris virtutis in pace, & otio insignia foribus affigerent, gloriosèque ostentarent. Quin etiam belli parta spolia, quæ quod domus essent ornamenta, emptori refigere nefas erat. Hæc omnia idoneis testibus probat And. Schottus Obseruat. humanar. lib. 1. cap. 12. quem lege.

CXIII. *Tres mißiones militares.*

TRes missiones in disciplina bellica Romanis vsitatę fuerunt, honesta, caussaria, ignominio-

miniosa. Honesta, quæ emeritis stipendiis dabatur. Caussaria, cum vel ob senectutem, vel ob valetudinem, vel alioqui legitimam ob caussam, bona cum Imperatoris venia exauctorabantur. Ignominiosa, qua ob delictum, & crimen militia quis soluebatur ab ipso Imp. aut eo cui ea de re statuendi potestas esset. Sigon. de antiq. iure C. R. lib. 1. cap. 15. & lib. 3. cap. 23. Steuechius in Veget. lib. 1. cap. 3.

CXIV. *Genus supplicii horribile.*

SEneca cùm ait in quadam epistola, Cogita hoc loco carcerem, & cruces, & aculeos, illam tunicam alimentis ignium & illitam, & intextam, horrendum relatu supplicij genus tangit; tunicam scilicet pice, resina, alijsque ignis alimentis delibutam, quam induebantur nudis corporibus cruciandi, ita vt vndique inhæreret: tum subiecto igne viui, & tædæ in morem ardentes in cineres redigebantur. Vide Schottum lib. 5. cap. 4. Obseruat. humanar.

CXV. *Serui vapulantes pendebant nudi.*

SErui dum verberabantur nudi pendebant, manicis brachia ad trabem astrictis, & pedibus deorsum versus terram missis, quibus pondus aliquod alligabatur, ne inter vapulandum calcitrarent, neue pedibus, aut calcibus eos, à quibus verberabantur, peterent. Hoc liquidum fit maximè ex Asinaria Plauti, ex consalutatione

nimi?

nimirum, & primo congressu duorum seruorũ Libani, & Leonidæ, quos versus libet adducere.

LI. Iubeo te saluere voce summa, quoad vires valent.

LE. Gymnasium flagri saluete. LI. Quid agis custos carceris?

LE. O catenarum colone. LI. O virgarum lasciuia.

LE. Quot pondo te esse censes nudum? LI. non adepol scio.

LE. Scibam ego te nescire. At pol ego, qui te expendi scio.

Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.

LI. Quo argumento istuc? LE. Ego dicam quo argumento, & quo modo.

Ad pedes quando alligatum est centupondium,

Vbi manus manicæ complexæ sunt, atque adductæ ad trabem,

Nec dependes, nec propendes, quin malus, nequamq; sis.

LI. Va tibi. LE. hoc testamento seruitus legat tibi.

Nec dependes, nec propendes, &c.

Nec deorsum pendes, nec vllam partem versus pendes, quin improbus, & nihili sis. Plane improbus, & nequam es. Ita Lambin.

CXVI. *Mores Tartarorum.*

Anto-

ANtonius Bonfinius Decadis 2. lib. 8. Historiæ Hungaricæ plurima de Tartarorum ingeniis, ritibus, moribus narrat. Ex ea narratione iuuat nonnulla huic Syntagmati inserere. Tartareæ mulieres sunt quam turpissimæ. Coniugatæ in sesquipedalis altitudinis canistri speciem, rotunda quædam pilea, à superiore parte latiora gestant, hexamito, sericoue ornata, pauonum oculis, vnionibus, & lapillis exulta. Phaleratis equis insident, non solum auro, sed margaritis insignes. Quin etiam diuersa operantur, vtputa pelliceas vestes, calceos, ocreas, & huiusmodi. Virorum more sagittas emittunt, pharetratæ equitant, ex equo pugnant, & virilia officia quæque præstant. Femoralibus veluti viri vtuntur. Si quis eminentioris vir fortunæ vita excesserit, cum pretiosissimo habitu humi reconditur: sed ab hominum frequentia longè remotius, in secessu, ne habitu suo reclusus spolietur. Amici equum eius pelle exuunt, quam stramine compleant, completamque palo præfigant, ac editissimo pro dignitate patibulo imponant: carnes pro inferiis comessantur. Principes antequam expirent seruum deligunt, delectumque cum domino vnà viuum sepeliunt. A viro nulla vxor reputatur, donec pepererit: & tunc dotem à parentibus accipit. Victu vtuntur abominando. Pediculos ingenuæ gulę reputant. Mulas, humanas carnes, inimicorum præsertim, canes, feles & lac præ cæteris equinum esitant, &c.

CXVII. *Serui seruorum.*

LAutiores serui alios quasi subseruos habebant, & qui vices eorum gererent. Inde vicarij dicti. Glossar. Vicarius δῦλον δῦλος. Martial. *Esse sat est seruum, iam nolo vicarius esse.* A Iustiniano describitur seruus inferioris notæ, & ipsius ordinarij serui seruus. Lipsius Notis in Senecam de Tranquillit.

CXVIII. *Vaginæ, & capuli gladiorum.*

ANtiqui lautiores conditoria gladiorum habebant eburnea: item capulum gladij, & in eo insignia sui generis cælata. Eundem pretiosis clauis argenteis, aureis, gemmatisq; deliciis configebant. Sed tenuiores, aut etiam qui fortioribus, quam speciosis armis pugnare malebant, corneum, aut ferreum capulum aptabant, &c Ian. Gebhard. Crepud. lib. 3. cap. 10.

CXIX. *Lampades ante sponsam, & lectus nuptialis.*

MOris fuit apud Græcos, vt mater accéderet lampadas, siue tædas, & filiæ nubenti in sponsi domum præluceret. Item vt eadem, & proxima quæquæ sanguine, & affinitate lectum sterneret, atque componeret. Eædem illæ nuptam in exornatum lectum collocantes, præcepta dabant loco, & tempori congruentia. Idem cap. 12.

CXX. *Cibi tempus quadripartitum.*

DIuturna edendi opera in 4. partes diuidebatur, in ſilatum (ſic enim ientaculum vocabant) prandium, cœnam, & veſpernam, quod poſtremum Germani hauſtum dormitorium, ſeu potum ſoporiferũ nominant. Ein Schlaff-trunck. Muret. 4. Variar. cap. 12.

CXXI. *Ominoſa.*

APud veteres multa ominoſa fuerunt, tum alia quædam animantia, tum hominis Mauri occurſus, vel alterius diſtorto ore, vel alia deformitate inſignis. Hadrian. Imp. maximam ſibi calamitatem imminere præſagiuit ex Mauri occurſu. Et Romanus exercitus, cum è caſtris exeunti occurrit Æthiops, eum tanquam οἰώνισμα φαῦλον ſtatim occidit. Appian. lib. 5. bell. ciuil.

CXXII. *Stips. collaticia in pauperes amicos.*

PVlcherrimus, & verè plus Græcorũ mos pauperes amicos ſubleuãdi. Cum aduerſam fortunam paſſus eſſet aliquis, amicorum atque ſodalium facultatibus ſubleuabatur: accipiebat enim ab illis aliquam pecuniæ ſummam, ea lege, vt ſi deus aliquando meliora daret, quantũ ipſi erogatum eſſet, tantundem reſtitueret. Hanc illi ſtipem collaticiam vocabant ἔρανον, factumque ipſum ἐρανίζειν, reſpectu vt plurimum accipien-

tis.

tis, vel ἱερὰν συλλέγειν: dantis vero ἱερὰν παρφέρειν. Cas. in Charact. Theophrast.

CXXIII. *Serui relegabantur in agrum, seu villam.*

SVeton. Aug. cap. 24. Equitem Romanum, quòd duobus filijs adolescentibus causa detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsum bonaque subiecit hastæ. Quem tamen, quod imminere emptioni publicanos videbat, liberto suo addixit, vt relegatum in agros, pro libero esse fineret. Ibid Casaub. in Animaduers. More seruorum, inquit, qui dominum offenderant. Vlp. l. XXV. Dig. de hæred. instituend. Si seruus fuerit missus in villam, interim illic futurus, quia dominum offenderat, quasi ad tempus relegatur. Liuia quoque cata illa fæmina apud Dionem inter leuiores pœnas, quibus ciuium delicta castigari vult ab Octauio, κατάκλεισιν ἐν ἀγρῷ non prætermittit.

CXXIV. *Ara, Misericordiæ, Pudori, Famæ, Alacritati.*

IN foro & alia sunt opera, quæ præcipuam quandam Atheniensium in Dijs colendis diligentiam declarant: & Misericordiæ ara: cuius numini, quòd magna habeat in tota hominum vita, & casuum varietate momenta, soli ex omnibus Græcis singularem quendam honorem habent Athenienses. Neque verò illi maiorem

quam cæteri in homines humanitatem, ac non in deos etiam reliquos præseferant. Est enim sua apud illos Pudori, Famæ, Alacritati ara. Quantis vero deorum, & quæ sequuntur. Pausan. lib. I.

CXXV. *Oculos sibi depingebant.*

HOc Astyagem Regem Medorũ fecisse scribit in Cyropædia Xenophon lib. I. Et lib. 8. Cyrus ipse iam senex præcipuis amicorum, quos assiduo circum se habebat idem permisisse dicitur. In sacris litteris de Iezabele, *depinxit oculos suos stibio.* Apud Ezechielem, *Circumlinisti stibio oculos tuos.* Cyprian. de bono pudicitiæ. Quid capillorum mutatur color? Quid oculorum extremitates suffuscantur? Iuuenal. *Pingitq; trementes Attollens oculos.* Plin. Tanta est decoris affectatio, vt pingantur oculi. Muret. Not. in Xenophont.

CXXVI. *Icunculæ funiculis tractæ.*

ERant in vsu antiquitus ad puerulorum oblectamentum icunculæ quædam eo artificio confectæ, vt cum quis vnum funiculum attraheret, earum aut manus, aut collum, aut pes, aut alia aliqua pars corporis moueretur. Ea vocabant θαύματα, quòd pueris, & multitudini admirationem commouerent, & qui tales icunculas lucelli, atque quæsticuli causa circumferebant, νευροσπάσται dicebantur. Lege cætera apud Muret. in I. de Repub. Plat.

CXXVII. *Genus rogandi efficacissimum.*

ENixissimum, & sanctissimum genus orandi erat per salutem, & æternitatem Imp. Quo precum genere alicui admoto, nefas habebatur quidquam negare se petenti. Ritershus. in epist. Plin.

CXXVIII. *Qui ossa crematorum legerent.*

VTriusque parentis, præsertim matris officium fuit cremata ossa, & reliquias legere, collectásq; asportare. Tibull. *Non hic mihi mater Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.* Seneca 2. de ira cap 33. Dignus fuit cui permitteret ad ossa filij legenda a conuiuio discedere. Parentum ossa, si deerant parentes, filij legebant, vel eorum penuria alij hæredes, vel alij propinquiores, amicioresq;, vt Patrocli Achilles Iliad. Ψ. Hectoris fratres, & socij Iliad. Ω. Principum & Impp. reliquias legebant Coss. vel maiores Ordines, vt ex Herodiano constat, & Sueton. & Lazio lib. 3. comment. Reip. Rom. cap. vlt. Delrius in Hercul. Oet.

CXXIX. *Ante pubertatem opificij delectus.*

PVlchre se habuit olim Atheniensium lex, qua iuuenes, priusquam pubertatis annos attingerent,

tingerent, ad opificij delectum adducebantur, propositis publicè omnium artium instrumentis. In eam namque artem erudiendi tradebantur, ad quam naturæ impulsu ferebantur propēsius. Laudat & Fabius certum studiorum delectum facere, quòd eò, quò natura vocat, duci ingenia consultum sit. Neque enim fæliciter succedit, quidquid extortum, & inuita Minerua tentatur. Iun. Cent.2.prouerb.97.ex Nazianzeni epist. 63.

CXXX. *Sacerdotibus carnium, & piscium esus interdictus.*

AEgyptij in expiatorijs sacris non indulgebant sacerdotibus suis carnium esum, aut piscium: sed exiles quasdam volucres. Quo symbolo innuere voluerunt, parco, & leui victu contentos esse debere, qui res diuinas attrectant, aut ad deum animum erigunt: abhorrentes à crassa, & opima sagina, quæ & corpus vliginosum reddat, & mentem obnubilet, nec in altum tendi patiatur. Idem Cent.3.prouerb.1.

CXXXI. *Seruos quando torquere liceret.*

NOn licebat iure ciuili torquere liberos homines, neque seruos in caput dominorum. Sed seruum alicuius corporis, vel vniuersitatis torquere fas erat, in eorum etiam caput, qui eius corporis erant, vt Vlpian. lib.8. de Off. Procos.

scripsit, cap. 1. de quæst. Sed & veteri S. C. de seruis in caput dominorum non torquendis paulo post tempora Traiani exceptæ fuerunt tres causæ, nempe adulterij, fraudati census, & maiestatis, siue perduellionis. Fr. Balduin. in epist. Plin. ad Traian.

CXXXII. *Fabius, Manius.*

NOmen Fabius in exemplis hominum liberorum θετικῶς vsurpare veteres solebant. Cic. 2. de Diuinat. Q. Fabi, te mihi in auspicio esse volo. In Top. Si Fabiæ pecunia legata est *in viro.* In seruis Manium dicere solebant. Cato de re rust. Cum diuis volentibus, quodque bene eueniat, mando tibi, Mani. Turneb. in 1. Acad. Cic. Sic apud Persium sat. 1. Pedio pro mali oratoris exemplo. Sic Meuius, & Titius apud Iureconsultos, Dio & Plato apud Græcos, Zeidon. & Amron. apud Arabes.

CXXXIII. *Poëtarum corona triplex.*

HEdera, lauro, myrto coronabantur, vt Baccho, Apollini, Veneri sacri: quia Poëtæ potæ, & συμποτικοὶ; quia vates; quia amoribus canendis, & exercendis dediti. Ouid. 3. Artis. *Nam chorus ante alios aptus amare sumus.* Marcilius in Prolog. Persij.

CXXXIV. *Certamina poëtica.*

DE certaminibus Poëtarum Sueton. Aug. c. 89. Caligula 53. Domitiano 4. Veniebant autem

autem ad commissiones coronati. Qui vinceretur, is detractam sibi coronam dabat vincenti. Quò Flaccus alludens dixit sat. vlt. lib. 1. de se, & Lucillio, quem carpserat. *neque ego illi detrahere ausim Hærentem capiti multa cum laude coronam.* Hæc pœna ignaui poëtæ, &c. Idem ibid.

CXXXV. *Integra, & perfecta sacrificabantur.*

QVod offerebatur deo, nefas erat esse mancum, & imperfectũ, cuiusmodi esset morbosa victima, spurcum vinum, defrutum, igne tactum, mustumue antequam deferuescat. Ne ebur quidem, inquit Plato XII. de leg. b. est castum deo donum; quia est ex mortuo corpore, & corrumpi potest. Qui claudam & mutilam, & qualibet forte maculatam obtulerit hostiam, lege dei sacrilegij reus est. Leuit. 21. Ea re prisci, antequam victimam coronarent, explorabant εἰ ἐντελὴς siue παντελὴς εἴη, si legitima, aut perfecta esset, ne quid forte mactarent eorum, quæ mactari nefas. Estque adnotatum, Indos non iugulare victimas, sed præcluso spiritu necare, vt refert Strabo l. 15. ἵνα μὴ λελωβημένον, ἀλλ' ὁλόκληρον δίδωται τῷ θεῷ, ne quid mancum, sed integrum offeratur Deo, &c. Paschalius de Coronis lib. 1. cap. 7.

CXXXVI. *In expositione infantum quid seruarent matres.*

 Græcæ

GRæcæ mulieres cum rem sæuam facerent, atque ex se natos infantes exponerent, aliquam tamen pietatis speciem retinebant, nec patiebantur filios nudos prorsus, expertesque suorum bonorum ad mortem tradi, nec obliuiscebantur penitus se matres esse; sed aliquid sui ornatus sibi detrahebant, corporique ipsorum imponebant. Inde autem postea (vt poëtæ comici, tragicique fingunt) aliquando illi agnoscebantur, mutatisque temporibus, ac fortunis parentum, libenter in familiam suam asciscebantur. Hoc diligenter exposuit Terentius in Hæautontim. &c. Victor, lib. 2. cap. 3.

CXXXVII. *Reges Persarum.*

VT venerabiliores essent, rarò sui copiam populo faciebant, ne assiduo, seu frequenti conspectu persona regis vilesceret. Sine eius facultate nemo audebat regiam intrare. Erant soluti legibus, & omnes subditos habebant pro mancipijs. Flagellati gratias agebant, quod rex eorum fuisset memor. Ex Brissonio de regno Persar.

CXXXVIII. *Vir in veste muliebri.*

ROmæ prodire virum in veste muliebri, manicata, ac talari videlicet, velo, non toga amictum, pro delicato, impuro, impudico habebatur. Faber Semest. lib. 1. pag. 43.

CXXXIX. *Pœna falsi.*

Falsum

FAlsum admissum siue in moneta & nummis, siue in scripturis, iudicialibus gestis, & instrumentis, siue in ponderibus, & mensuris, & alijs cuiusque generis, præcisione vtriusque manus Aegyptij vindicabant. Idem Semest. lib. 3. pag. 286.

CXL. *Christiani veteres orabant conuersi ad Orientem.*

PRiscaEcclesia hoc ab Apostolis acceptum religiosissimè obseruauit. Clemens in Constitut. Apostol. lib. 2. cap. 61. Orig. in Num. Hom. 5. Tertullian. in Apologet. cap. 16. (vbi etiam Christianos falsò hoc nomine insimulatos ab Ethnicis ait, quasi Solem pro Deo haberent.) Augustin. de serm. dom. in monte. Athanas. quæst. 37. Vixque antiquus auctor vllus reperitur, qui non huius ritus mentionem faciat. Rationem Iustinus exponit quæst. 118. Quia quæ apud nos meliora, & præstantiora sunt, ad dei honorem seceruimus: hominum autem opinione pars ea in qua sol oritur cæteris creatæ naturæ partibus præstantior est: hinc Orientem, cum precamur, omnes intuemur. Sed magis placet Basilij ratio, qui lib. de Spirit. sancto id idcirco fieri ait, quia vetus patria requiratur; nimirum paradisus ille, quem plantauit deus in Eden ad Orientem. Hac de re Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa ca. 13. Ex Scholiaste in epist. Nazianzeni 66.

CXLI. Χρῆστα, & χρήσιμα.

ERant in ſcriptoribus loca non oſcitanter legenda, quod vtilia eſſent: quæ & χ figura decuſſatim ſcripta notabantur. Latini laudabilia vocabant, & his ſignis L L. hoc eſt, locus laudabilis, vt Valer. Probus ait, deſignabant. Contra quæ culpanda, damnandaúe videbantur, Græci fere littera θ, & vtrique obelo fodiebant, quod & ὀβελίζειν erat. Pithæus Aduerſar. 1. cap. 3. Victorius in Varron. de re ruſt. ſe L. litteram, vel τὸ Laudabile in vet. libris perſæpe reperiſſe. Ioſeph. Scalig. argutè explanauit. Caſaubon. ad Laert. Wouerius in Polymathia.

CXLII. *Vſurarij.*

VSurarij funeri aliquando intercedebant, ne ſepelirentur mortui, niſi prius credito perſoluto, & depenſis vſuris, aut datis vadibus. Ibid. locus S. Ambroſij. Gretſerus de fun. Chriſtiano lib. 2. cap. 1.

CXLIII. *Caſtitas veterum Chriſtianorum.*

AT nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus; vnius matrimonij vinculo libenter inhæremus: cupiditate procreandi aut vnam ſcimus, aut nullam. Conuiuia non tantum pudica colimus, ſed & ſobria. Nec enim indulgemus epulis, aut conuiuium mero ducimus; ſed

graui-

grauitate hilaritatem temperamus, casto sermone, corpore castiore. Plerique inuiolati corporis virginitate perfruuntur potius, quam gloriãtur. Tantum deniq; abest incesti cupido, vt nonnullis rubori sit etiam pudica coniunctio. Minutius in Octauio.

CXLIV. Signum pugnæ vexillum purp. seu tunica russata.

SIgnum futuræ pugnæ vexillum purpureum fuit, quod adseruabatur meritò in tabernaculo ducis; quia illi soli ius, & arbitrium proponendi. Hoc insignitè, & κατ' ἐξοχὴν vexillum dictum. At de more Cæsar belli Gallici lib. 2. Cæsari omnia vno tempore erant agenda. Vexillum proponendum, quod erat insigne cum ad arma conuerti oporteret. De bello Ciuili. Sequenti die cum iter facere Cęsar vellet, renuntiatum est à speculatoribus, Pompeium de tertia vigilia in acie stetisse. Hoc nuntio allatò vexillum proposuit. Plutarch. in Fabio ait fuisse tunicam coccineam super prætorium extensam. Nó ergo simpliciter velum fuit, sed tunicæ forma. Mansit is mos ad tempora imperij labentis. Lipsius ad Annal. 1. Taciti.

CXLV. Cadauer ostendebatur.

SI cadàuer adhuc vegetum & coloratum esset, ipsum in thoro, siue lecto ostendebatur. Sin autem (vt in peregrè functis, aut diu functis) aut

non esset cadauer, aut decore proponi non posset, effigies cerea eius loco in lecto ostendebatur. Idem ad Annal. 3.

CXLVI. *Signa ornabantur rebus lætis.*

REbus lætis, & militia prospera ornari signa mos fuit lauro, floribus, vnguentis. Claudian.

Lætaturq; tamen: Mauortia signa rubescunt
Floribus, & subitis animantur frondibus hastæ.

Contra in tristitia, & rebus atris signa erant incompta, & horrida, &c. Lipsius ad Annal. 1. in Excursu.

CXLVII. *Gladij gladiatorum.*

MOs fuit, priusquam paria gladiatorum committerentur, vt sicæ, siue gladij quibus pugnandum esset, Editori publicè exhiberentur, ratisne essent acuti, &c. Idem in Excursu ad Annal. 3.

CXLVIII. *Damnati grauioris criminis.*

OLim qui essent damnati grauioris criminis, puta Maiestatis perduellionis, tyrannidis non ipsi solum afflicti sunt, & perditi; sed nomen quoque & memoria eorum. Multa ibidem præclara de pœnis tyrannorum in imaginibus, & statuis eorum, Excursu ad Annal. 6.

CXLIX. *Aduocatio amicorum in iudicijs.*

MOris erat in iudiciis tum priuatis, tum publicis, amicos omnes aduocare, quorum auctoritate iudices moueri posse putabantur, iique, vt scribit Asconius, Aduocati dicebantur, qui scilicet præsentiam suam amico commodabant. Hotoman. in Quintianam.

CL. *Præcones.*

IN comitijs legum, subijciente scriba, leges pronuntiabant: in comitijs magistratuum tribus citabant; qui designati essent renuntiabant: In iudicijs iudices, reos, & testes citabant: audientiam faciebant: Oratores dixisse pronuntiabant: in auctionibus rei pretium indicabant: addictam à magistratu rem venditam pollicebātur. Cum Iudices de consilio dimittebantur, pronuntiabant, Actum est, Ilicet, id est, ire licet. Idem ibid.

CLI. *Disceptatio intra parietes.*

PRiusquam iudicio contenderent, honoraria amici opera plurimum vtebantur, qui intra domesticos parietes de illorum controuersia disceptaret. Cic. pro Quintio. Si quid in controuersiam veniret, aut intra parietes, aut summo iure experiretur. Liuius lib. 4. quo loco de Ardeæ ciuitatis Legatis commemorat. Quum res peragi intra priuatos parietes nequisset, ventū in

ius

ius est. Hoc est quod Cic. pro Cæcina dicit, ea iudicia, quæ distrahendarũ controuersiarum caussa reperta sunt, persæpe disceptatore domestico disceptari. Ibid.

SYNTAGMA TERTIVM.

MIRA MIRORVM.

In hominibus.

I. *Villatica pastio. Valer. Imp.*


Alerianus Imp. teste Vopisco aluit in villa sua priuata vaccarum duo millia, ouium decem millia, caprarum quindecim, equas mille.

II. *Incrementum corporis properatum.*

ANno 1549. in agro Tigurino natus est puer, cui nomen inditum Henricus, qui sexto ætatis anno adolescentem quatuordecim annorum proceritate, & crassitudine corporis superauit.

III. *Nati, & mortui vno anno Augustæ.*

ANno 1441. nati sunt Augustæ Vindel. mille quadringenti septuaginta quatuor: mortui mille centum septuaginta tres; matrimonio iun-

ctI octingenti octoginta octo. Rursum anno 1549. baptismo lustrati infantes mille septingenti quinque: sepulti mille ducenti viginti septem, peste non grassante. Annales Sueuici.

IV. Πολυτοκία, *seu partus frequens, nec simplex.*

IN oppido BinniKensi (est in palatu superiore) vixerunt duo honesti coniuges, & ciues, Adamus Stratzmanuus, & Barbara Smatzerina, qui vna fuerunt in coniugio ad annos quinquaginta, & per id tempus procrearunt liberos tres supra quinquaginta: omnes membris humanis distinctè præditos, sexu etiam manifesto, & diuerso. Abluti sacro fonte omnes præter tredecim. Mater peperit interdum vnos, interdum binos, aliquando ternos, ad summum quaternos. Cum forte quatuor edidisset, & è puerperio post sex hebdomadas, vt solet, exijsset, totidē hebdomadibus post iterum tres enixa est: nempe XII. hebdomadibus septem liberos. Vltimo anno vnicam duntaxat prolem fudit. Nulli porro vltra nouennium vitam produxere. Hæc mira litteris Præfecti vrbis, Consulis, & Senatus cōfirmata sunt anno Domini 1549. cum parentes illi annis ante XLVI. decessissent. Annales ijdem

V. *Hospitalitas.*

CArolus Gothorum Rex in patria XXXI. inter maximas leges, & mandata instituit, vt

Gothi

Gothi, ac Sueci inter se, & maximè in omnes alienos ac peregrinos hospitalitatem obseruarent, summumque nefas ducerent, quicunque viatorem tecto excluderet. Quod si quis facere tentasset, & idoneis testibus ter negasse hospitium conuictus fuisset, immisso igne ædes eius comburi iussit: vt domo propria iustè priuaretur, qui eius vsum inhumaniter denegasset. Ioan. Mag. histor. Gothicæ lib.4. cap.1. Idem scriptor cap. sequenti de Suecorum, Gothorumq; humanitate, & liberalitate in hospites, & aduenas multa prædicat, quorum causa & origo lex Carolina fuerit.

VI. *Gratiani, & Domitiani Augg. item Hormisdæ Persarum Regis* εὐστοχία.

GRatianus Imp. occidentis, Valentiniani senioris F. Ausonij poetæ discipulus tam εὔστοχος hoc est, in eo quod iaculo petebat tangendo tam fælix fuit, adeo bene & peritè collimabat, seu collineabat (quomodo hodie quidam scribunt) vt aliqui dixerint, eius tela esse mente prædita. Cedrenus. De Domitiano Sueton. cap. 19. Sagittarum vel pręcipuo studio tenebatur. Centenas varij generis feras sæpe in Albano secessu conficientem spectauere plerique: atque etiam ex industria ita quarundam capita figentem, vt duobus ictibus quasi cornua effingeret. Nonnunquam in pueri procul stantis, præbentisque

eisque pro scopo dispansam dexteræ manus palmam, sagittas tanta arte direxit, vt omnes per interualla digitorum innocuè euaderent. De Hormilda Persarum Regis filio Zonaras Tom. III. iaculator erat adeo peritus, vt prædiceret qua parte hostem percussurus esset. Adde his Cambysen ex Herodot. lib. 3.

VII. *Prælium nauale ad Echinadas.*

TVrca ad Echinadas habuit naues CCLXX. nostri CCIII. Ceperunt autem Turciacas CLXXX. summerserunt LXXX. occiderunt hostium millia triginta. Perierunt de nostris millia septem sexcenti quinquaginta sex. Vires coniunxerunt ad id bellum Pius V. Pont. max. Philippus II. rex Hispaniæ, & Respub. Veneta. Ducem misit pro suis Pont. M. Anton. Columnam Romanorum nobilissimum: Veneti Sebastianũ Venerium Patriciæ gentis: Philippus Ioannem Austrium, penes quem in congressu summa imperij fuit. Recreauit totum orbem Christianum ea victoria, & omnium mentes ad spem rerum meliorum erexit. Obtenta est Non. Nouemb. anno post Christum natum M. D. LXXI. Attexamus scripturam, quæ Romæ in sacello Pij V. magnificentissimè ornato legitur.

Solymum Turcarum Tyrannum, multis insolentem victorijs, ingenti parata classe, Cyproque expugnata Christianis extrema minitantem, Pius V. fœdere cum Philippo II. Hispan. Rege,

ac Repub. Veneta inito, M. Anton. Columnam Pontificiæ classi præficiens, ad Echinadas hostibus XXX. millib. cæsis, X. mill. in potestatem redactis, triremibus CLXXX captis, XI. (forte LXXX. vt supra) demersis, XV. millib. Christianis à seruitute liberatis, precibus & armis deuicit.

VIII. *Iulius Cæsar, Cn. Pompeius.*

IVlius Cæsar in bellis suis occidit hominum vndecies centena nonaginta duo millia. Pompeius in delubro Mineruæ inscripsit, fusa à se, fugata, occisa, in deditionem accepta vicies semel centena octoginta tria millia. Adi Plin. lib. 7. c. 25. & 26. De Iulio, Seneca de Benef. lib. 4. *cap.* 30. C. Cæsar, humani sanguinis auidissimus, quem non aliter fluere in conspectu suo iubebat, quàm si ore excepturus esset. Si vera loquitur Seneca, speciosius quàm verius, non sine assentatiuncula à M. Tullio in Marcelliana dicta sunt illa tam multa de eius tanta mansuetudine, de tam inusitata inauditaque clementia, de cohibita iracundia, temperata victoria, de bellicis eius laudibus omnium gentium litteris atq; linguis celebrandis. Sed respondebit, sapientis esse tempori seruire; & quod scripsit Lentulo, Non idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus. Itaque in Off. sceleratissimum tyrannum appellauit, sed iam mortuum.

IX.

IX. *Mulier proceriſsima, & craſsiſsima.*

SVb Iuſtino ſeniore venit mulier Conſtantinopolim è Cilicia, genere gigantum orta, quę virum quemuis, etiam maximè procerum vno cubito ſuperabat; cui longitudini craſſities quoque reſpondebat. Glycas Annal. parte IV. Deſcribit eam pluribus Zonaras in Iuſtino Thrace Tom. III. De fœmina quadam Romana gigantei corporis Auguſtin. Ciuitat. lib. 15. cap. 23.

X. *Diſſenſio multiplex nimis philoſophorum de ſummo bono.*

SEntentias philoſophorum de beatitate, ſiue ſummo bono, Varro diligenter & ſubtiliter ſcrutatus, ad CCLXXXIII. peruenit, non quæ iam eſſent, ſed quæ eſſe poſſent. Vide etiam Lactantium lib. 3. cap. 8. Clement. Alex. Stromat. lib. 2. cap. 11. Auguſtin. potiſſimum de Ciuit. dei lib. 18. & 19. Idem lib. 13 de Trinit. cap. 4. huiuſmodi opinionum diuerſitates de fælicitate hominis ab ignorantia vult profectas. Si omnes enim eam noſſent, inquit, alijs non putaretur eſſe in virtute animi, alijs in corporis voluptate, aliis in vtraque: Vt enim eos quæque res maximè delectauit, ita in ea vitam beatam conſtituerunt. De noſtro porro, id eſt, Chriſtianorum bono vltimo ſic ſcribit Ciuitatis lib. 10. cap. 4. Bonum noſtrum, de cuius fine inter philoſophos magna contentio eſt, nullum eſt aliud, quam illi

cohærere; cuius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu veris impletur, fœcundaturque virtutibus. Lib. autem 8. sic definit. Summum bonum est, quo referuntur omnia quæ agimus: & quod non propter aliud, sed propter seipsum appetentes, idque adipiscentes, nihil quo beati simus, vltra requirimus. Ideo quippe & finis est dictus, quia propter hunc cætera volumus: ipsum autem non nisi propter ipsum.

XI. *Energumeni.*

EVstachia virgo Patauina. Eam deus maioris gratiæ, & gloriæ caussa toto vitæ tempore, quod illa patientissimè, & sanctissimè transegit, energumenam, id est, à cacodæmone obsessam esse permisit: cuius defunctæ corpusculo inscriptum indelebili charactere inuentum est nomẽ Iesu. Bernardin. Scardeon. lib. 2. antiquit. Patauin. classe 6. Stelechiũ monachũ, virũ probissimũ tamen deo vel permittente, vel iubente à cacodæmone obsessũ piè, & eruditè consolatur aureũ orationis flumen fundẽs Chrysostomus. Liber, si quæris, de Cõpunctione cordis inscribitur. Quid sit ἐνεργούμενος ex Patrib⁹ Græcis docet Hæscheli⁹ Notis ad vita S. Antonij, à se cõuersam, pag. 140.

XII. *Clemens VII. sinapi delectabatur.*

NVllam vnquam vel publicam, vel priuatam cœnam instituit, quin adhiberet sinapi. Et astabant agricolæ, olitoresque plenis cala-

thiscis iucundè inter se certantes, quis eorum melius vel serere, vel condire didicisset. In vita.

XIII. *Regina Saba donauit Salomoni pane sesquimillionem.*

CEntum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas donasse Regi sapientissimo Regina prudentissima, & discendi cupidissima scribitur. Porrò tot talenta quot diximus, si singula duodecim mille drachmis constent, efficiunt summam vnius millionis & quadringentorum quadraginta millium ex nostris coronatis, aut scutis aureis. Adde aromatum, & gemmarum ingens pretium. Ex Pineda de rebus Salomonis lib. 5.

XIV. *Salomon, & Achaz Reges.*

SAlomon 11. ætatis anno genuit Roboam, quod Hieronymus ad Vitalem epist. 132. non tam naturæ, quàm miraculo tribuit; & duodenis occœpit regnum, quo anno inter meretrices duas iudicauit, vt refert epist. ad Magnesianos S. Ignatius. Achaz quoque rex Iuda 11. aut 12. anno filium Ezechiam procreauit, quo exemplo superius Hieronymus confirmat. Ex eodem Pineda lib. 3.

XV. *Edacitas, & bibacitas.*

MIlo Crotoniata xx. carnis libras, & totidem panes edebat: congios vini tres bibebat. Athenæus lib. 10. Eodem libro quàm vinosi fue-

rint Philippus & Alexander: & hic quidē adeo, vt sæpius duos totos dies noctesque cubans crapulam edormiret. Apud Persas autem vno tantùm die festo, quo Mithræ sacra fiebant, regi licebat ad ebrietatem vsque vino indulgere: & eo solo die Persico more saltare: quo die vniuersi qui habitabant in Asia, saltationibus abstinebant. Legi de fæmina, quæ cum non admodum esuriret, potuit vno prandio deuorare panes octo, mensuras vini exhaurire tres, carnis libras absumere sex, sine vllo incommodo: vt de caseo, & fructibus taceam. Aglaidem mulierem refert Aelian. lib. 1. cap. 26. consumere solitam vna cœna duodecim minas carnium, & quatuor chænices panū, & bibere congium vini. *Idem* cap. 27. multos multiuoros nominat.

XVI. *Lusor pilæ, & alius propter poema honorati.*

Aristonicum Carystium Alexandri comitē, cuius officium erat coram rege pila ludere, ob eius artis peritiam Athenienses ciuitate donarunt, ac insuper statua. Posteriores enim Græci artes manuarias, & plebeias multo pluris æstimarunt, quàm partam rerum eruditione intelligentiam. Athenæus lib. 1. Idem obseruat Homerum ex Heroidibus solam Nausicaam Alcinoi regis Phæacum filiam pila ludentem in Odyssea induxisse.

Phrynichum Athenienses belli ducem creauerunt

uerunt neque gratia aut fauore, neque propter generis claritudinem, neque verò quod diues esset. Sed cum Pyrrhichistis in quadam tragœdia conuenientes, & bellicos modulos fecisset, adeo tenuit vniuersum theatrum, vt confestim ducem eligerent, arbitrantes eum bellicis rebus vtiliter præfuturum, qui à viris armatis non abhorrentia carmina in dramate confecisset. Aelian. lib. 3. cap 8.

XVII. *Vxor Catonis Censorij.*

CAtonis maioris, siue Censorij vxor vernas quoque suos, id est, seruorum infantes sæpius lactabat: vt commune nutrimentum eos, vbi creuissent, filio suo beneuolentiores redderet. Plutarch. in Catone. At hodie honoratiores, ac nobiliores matres, quos genuerunt ipsæ nutricibus statim cõmittunt, perinde quasi fontes illi lactis ad ornatum pectoris tantummodo à natura dati sint. Quem morem à sapientibus improbatum alibi monui.

XVIII. *Marcelli, & Iulij Cæs. victoriæ.*

MArcellus nullam pugnam vnquam detrectauit: & collatis signis varijs cum hostibus vndequadragies prospero Marte certauit. Fr. Patricius de Rege lib. 6. De Iulio Cæsare in Marcelliana Cic. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infini-

tas, omni copiarum genere abundantes. Et paulo supra. Nec vero disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis, non dicam cursibus, sed victorijs illustratas sunt.

XIX. *Reges Persarum.*

PErsæ reges suos adeo colebant ac venerabantur, vt tussire, spuere, oscitare, nasum emungere, &c. ante eos nefas haberetur. Idem lib. 1.

XX. *Constantinus M.*

COnstantinus Crispo filio ex Mineruia suscepto, & à se propter Faustæ vxoris calumniam interfecto statuam argenteam, auro superfuso, capite aureo posuit, cum hac inscriptione, ἠδικημένος υἱός μου. FILIVS MEVS INIVRIA LÆSVS. Sirmond. Notis in Epist. Sidonij. Cum patre baptismo lustratus, & ab eo Cæsar renunciatus, multas cum eodem pro Christianis leges tulit; cuius imperij anno vicesimo vitam perdidit. Niceph. lib. 7. cap. 33. & 35.

XXI. *Rex Scotiæ S. Crucis cultor eximius.*

COnuallus XLVII. Scotiæ rex inter cætera suæ pietatis signa perillustria, ad amorem Christi crucifixi intimis suorum animis inserendum, eius crucem in arcibus, oppidisq; collocandam studiose curauit; sibique quocunque iret, illam

ex argento affabrè factam, præferri voluit, cui & equum ascensurus osculum suauiter imprimebat. Seuero item edicto prohibuit, ne quis eam sumi, ita vt pedibus teri, & conculcari posset, aut pingere, aut fingere auderet. Leslæus Hist. Scot. lib. 4.

XXII. *Homeri admiratio.*

SCriptum lego, dixisse veteres, eum non hominem, sed deum quendam fuisse, missum in terras ex superorum concilio, vt hoc diuinum carmen ad homines perferret. Item, non Homerum, sed Apollinem ipsum eorum carminum auctorem esse: sed ideo nomen alienum præscripsisse, vt diuinam maiestatem tegeret. Quare quidam greco versu sic loquentem fecit Apollinem, *Carmina sunt mea: sed manus hæc descripsit Homeri.* Alius omnino deum habendum sic præscripsit.

Si deus est, diuinus honos tribuatur Homero,
Sed si non deus est, deus hic tamen esse putetur.

Camerar. Proleg. in Homerum. Homerus diuina naturæ indole, iudicio exquisitissimo, experientiaq; rerum omnium præditus. Max. Tyrius Dissertat. XVI. Notent hoc elogium, qui eum, duce Scaligero, tam atrociter flagellant. Hæc perpauca de innumeris, quæ de hoc Poetarum deo à Poetis, Oratoribus, Historicis, Philologis, Regibus, Imperatoribus præclarissimè dicta, scripta feruntur.

XXIII. *Alexander Grammaticus errantem modestissime corrigebat.*

OBseruabam ab increpationibus sibi temperare; neque ignominiose castigare, si quis barbarum, soloecum, aut absonum quippiã protulisset: sed ciuiliter id modò quod dicendum fuerat pronunciare: perinde ac si respondens vel suam sententiam interponeret, vel rationem re ipsa, non verbo cum altero conferret: aut omnino alia quadam solerti, & obliqua subadmonitione idem efficiebat. M. Antonin. Philosoph. de vita sua lib. 1.

XXIV. *Petrus Alcyonius.*

IMpudens gulæ mancipium, ita, vt eodem sæpe die bis, & ter, aliena tamen quadra, cœnitaret: nec in ea fæditate malus omnino medicus: quod domi demũ in lecti limine per vomitum ipso crapulę onere leuaretur. Luculento opere de toleranda exilij fortuna ita eruditionis, & eloquentiæ famam sustentauit, vt ex libro de Gloria Ciceronis, quem nefaria malignitate aboleuerat, multorum iudicio confectum crederetur. Iouius in Elogijs.

XXV. *Joannis Pici Mirand.*

φιλογλωσσία.

EPistola ad Marsil. Ficinum, Postquam, inquit, Hebraicæ linguæ perpetuũ mensem dies noctesq; inuigilaui, ad Arabicæ, & Chal-

daicæ

daicæ studium totus me contuli, nihil in eis veritus me profecturum minus, quàm in Hebraica profecerim: in qua possum, nondum quidem cum laude, sed citra culpam, epistolam dictare. Vide quid possit impetus animi: vide quid labor, & diligentia, etiam vbi sint vires infirmiusculæ. Rursum ad Andream Corneum. Et ne credas nostræ industriæ, & laboris quidquam remissum, scito me post multam assiduis, indefessisq; lucubrationibus nauatam operam Hebraicam linguam, Chaldaicamq; didicisse, & ad Arabicam euincendas difficultates nunc quoq; manus applicuisse. Hæc ego Principis viri & existimaui semper, & nunc existimo.

Potuit igitur vir hic & nobilissimus, & longè doctissimus à numero quas calluit linguarum, πενταγλωττος, vt quondam Epiphanius, nominari. Latinè siquidem, Græcè, Hebraicè, Chaldaicè, Arabicè didicit. Floruit eius sæculum viris doctrina, & ingenio excellentibus. Patruus fuit Ioannis Francisci Pici, qui ipse quoque ex litteris inclytum nomen est consecutus.

XXVI. *Summa fœlicitas.*

VNa fæminarum in omni æuo Lampido Lacedæmonia reperitur, quæ regis filia, regis vxor, regis mater fuit. Vna Pherenice, quæ filia, soror, mater Olympionicarum. Vna familia Curionum, in qua tres continua serie oratores extiterunt. Vna Fabiorum, in qua tres continui

principes senatus, M. Fabius Ambustus, Fabius Rullianus filius, Q. Fabius Gurges Nepos. Plin. lib. 7. cap. 41 Subiungit cap. 42. Cætera exempla fortunæ variantis innumera sunt. Etenim quæ fecit magna gaudia, nisi ex malis? aut quæ mala immensa, nisi ex ingentibus gaudijs? Vidit nostra quoque ætas in mulieribus fælicitatem similem. Maria enim Caroli V. Imp. filia Maximiliani Imp. coniux, Rudolphi Imp. mater. Philippi II. Hispan. Regis soror fuit.

XXVII. *Excæcatio splendida. Heliog. funes, gladii, venena, turris.*

CVm Bernardus Pipini F. Caroli M. nepos, Italię rex ab eodem creatus res nouas moliretur, à Ludouico Pio patruo coercitus est, decretumq; de sententia procerum, vti oculis orbaretur, atque ita diutius moreretur. Impetrauit tamen ne stylo, quomodo coniurationis suæ socijs, ac satellitibus, lumina effoderentur: sed aurea pelui solis radijs opposita, in eaque oculis continenter defixis aspectum amitteret, & regificè saltem torqueretur. Aimon. lib. 5. cap. 10. Hoc modo ad clypeum nitidissimum soli obiectum sese fertur excæcasse Democritus philosophus. Laert. lib. 9. Heliogabalus, vt etiam mors sua pretiosa esset, & ad speciē luxuriæ, vt diceretur nemo sic perijsse, cum ei à sacerdotibus Syris prædictum esset biothanatum futurum, hoc est, violenta morte interiturum, parauerat funea

blatta

blatta, & serico, & cocco intortos, quibus si necesse esset, laqueo vitam finiret. Parauerat & gladios aureos, quibus se occideret, si aliqua vis vrgeret. Parauerat & in ceraunijs, & hyacinthis, & smaragdis venena quibus se interimeret, si quid grauius immineret. Fecerat & altissimam turrim, substratis aureis gemmatisque ante tabulis, ex qua se præcipitaret. Lamprid.

XXVIII. *Totilæ Regis mors, & exhumatio.*

TOtilas Gothorum rex vexauit, & attriuit Italiam vehementer totis XI. annis quibus regnauit. Eius obitus Romanis tantum peperit gaudium, vt tumulo erutum primores spectare, & num verè ipsius cadauer esset certò scire voluerint. Procop. lib. 3. de bello Goth.

XXIX. *Malum consilium consultori pessimum.*

EPiscopus Virdunensis caueas quasdam ferreas omni carcere diriores in pœnâ potius, quàm in custodiam qualiumcunque reorum excogitauerat, & Regi Lud. XI. suggesserat, ac sibi de præclaro inuento multum plauserat. In earū prima iussu regis inclusus totis annis XIV. ridiculus, & mœstus permansit. Exemplum Perilli, & eius tauri ænei, ad torquendos homines fabricati renouatum videmus. Philipp. Cominæus in Lud. XI. cap. 136.

XXX. *Augustus augustissimè honoratus.*

AVgusto Romanum imperium adepto, non trophæa tantùm vt victori, sed etiam vt Diuo, & supra humanum fastigium euecto multæ gentes, præsertim Celticæ, delubra, & aras instituerunt. Vide Steph. Forcatul. de imperio Gallor. lib. 2. à num. 70. Horat. ep. 1. lib. 2.

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasq; tuum per nomen ponimus aras.

Maturos dicit, quia viuo diuini honores habiti; alijs Impp. demum post mortem. Poetæ illius temporis adhuc viuentem ausi sunt appellare deum. Vide Torrent. in Aug. Suetonij ad cap. 52. Vrbes eius nomino conditæ, & ab eo Sebastæ, & Cæsareæ appellatæ. Reges Romam eius videndi venerunt.

XXXI. *Pueri diuersæ nationis quam simillimi.*

TOranius M. Antonio iam triumuiro eximios forma pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans alpes vt geminos vendidit: tanta vnitas erat. Postquã deinde sermone puerorum detecta fraude à furente increpitus Antonio est, inter alia magnitudinem precij conquerẽte (nam ducentis mercatus erat sestertijs) respondit versutus ingenij magno, ob id ipsum se tanti vendidisse, quoniam non esset mira similitudo in vllis eodem vtero editis: diuersarum

quidem

quidem gentium natales tam concordi figura reperiri, supra omnem esse taxationem. Adeoq; tempestiuam admirationem intulit, vt ille proscriptor animus, modò & contumelia furens nō aliud in censu, & fortuna sua duceret. Plin. lib. 7. cap. 12. Vide etiam de similitudine Antiochi regis Syriæ, & Artenonis plebei; & quid fecerit Laodice regina apud Valer. lib. 9. cap. 14.

XXXII. *De Carolo M. Imp.*

MAtrem summa pietate coluit. Pipini filij filium Bernardum, & quinque ab eo relictas filias inter suas educauit. Nullā nuptui tradidit quoad viueret, dicens, se suorum domesticorum contubernio carere non posse. Supra cœnā rarò plus quàm ter bibebat. Cœna quotidiana quaternis tantum ferculis præbebatur: præter carnem assam, quam venatores verubus inferre solebant: qua ille libentius quàm vllo ciborum genere vescebatur. Inter cœnandū autem admodum frequentissimè lectorē audiebat. Legebantur autem ei historiæ, & antiquorū res pręclaræ. Omniū nationū quæ illi subessent, memorabilia gesta, quæ scripta non erant, scribi, & memoriæ mandari iussit, &c. Psallendi legendiq; officia in Ecclesia discreuit. Choris psallentium se immiscuit. Crantzius Saxoniæ lib. 2. cap. 7. 8. 9.

XXXIII. *VVeidekindi Ducis pietas.*

Cum

CVm Weldekindus primarius Saxonum Dux ad fidem Christi peruenisset, permisit Imperatori Carolo arcem suam, vt firmaret in eo Episcopo locum: capax enim amborum fuit, ita vt Episcopo diceret, Tua atque mea erit communi iure arx ista: vt inde Saxonum lingua Myn dyn, id est, Mea tua diceretur. Idem lib. 2. cap. 16.

XXXIV. *Choros ducentes toto anno continenter.*

QVoniam in hoc Syntagmate admirabilitatem habemus propositam, id est, quæ homines admiranda, & stupenda aut fecerunt, aut tulerunt, aut habuerunt humanitus, nihil, credo, impediet quin recenseamus etiam, quæ *illis* plena admirationis contigerunt diuinitus. Quãquam quę admirationem pariunt in hominibus, eorum pleraq; , in animantibus autem, & rebus sensu nullo præditis omnia deo adscribẽda sunt: siquidem naturalia sunt, & ille naturam vniuersam benignissime, ac sapientissime condidit. Extat igitur apud Crantzium Saxoniæ lib. 4. cap. 33. historia huiuscemodi. Memoranda plurima vidit hæc ætas. Choros agitantes viros cum fæminis, vino æstuãtes, & clamantes insolenter, rogabat Curio sacris operaturus, in Colbeke villa Halberstadensi, sacra nocte Dominici Natalis, in cœmeterio S. Magni, ne diuinum officium interrumperent. Nihil fecere minus. Ille ad impatientiam versus, correptusque zelo, & indigna-

nem diuinæ iniuriæ, & contemptus in religionem? Quando, inquit, mecum diuina religio contemnitur, sit vobis saltatio ista annalis. Exinde vltio diuina contumaces insequitur: sine cessatione, sine vlla quiete, per dies & noctes, absq; cibo orbem saltatorium versare coacti sunt, cum stupore, & commiseratione aspectantium. Aliquot sancti viri orabant pro illis: frustra. Sororē quidam suam extracturus de choro brachium fertur euulsisse: illa saltare perseuerabat. Impressere alta terræ vestigia, quod necesse fuit. Anno demum euoluto quieuere. Maior pars spiritum efflauit: pauci qui superfuere, recreati, insigni se pœnitentia macerarunt.

XXXV. *Interfectores Iulii Cæsaris.*

BRutus & Cassius opperierunt ijs, quibus Cæsarem interfecerant gladijs confossi: qui verò alij earum insidiarū participes fuerūt, aut ante, aut tum, aut postea temporis, paucis quibusdā except is perierunt. Ita nimirum & iustitia postulabat, & deus volebat eos interire, qui virum ad id virtutis, & fortunæ progressum, ac insuper benefactorem suum occidissent. Dio lib. 48.

XXXVI. *Fuluiæ potentia.*

ANno sequenti (ab v.c. 713.) P. Seruilius, & L. Antonius nomine, re ipsa hic, & Fuluia consulatum gessere. Hæc Cæsaris (Octauiani) socrus, ac M. Antonij vxor, Lepido (Triumuiro) propter ignauiam contempto, ipsa rempub. admini-

ministrauit: ita vt neque senatus, neque populus quidquam præter eius sententiam statueret. Ipse L. Antonius quum de quibusdam Inalpinis à se victis triumphare vellet, quamdiu Fuluia contradixit, ei is triumphus à nemine concessus: vbi ea demulsa concessit, ab omnibus decretus est, &c. Et infra. Fuluia autem Præneste occupato, ac ad suam societatem pertracto, senatores, & equites à sua parte stantes habebat: cum ijs de omnibus negotijs consilia inibat; identidemq; edicta, vt ex vsu videbatur, proponebat. Id quidem mirandum adeo nõ est, quum gladio etiam se accinxerit ipsa; tesseram militibus dederit; sępenumero concionem apud eos habuerit. Idem ibid. Vxor Antonij Fuluia, nihil muliebre præter corpus gerens. Velleius lib. 2.

Cum Fuluia comparemus Zenobiam Palmyrenorum Reginam, in qua profectò nihil item muliebre præter corpus: quam litteris ad senatum datis Aurelianus Imp. à virilitate plurimum commendauit. Nomine filiorum diutius quàm sexus fœmineus patiebatur imperauit. Ad conciones galeata processit, cum limbo purpureo, gemmis dependentibus per vltimam fimbriam, brachio sæpe nudo. Vsa vehiculo carpentario, rarò pilento, equo sæpius. Fertur autem vel tria, vel quatuor milliaria frequenter cum peditibus ambulasse, &c. Lege plura apud Trebellium de hac omnibus laudibus laudanda muliere.

XXXVII. *Psyllorum natura.*

PSylli viri sunt (neque enim fœmella nascitur Psylla) qui possunt omnium serpentum venena ex hominibus nondum mortuis exsugere, neque ipsis morsis à serpentibus incommodum vllum accidit. Nascuntur autem ex seipsis: natosque aut serpentibus continuò iniectis, aut ipsis fasciolis in serpentes coniectis probant. Nam serpentes neque lædere infantem possunt, & vestibus eius impositis torpore corripiuntur. Dio lib. 51. Fusius, & disertius de Psyllis Plin. lib. 7. ca. 2. haud longe ab initio.

XXXVIII. *Syllæ superstitio.*

TRadunt Romani scriptores Syllam Dictatorem gestasse semper in prælio statunculã Iouis, aut Apollinis: quam periculoso prælio victor exosculans ait, Pæne ego tecum, & tu mecũ concidisses, Iupiter. Crantzius Saxon. lib. 9. c. 10.

XXXIX. *Mulier marina.*

ANno M.CCCCIII. in mari Hollandico tum admodũ procelloso & alto, capta mulier marina, nuda & muta: portata in oppidum Edam, & inde Harlem, vestita est, didicitque edere panem & lactaria, & vixit annos multos, semper muta. Didicit item nere, & honorem exhibuit S. Cruci quamuis muta. Annal. Fland. lib. 14.

XL. *Pecunia Alphonsi Regis.*

QVantæ fuerint diuitiæ regis Alphonsi hinc facilè æstimabis, quod Ferdinando filio sex milliones ducatorum, sacellumque tanta opulentia rerum omnium instructum, vt vltra vnum valeret millionem, reliquisse scribitur. Ibid. 16.

XLI. *Mutus in discrimine patris fit loquens.*

CAptis à Cyro Sardibus simul captus est Crœsus. In eum quidam Persa sibi ignotum vt occisurus vadebat. Quem Crœsus præsenti clade affectus deuitare negligebat: nihil putans differre, percussus oppeteret mortem, an non. Id vbi filius eius mutus aspexit, timens patri, erupit in vocem, inquiens, homo, ne perimas Croesum. Atque hoc ille primùm effatus, postmodùm per omne vitæ tempus vocalis extitit. Herodot. lib. 1. Recitat idem Solin. cap. 7. filio nomen dat Atis, qui ita exclamarit. Parce patri meo, Cyre, & te hominem esse, vel casibus disce nostris.

XLII. *Ægyptiorum, & Persarum caluariæ.*

OSsa eorum qui in acie ceciderunt, quum iacerent fusa, vt ab initio distincta fuerant, seorsum erant Persarum, aliorsum Ægyptiorũ. Sed Persarum capita adeo fragilia sunt, vt si velis ferire, vel solo calculo perforare possis: Ægyptiorum autem ita firma, vt ea vix ictu lapidis perfrin-

ſtringas. Cuius rei cauſſam hanc reddebant indigenæ (facile mihi perſuadentes) quod Ægyptij ſtatim à pueris radere capita incipiunt, & os capitis ad ſolem redditur compactum. Quæ eadē cauſſa eſt non caluefcendi. Nam ex omnibus hominibus pauciſſimos quis Ægyptios caluos videat. His igitur hoc cauſſæ eſt cur robuſta capita geſtent. At Perſis ideo fragilia ſunt capita, quod à principio aſuefiunt operire capita, geſtantes pilea, tiaraſque. Herodot lib. 3.

XLIII. *Viſus acutiſsimus.*

VIſu plurimum potuit Strabo nomine, quem perſpexiſſe per centum XXXV. millia paſſuum Varro ſignificat, ſolitumque à Carthagine exeunte claſſe Punica, numerum nauium è Lilybetana ſpecula denotare. Solin.cap.6. Plin.lib. 7. cap.21. De quinque ſenſibus, vt Varro ait, maximus eſt in oculis. Nā cum ſenſus nullus quod abeſt mille paſſus ſentire poſſit, oculorum ſenſus viſuſque vſque ad ſtellas peruenit.

XLIV. *Ingenuum factum Attilæ.*

ATtila rex Hunnorum, dum vrbes Italiæ expugnat, diripit, ac deuaſtat, Patauij Marulli Calabri poetæ carmen, de laudibus ſuis conſcriptum in ignem conijci iuſſit: quia licentia poetica originem Attilæ ad deos retulerat: arbitratus impudentem eſſe impudentiam, dum mortales homines ſe à dijs immortalibus originem

traxisse confingerent. Olahus in Attila apud Bonfin.cap.15.

XLV. *Similitudines in hominibus.*

SImiles quidem alios auo: & ex geminis quoque alterum patri, alterum matri: annoque post genitum, maiori similem fuisse vt geminū accepimus. Quasdam sibi similes semper parere, quasdam viro: quasdam nulli, quasdam fœminā patri, marem sibi. Indubitatum exemplum est Nicæi nobilis pyctæ Byzantij geniti, Qui adulterio Æthiopis nata matre, nihil à cæteris colore differente, ipse auum regenerauit Æthiopem. Similitudinum quidem in mente reputatio est, &c. Plin.lib.7.cap.12.

XLVI. *Gula gulosissima.*

SVydrigellus Dux Lithuaniæ nunquam peregrè proficiscebatur, quin dispensatorem percunctaretur, an librum, quem de arte coquinaria componi curauerat, secum ferret. Cœna sex horas ad minimum protrahebatur, ferculis non minus centum triginta vtebatur. Gaspar Cichocius Alloq. Osiecens, lib.5. cap.3. Gulæ dediti quibus nominibus à Comicis Græcis, & Latinis auctoribus nuncupentur, discas licet ex Bernard. Martini Variar. lib. 2.cap.3.

XLVII. Ἀπεριεργία, *seu incuriosus.*

AMmonius monachus tantum à curiositate abfuit, vt Athanasium magnum Romam comi-

comitatus, ex præclaris præcipuisq; eius vrbis rebus nõ aliud spectandum sibi censuerit, quàm Petri & Pauli Martyrium, & ædem eam, in qua eorum corpora veluti thesaurus sunt condita. Niceph. lib. 11. cap. 37.

XLVIII. *Homo longißimus, alter breuißimus.*

EOdem tempore duo hominum corpora visa sunt: alterum quidem in Syria; supra humanam naturam magnitudine excedens: alterũ verò in Aegypto infra incredibilem staturæ breuitatem consistens. Syrus in longitudinem cubitorum quinq;, & vnius palmi excreuerat, quamuis pedes eius reliquæ corporis magnitudini proportione nõ responderent: introrsum enim intorti, & vari erant. Homini nomen erat Antonio. Talem ætate quoque nostra ipse vidi, quem mulier breuis admodum staturæ in lucem protulit. Aegyptius autem tàm breuis fuit, vt perdici similis esset. Neque ingratum spectaculum erat, si cum illo in globo hominum scilicet conuersaretur, & ad contentionem excitatus colluderet. Portò quod mirabile dictu est, prudentia illi inerat, qualis formoso competit: quippe cui corporis exilitas ea de re nihil ademisset. Vox à Musis non abhorrebat: sermo mentis generositatem spectandam exhibebat. Maximus viginti quinque expleuit annos: minimus non multum ab ijs abfuit. Idem lib. 12. cap. 37.

XLIX. *Zenonis Imp. mors, & sepultura.*

ZEno flagitiosissimus fuit, qui morbo comitiali interijt. Fertur Ariadna coniux, cum ipsum odisset, distentum epilepsiæ doloribus, & speciem defuncti præbentem, viuum adhuc sepulchro inclusisse. Alij tradunt, cum ex ebrietate sensum omnem amisisset, in tumulum coniectum esse: & postquam per sobrietatem ad se ipsum redijsset, in ipso monumento exclamasse, vitam se solùm, non etiam imperium petere: paratumq; esse cuiuis iureiurando interposito eo cedere: neminem autem illum ea dicentē, propterea quod coniux Ariadna id prohibuisset, miseratum esse. Idem lib. 18. cap. 24.

L. *Bartholus Iureconsultus.*

SEueritatem supra æquum in torquendis, necandisque noxijs exercuisse visus est, quum rerum capitalium iudicijs præesset: adeo, vt reum furti, nec rite confessum, & insontem præcipiti sententia supplicio affecerit. Hinc propter inuidiam conspectum hominum fugiens, rus se contulit, & in litteras abdidit. Iouius in Elogijs.

In animantibus.

I. *Elephantus.*

ELephas horret arietem propter cornua, & grunnitum suis. Capitur mulieris forma, &

hebescens ad eius pulchritudinem, remittit furorem. Ælian. de animal. lib. 1. cap. 38.

II. *Corium bisontis.*

FErunt in hoc monte (qui est in finibus, seu ingressu Italiæ) bisontes feras enutriri; nec mirum, cum vsq; ad Pannoniam pertingat, quæ harum animantium ferax est. Denique retulit mihi quidam veracissimus senex, tale se corium in hoc mõte occisi bisontis vidisse, in quo quindecim, vt aiebat, homines, vnus iuxta alium potuissent cubare. Paul. Diacon. de gest. Lombar. lib. 2.

III. *Elephas à Rhinocerote immodicè terrefactus.*

EMmanuel Lusitaniæ rex ad Leonem X. Pon. max. honorificentissimam legationem cum muneribus splendidissimis, planeque regalibus, & in ijs insignem elephantum Romam misit. Quam legationem Hieron. Osorius describit, & nos ex eo Syntag. 6. parte Bellariorum priore. Postea idem rex ad extendendam subactæ ab se Indiæ laudem dignum fama sua ratus, si recentis muneris gratiam nouo munificentiæ officio cumularet, Rhinocerotem etiam misit. Quem ferunt, cum ab Oceano Vlyssiponensi in portu exponeretur, aspectu atque odore suo elephantum Romano (de quo diximus) grandiorem, qui tum erat in regia, vsque adeò truculenter terru-

isse, vt elephas ipso naturæ miraculo præcipuus hostis, concepto incredibili pauore, septum caueæ ferreis ingentibus clathris permunitum, humerorum, & capitis præcipiti impulsu perruperit, & in longam se proripiens fugam, *terribilique* barritu edito stridens. & furens cuncta obuia prostrauerit. Iouius in Elogijs milit. li. 4.

IV. *Seps genus serpentis.*

INter omnia genera serpentium huic palma tribuitur. Nam cum cætera venenis suis vitam eripiant, solus hic quem attigerit (& est minuta bestiola) sic totum facit tabescere, vt ne ossa quidem supersint, nec cadauer, inquam, relinquit; omnia funditus præsentia veneni *sui absumit*, & consumit. Plin. aut Aelian.

V. *Oues Anglicanæ.*

PRæter rorem cælestem nullum bibunt potum: adeo, vt etiam à pastoribus de industria à fontibus arceantur: quando experientia cognitum, date bibere illis esse exitiale. Polydor. Hist. Angl. lib. 1.

VI. *Corui ex aëre delapsi.*

CVm Gabinius de Cn. Pompeio Imperat. ad bellum contra prædones deligendo rogationem tulisset, Roscius cum loqui non audeter, manu prolata duos esse deligendos ostendit, vt vel hoc modo Pompeij potentiam accideret,

Hæc eo geſticulatione manus ſignificante, ita ingens, atque viuax à turba ſublatus eſt clamor, vt coruus, qui tunc forte ſupra volabat, conſternatus, perinde ac ſi fulmine eſſet ictus, deciderit. Dio Caſſius lib. 36. Tantus clamor Græcorum, quos Philippi ſeruitute liberauerat T. Quinctius Flaminius, in altum ſublatus eſt præ gaudio, vt præteruolantes corui deciderent. Plutarch.

VII. *Muſca.*

ÆGyptij ſacerdotes importunitatem, & impudentiam per muſcam notabant. Sæpius abigas, ſæpius redit, & infeſtat, etiam Principes, Reges, Imperatores. Quidquid agas, tui, & cōmodorum tuorū rationem nullam habet. Prouerbium, Muſca improbior. Lucianus Muſcæ ſcripſit encomium. Nihil tam abiectum, & deſpicabile, quin orationis facultate poſſit ſplendeſcere, & euehi; lutum quoque, cuius laudationem ſcripſit M. Anton. Maioragius.

VIII. *Spectacula ferarum in dedicatione theatri Pompeiani.*

SPectacula cum muſica, ludosq; gymnicos exhibuit: atque in circo equorum certamen, multarumq;, & varij generis belluarum venationes præbuit. Quinque enim dierū ſpatio quingenti leones confecti ſunt, elephantiq; octodecim cum armatis depugnauerunt: partim in ipſa pugna mortui, partim paulo poſt. Nam populū,

aliquos, etiam inuito Pompeio miseratus est; quum vulnerati à pugna destitissent, circumeuntesque ad cælum proboscidibus erectis lamentati sunt: ita vt sermoni occasionem præberent, non id ab ipsis temere, aut casu fieri, sed iusiurandum, quo persuasi ex Africa traducti erant, implorantibus, suique vindictam deos poscentibus. Fertur enim, haud prius eos in naues ingressos esse, quàm à ducentibus iuramento sibi cautum esset de omni iniuria. Dio. lib. 39.

IX. *Simia, & Camelus.*

SPeculum fugitare, &, si potest, frangere dicitur simia, ne videlicet in eo turpitudinem suã conspiciat. Nam, vt ait Ennius de ea, *Quàm similis simia est turpissima bestia nobis?* Camelus verò ne gibbum suum videat in aqua pellucida, bibiturus eam semper turbat. Vel potius naturæ instinctu lutulentas aquas captat, puras refugit. Denique nisi cœnosior liquor fuerit, assidua cõculcatione limum excitat, vt turbetur. Solin. cap. 52.

X. *Lynces.*

LYncum vrinam coire in duritiem pretiosi calculi fatentur, qui naturas lapidum exquisitius sunt persecuti. Quod etiam ipsas lynces persentiscere hoc documento probatur: quod egestum liquorum illico arenarũ cumulo, quantum valent, contegunt, inuidia scillicet: ne talis

egeries transeat in nostrum vsum, vt Theophrastus perhibet. Lapidi isti succini color est: pariter spiritu attrahit propinquantia: dolores renum sedat: medetur regio morbo, λυγκύριον græce dicitur. Solin. cap. 8.

XI. *Animalia fœtuosa, & secus. De lepore singulare.*

SOllerti diuinitatis prouidentia factum est, vt animantia timidia, & esculenta, ea omnia fœtuosa sint, ne assiduo esu deperirent: contrà, quæ sæua, & maligna, ea sint parum fœtuosa. Vnde fit vt lepus, quem omnia venantur, fera, ales, homo, tam ferax sit, solaque ex omnibus bestijs cum grauida est, etiam superfœtet, & alium fœtum in vtero gestet pilis vestitum, alium nudū, alium tantum non formatum, alium concipiat. Herodot. lib. 3. De lepore disputat Rhodigin. lib. 26. cap. 29. & 30. Epigramma Ausonij de lepore capto à cane marino attexamus.

Trinacrii quondam currentem in littoris ora
Ante canes leporem, ceruleus rapuit.
At lepus: in me omnis terræ, pelagiq; rapina est:
Forsitan & cæli, si canis astra tenet.

XII. *Canes φιλοδέσποτοι.*

DOminos æqualiter canes omnes diligunt, sicut exemplis palam factum est. In Epiro denique domini percussorem in cætu agnitum latratu canis prodidit. Iasone Lycio interfecto,

canis

canis ipsius aspernatus cibum, inedia obijt. Lysimachi regis canis flammæ se iniecit, accenso domini rogo, & simul igni absumptus est. Garamantum regem ducenti canes ab exilio reduxerunt, præliati aduersus resistentes. Colophonij, & Castabulenses canibus in bellum productis, primas acies instruebant. Ap. Iunio, & P. Silio Coss. damnatum dominum canis, cum abigi nō posset, comitatus in carcerem, mox percussum, vlulatu prosecutus est. Cumque ex miseratione pop. Rom. potestas ei cibi fieret, ad os defuncti escam tulit: vltimò deiectum in Tiberim cadauer, adnatans sustentare conatus est. Plin. lib. 8. cap. 40. Exempla plura suppeditabit Pierius lib. 5. in Cane, fidelitatis inquam, & amoris erga dominos.

XIII. *Vpupa.*

HOminem ebrietate laborantem, ac sibi remedium comminiscentem significare cum vellent Ægyptij, Vpupam, & Capillum Veneris herbam pingebant. Vpupa siquidem vuis vescitur immodicè, ita vt plerumque inde ebria fiat. At simul ac se tentari sentit, Capillo Veneris decerpto efficacissimè sibi medicatur. Pierius lib. 25. Mutat & vpupa (colorem) ait Plin. lib. 10. cap. 29. vt tradit Æschylus poëta; obscæna aliâs pastu auis (stercoribus enim vescitur) crista visenda plicatili, contrahens eam, subrigensque per longitudinem capitis.

XIV.

XIV. *Purpura piscis.*

HOminem vno ictu interemptum ostendere qui volunt, Purpuram saxo elisam pingunt: siquidem infectores aiunt, quas Purpuras in artis suæ vsum parant, saxo vno ictu collidendas, vnde subitarius ille sanguis ad tinctum optimus emanat: quod si ictus fefellerit, neque Purpura statim exanimata fuerit, frustra repeti, quia præ dolore sanguis in vniuersum corpus diffusus euanescat. Pierius lib. 28. Hoc genus piscis considerat Plin. lib. 10. cap. 36.

XV. *Marinæ belluæ.*

TVranius prodidit, expulsam belluam in Gaditana littora, cuius inter duas pinnas vltimæ caudæ cubita sexdecim fuissent, dentes eiusdem CXX. maximi dodrantium mensura, minimi semipedum. Belluæ, cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romam apportata ex oppido Iudææ Ioppe, ostendit inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurus, longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum Indicos elephantos excedente, spinæ crassitudine sesquipedali. Plin. lib. 9. cap. 5.

XVI. *Antipathia, & sympathia aquatilium.*

MVgil, & lupus mutuo odio flagrant: conger, & muræna caudas inter se prærodentes. Polypum tactum locusta pauet, vt si iuxta

viderit,

lia eadem, vt aures, Phrygiæ armentis: Troglodytarum in terra deiecta: qua de caussa obliqua ceruice pascuntur. Alijs singula, & hæc medio capite, aut naribus. Iamque alijs ad incursum robusta, alijs ad ictum, alijs adunca, alijs redunca, alijs ad iactum, pluribus modis, supina, conuersa, conuexa: omnia in mucronem migrantia, &c. Idem lib. 11. cap. 37.

XVIII. *Canis homicidæ proditor.*

CVm quidam solus cane comitante iter faceret, est à latrone, quales itinera solent insidere, interfectus. Latrone fuga se subducente, canis eo in loco permansit, domini cadauer custodiens. Forte alius quidam eò pergens superuenit, cadauerque proiectum cernens, motus misericordia, humo effossa sepeliuit. Canis id officium pergratum habuit, seque vltro homini comitem, ac seruum adiunxit. Erat autem is homo cõditione caupo: & solebat canis ijs qui cauponam intrarent, exirentque adulari. Post aliquantum temporis is etiam latro, cuius memini, in eam cauponam bibendi caussa intrauit: quem canis agnoscens allatrauit, inque eius faciem insiluit. Hoc sæpius factũ, dei instinctu apud multos suspicionem excitauit: comprehensusque latro, & coram iudice constitutus, cum facinus vt erat ab eo perpetratum confiteretur, diuinæ vindictæ pœnas dedit. Cedren. Quomodo & grues Ibyci poetæ interfectores latrones, dum

æthera

viderit, omnino moriatur: locustam conger. Rursus polypum congri lacerant. Nigidius auctor est, prærodere caudam mugili lupũ, eosdẽque statis mensibus concordes esse. At e contrario amicitiæ exemplo sunt, præter illos de quorum diximus societate, balæna, & musculus: quando præ graui superciliorum pondere brutis eius oculis, infestantia magnitudinem vada prænatans demonstrat, oculorumque vice fungitur. Idem.lib.9.cap.62.

XVII. *Ludus naturæ in cornibus animalium quadrupedum.*

Cornua multis quidem & aquatilium, & marinorum, & serpentiũ varijs data sunt modis: sed quæ iure cornua intelligantur, quadrupedum generi tantum. Nec alibi maior Naturæ lasciuia. Lusit animalium armis. Sparsit hæc in ramos, vt ceruorum. Aliis simplicia tribuit, vt in eodem genere subulonibus ex argumento dictis. Aliorum finxit in palmas, digitosque emisit ex ijs, vnde platycerotas vocant. Dedit ramosa capreis, sed parua, nec fecit decidua. Conuoluta in amfractum arietum generi, ceu cestus daret: infesta tauris. In hoc quidem genere & fæminis tribuit; in multis tantum maribus. Rupicapris in dorsum adunca; damis in aduersum. Erecta autem, rugarumque ambitu contorta, & in leue fastigium exacuta (vt lyras diceres) strepsiceroti, quem addacem Africa appellat. Mobilia

eadem, vt aures, Phrygiæ armentis: Troglo-
ytarum in terra deiecta: qua de caussa obliqua
ruice pascuntur. Alijs singula, & hæc medio
pite, aut naribus. Iamque alijs ad incursum
busta, alijs ad ictum, alijs adunca, alijs redan-
, alijs ad iactum, pluribus modis, supina, con-
rsa, conuexa: omnia in mucronem migran-
, &c. Idem lib. 11. cap. 37.

XVIII. *Canis homicidæ proditor.*

Vm quidam solus cane comitante iter face-
ret, est à latrone, quales itinera solent insi-
e, interfectus. Latrone fuga se subducente,
is eo in loco permansit, domini cadauer cu-
diens. Forte alius quidam eò pergens super-
it, cadauerque proiectum cernens, motus
ericordia, humo effossa sepeliuit. Canis id
cium pergratum habuit, seque vltro homini
nitem, ac seruum adiunxit. Erat autem is ho-
cõditione caupo: & solebat canis ijs qui cau-
am intrarent, exirentque adulari. Post ali-
ntum temporis is etiam latro, cuius memini,
am cauponam bibendi caussa intrauit: quem
is agnoscens allatrauit, inque eius faciem in-
t. Hoc sæpius factũ, dei instinctu apud mul-
suspicionem excitauit: comprehensusque
, & coram iudice constitutus, cum facinus
at ab eo perpetratum confiteretur, diuinæ
ictæ pœnas dedit. Cedren. Quomodo &
s Ibyci poetæ interfectores latrones, dum

æthera

æthera tranant, prodiderint, vide adagium Ibyci grues.

XIX. *Feles.*

FEles quidem quo silentio, quàm leuibus vestigijs obrepunt auibus? Quàm occulto speculatu in musculos exiliunt? Excrementa sua effossa obruunt terra, intelligentes odorem illum sui indicem esse. Plin. lib. 12. cap. 73.

XX. *Admiratio Procreatoris ex insectis, & ipso homine.*

ANimalia minutiora maximus artifex de industria ingenijs, aut viribus ampliauit. Imitare, si potes, apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina. Sustine, si potes, illas ipsas lectuli, & tegetis tuæ bestias, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis & tubam, & lanceam. Qualia erunt maiora, cum tam modicis aut iuuaris, aut læderis, vt nec in modicis despicias Creatorem? Postremò te tibi circumfer, intus ac foris considera hominem, placebit tibi vel hoc opus dei nostri, quod tuus dominus, ille deus melior adornauit, propter quem in hæc paupertina elementa de tertio cælo descendere laborauit; cuius caussa in hac cellula creatoris crucifixus est. Tertullian. lib. 1. contra Marcionem.

Humani corporis angustias, quibus in Christo diuinitatis amplitudo, cælum & terram implens

plens comprehensa,& conclusa est, venustè cellulam appellauit. Lib. autem de carne Christi sane quàm eleganter Christum, ait,habuisse carnem sanguine suffusam, ossibus substructam, neruis intextam, venis implexam.

XXI. *Cantus auium per νυχθήμερον. Item cicadæ.*

NAtura quibusdam auibus breuem, & naturalem cantum commodauit, hirundinibus matutinum, cicadis meridianum, noctuis serū, vlulis vespertinum, bubonibus nocturnum,gallis antelucanum. Apuleius 2. Florid. Quam dulcis etiam in exiguo gutture cicadis cātilena, quarum cantu medio æstu arbusta rumpuntur:eoq; magis canoræ meridianis caloribus, quo puriorem aërem id temporis attrahunt spiritu. D. Ambros. Hexaem.5.cap.22.

In rebus inanimis.

I. *Organon templi Vlmensis.*

ANno 1376. vsque ad 1378. admirandi laboris artificijsque inædificatum est organum templo Vlmensi: quod aiunt habere fistulas 169 ∞. & Registra 27. Maxima fistularum capax est mensuratarum vini 315. Quo numero vini optimi, quod in foro tunc inueniri potuit opifex illius organi donatus à magnifico magistratu est; necnon florenis 900. vltra laboris artificijque

O mer-

mercedem debitam. Annal. Sueuicor. part. 9. cap. 11.

II. *Classis Hispanica Philippi II. aduersus Elizabetham Reginam Angliæ.*

HÆc classis collecta fuit ex 130. nauibus, & pondera, siue (quod dicunt) lastas vexit 57868. Milites classiarios, epibatas 19295. Nautas ac remiges 8052. Tormenta maiora 2441. Pilas, siue glandes tormentarias 123090. Pulueris nitrati centenarios 1151. Ingentem præterea copiam aquæ dulcis, patinarum ilignearum, lucernarum, maiorum ac minorum lampadum: clauarum item, & corij bubuli: lini, stupæque magnam vim, ad nauium hiscentium, ac perforatarum obstructionem, & instaurationem; nec non scuta, cerea complura, candelas sebaceas, saccos longiusculos. Insuper aderant omnia ea, quæ ad tormenta grandiora promouẽda faciunt, vtpote 40. muli, vehicula humiliora, rotæ, aliaque id genus: ac inter cætera quæ sufficerent 20. curulibus illis maioribus tormẽtis, quas Cartaunas appellant, in littus exponendis: quibuscum vehebantur adhuc 21. alterius generis, quæ ab vsu, quem potissimùm in campo aperto præstant, dicuntur campestres serpentes, seu colubrinę (Feldtschlangen) & quibus hæ onerentur 1500. globi. Iam vero quod ad arma minora attinet, ijs abundè classis erat instructa.

In

In promptu erant bombardæ manuariæ longiores (Lange Röhrer) 7000. furcatæ,& ad capulũ incuruatæ (Moßketen) cum requisitis suis 1000. Hastilia oblonga 10000. Gesa ac bipennes 1000. Hastæ breuiores 6000. aliaque complura prouidè comportata, quibuscum, si res ferret, terrestre prælium aduersus hostem iniri, oppidaque obsideri, atque capi possent. Affuere simul 700. Cuniculari apparatu suo, quo in cuniculis agendis vterentur, plus satis instructi. Omnium autem personarum, quibus de commeatu prospectum erat, cuius generis fuere stipendiarij milites audaculi, sclopetarij, medici, chirurgi, sacerdotes, monachi, nobiles,& ministri cæteri summi classis Præfecti, iudices, nautæ, remiges, coqui,& similes, ad classis apparatum necessarij, fuit numerus fere 30693. Ad horum sustentationem semestrem hic commeatus habebatur.

Panis bis cocti centenarij	11000.
Vini amphoræ	21255.
Carnis salsæ centenarij	6000.
Caseorum centenarij	3433.
Salsamentorum centenarij	8000.
Oryzæ centenarij	3000.
Fabarum, ac eruiliorum centenarij	6320.
Olei mensuræ, quas vocant Bath	11398.
Aceti eiusdem mensuræ	13687.
Fistulæ aqua potabili plenæ.	11870.

Illud quoque ab Hispanis, quos Angli cepe-

rant, cognitum est; singulis diebus classi alendæ 12000. ducatos fuisse impensos: & magnā præterea auri, & argenti vim in belli subsidium per naues prætorias aduectam: in ipsam autem classem, ab hostili Anglica decies millies tormenta fuisse exonerata. Ex Comment. bellico Ranzouij, lib. 1. cap. 8.

III. *Ambrosia.*

IBycus scripsit, ambrosiam nouies melle dulciorem esse, & in melle nonam tantum partem eius voluptatis, quæ in ambrosia sentitur percipi. Athenæus lib. 2. Vnde isthæc notitia Ibyco? Ad prandium credo vocatus, cum dijs accubuit. Cæterùm poetæ dijs cibum ambrosiam, potum nectar tribuunt tantum domi: foris cum cœnāt, etiam olusculis, credo, vescuntur. Vide Prou. Ambrosia alendus.

IV. *Platanorum ingens cauitas.*

PRæterfluit Pharensiū agrum Pierus, seu Pirus. In eius ripis platanorū lucus est, tanta arborū magnitudine ex ipsa vetustate, vt intra cauernas (multæ enim concauæ sunt) qui velint, & epulari, & recumbere possint. Pausan. lib. 7.

Credibiliora hæc faciet Plin. qui lib. 12. cap. 1. ita scribit. Nunc est clara Platanus in Lycia, gelidi fontis socia amœnitate, itineri apposita, domicilij modo caua, LXXX atque vnius pedum specu, nemoroso vertice, & se vastis protegens

ramis

ramis, arborum instar, agros longis obtinens umbris. Ac ne quid desit speluncæ imagini, saxea intus crepidinis corona muscosos complexa pumices: tam digna miraculo, vt Licinius Macer ter cos. & nuper prouinciæ eius legatus, prodendum etiam posteris putarit, epulatum intra eam se cum duodeuicesimo comite, &c.

V. *Lapis percussus reddens sonum musicum.*

REm plane mirabilem Pausaniæ visam, vt refert ipse in Atticis, in medium afferam. Alcathoum in muris fabricandis ab Apolline adiutum Megarenses affirmant, lapidemque vbi is citharam deposuit pro testimonio habent. Reddit enim, calculo si quis eum percusserit, eundem quem pulsa fides sonum. Hanc seu historiam, seu fabulam mox alia, & simili narratione confirmat. Colossum, inquit, qui Thebis Ægyptijs est trans Nilum, maiore vtiq; admiratione spectaui. Statua ibi est sedentis hominis, eam multi Memmonis nominant. Audiui etiam qui Sesostris (regis Aegypti) esse dicerent. Eam Cambyses diffidit: & nunc etiam superior pars à vertice ad medium truncum humi neglecta iacet: reliquum adhuc sedere videtur, ac quotidie sub ipsum solis ortum sonum edit, qualem vel citharæ, vel lyræ nerui, si forte, dum tenduntur, rumpantur.

De lapide Megarensi idem scribit Ouid. Metam. 8.

Regia turris erat vocalibus addita muris,
In quibus auratam proles Latonia fertur
Deposuisse lyram: saxo sonus eius inhæsit.
Sæpe illuc solita est ascendere filia Nisi,
Et petere exiguo resonantia saxa lapillo.

VI. *Dictio latina Alcorani.*

DE hac ita sentit vir quidam eruditus. Monstrosa, & distorta est oratio Mahometi in Alcorano: non hominem, Immò ne bouem quidem, sed Plutonem ipsum ex infernalibus tenebris boare, ac feralem vocem edere putes. Ex Arabico, tempore Concilij Constantiensis conuersus est. Simile quiddam de Tartareto legi. Densa caligine, & tenebris plusquam tartareis inuolutos eius esse Commentarios.

VII. *Quercus & oleæ, braßicæ & vitis ἀντιπάθεια: olea & vitis συμπάθεια.*

TAm pertinaci odio dissident quercus, & olea, vt altera in alterius scrobe depactę moriantur. Vicina item quercui olea extinguitur. Pugnant etiam qualitatibus. Nam quercus arefacit, & constringit; oliua rigat, & mollit. Brassica vitibus adeo inimica est, vt si in vineis nascatur, fiant infœcundæ vites (quod in Germania non habet locum) & iniecta in dolium, saporem & odorem vini corrumpat. Non solum autem

incolumis manet vitis, si insitatur oleæ, sed etiam nouas vires accipit, & tum vuas, tum oliuas gignit: seu vuas pariter vuatum, & oliuatum saporem referentes. Plin.

VIII. *Nili aqua dulcissima.*

VNde significanter dictum à Martiale epig 3. in Amphitheat. Cæsaris, *Et qui prima bibit deprensi flumina Nili*, quoniam eius aqua dulcissima. Diodor. lib. 1. γλυκύτατ© πάντων τῶν ποταμῶν. Heliod. Æthiop. lib. 2. πιεῖν τε ἐςὶ γλυκύτατ©. De eius dulcedine Ctesias Athenæi lib. 2. Plutarch. lib. de Iside, Spartian. in Pescennio, & alij. Marcil. in Amphitheat. Cæsaris. De incremento Nili Plutarch. de placit. Philosoph. lib. 4 ca. 1. Aegyptij inter deos maiorũ gentium colere solebant, festa illi agitantes anniuersaria, quę νηλῶα dicebantur. Heliodor. Aethiop. lib. 9.

IX. *Thesauri templi Delphici.*

ANtiqui thesauros, pecunias, & quæ pretiosa atque chara habebant in templis, ac regũ sepulchris, vt locis tutissimis, quæ violare, aut spoliare nefas esset inexpiabile, recondebant. In templo autem Delphico ingentes thesauri auri, argentique, statuarum, arborum atq; vitium aurearum, ac similium donariorum custodiebantur, vt meminit Diod. Siculus. Theopompus, teste Athenæo de thesauris Delphicis Commentarios scripsit: & Alcetas libros depositorum in

Delphis: vt alij de rebus surreptis è Delphis. Neand. p. 2. Operis aurei.

X. *Nix multa, inde amißio aspectus.*

CVm Galli Brenno duce fano ApollinisDelphici nefarium bellum intulissent, ferunt ex oraculo hæc fatam esse Pythiam, *Ego prouidebo rem istam, & albæ virgines*, testis Cic. 1. de Diuinat. Ex quo factum est, vt virgines arma ferre viderentur; & ita ningeret, vt obrueretur exercitus, & visus vehementi luce, ac splendida nimis grauiter offenderetur. Galen. quoque lib. 10. de vsu partium corp. hum. Xenophontis militibus idem accidisse notat, cum per multam niuem ambulassent. Addit, Dionysium Siciliæ tyrannum solitum è carcere, & tenebris vinctos in domum superiorem, & incrustatam, & lucidissimam educere, vt ita occursu repentino cādidæ lucis excæcarentur. Forcatul. de imp. Gallor. lib. 2.

XI. *Vectigalia, & tributa Sinensis regni.*

CEntum quinquaginta milliones excedunt in annos singulos, nec ea in palatij, sed in publica ęraria inferuntur. Ex ijs regis, coniugum, filiorumque sumptus, nec non regiorum propinquorum, & eunuchorum, & vniuersi famulatus regij suppeditantur, regio semper splendore, & copia: nihil tamen plus minúsue, quam legibus præscribitur. Inde magistratuum, militumque

rumque stipendia, & cæterorum toto regno curialium ministrorum soluuntur. Hinc etiam ædificia publica, regis palatium, & regiorum propinquorum, vrbium muri, arcium propugnacula, bellicus denique omnis apparatus instauratur: nec in hac regni amplitudine vnquam deest quod erigas, aut instaures. Et quod incredibilius videtur, annis quibusdam contingere solet, vt ne hæc quidem tam ingens vectigalium summa sumptum exæquet: sed noua etiam tributa imponi necesse sit. Trigaut. in hist. Sinens. lib. 1. cap 6.

XII. *Pallade nascente imber aureus.*

CRediderunt veteres, Pallade nascente (de Iouis capite videlicet) Rhodi magnam auri vim pluisse. Meminit Claudian. Paneg. 3. Stiliconis. *Auratos Rhodijs imbres nascente Mineruæ Indulsisse Iouem perhibent.* Spectat eò lepidum commentum, cælestis auri, quale nec in Danaes gremium pluisse aiunt; vt pateat, ex doctrina, & præsertim ex legum scientia opes animo, nedum corpori copiosè parari. Forcatul. de imp. Gallor. lib. 1.

XIII. *Quinque elementa.*

PHilosophi Sinenses quinq; elementa numerant, nec de ea re dubitare, aut disceptare fas est, metallum, lignum, ignem, aquam, terram, & aliud ex alio nasci affirmant. Aërem quia non

vident, non agnoſcunt. Vbi enim nos aërem, ibi vacuum eſſe volunt. Trigaut. in hiſt. Sinenſi lib. 4. cap. 3. Gens eſt admodum docilis, & valet ingenio. Mathematicis rebus impensè delectatur. Horologijs ſcioтericis, & percuſſionibus cymbali horas indicantibus ſpectandis voluptatem capit non vulgarem.

XIV. *Fraxinus inimica ſerpentibus.*

TAm inimicam vim ſerpentibus habet, vt nō ſolum ſuccus eius potus, aut ipſa vlceri admota opituletur, verumetiam ne matutinas quidem, occidentesue huius arboris vmbras quamuis longiſſimas vllus ſerpens attingat. Si fronde ea gyro claudatur ignis, & ſerpens, in ignem potius, quam in fraxinum fugiet ſerpens. Id Plin. tanquam experimento compertum narrat lib. 16. cap. 13.

XV. *Prodigioſa genera vini.*

SVnt & in vino prodigia. Dicitur in Arcadia fieri, quod fœcunditatem fœminis importat, viris rabiem. At in Achaia, maximè circa Caryniam, abigi partum vino, atque etiam ſi vuam edant grauidæ, cum differentia in guſtatu non ſit. Troezenium vinum qui bibunt, negantur generare. Thaſios duo genera vini diuerſa facere proditur: vnum quo ſomnus concilietur, alterum verò quo fugetur. Apud eosdem vitis theriace vocatur, cuius & vinum, & vua contra ſerpen-

rium ictus medetur. Thasiam vuam Aegyptus vocat apud se prędulcem, quæ soluit aluum. Est contra in Lycia quæ solutam firmat. Vina in apothecis canis ortu mutantur quædam, postque restituuntur sibi.

XVI. *Antiochia vrbs nobilißima.*

CHristianus exercitus antequam Hierosolymam aggrederetur, multas & egregias vrbes in Syria, & alibi subegit. In his plus octo mensibus obsessam Antiochiam, quam annis sexdecim ante nostrorum aduentum Turcæ possederant. Duplici erat munita muro, ac trecentis sexaginta firmissimis in circuitu turribus, löga millibus passuum duobus. Trecentis sexaginta sex sacris ornata templis. Sedes Patriarchæ, qui viginti sub se habuit sacra iurisdictione prouincias. Ex Annalib. Flandricis lib.4.

In hac vrbe natum est Christianorũ nomen, vt est in Actis. In hac primus Pont. max. Christi Vicarius S. Petrus Cathedram primò suam locauit, quæ duo nobilissimam faciunt. Indigetata est etiam, ni fallor, à Iustiniano Imp. Theopolis, fortè ab alumnis suis sanctitatis desiderio flagrantibus. Siue quod post magnum illum terræ motum deo se consecrasset, vt tradit Euagoras lib.4. cap.36.

XVII. *Venti vis validißima.*

VIdi ego, quod nisi vidissem, non crederem à vehementissimo vento effossam ingentẽ

terræ molem, eamque delatam super pagum quendam, vt fouea altissima conspiceretur, vnde terra eruta fuerat, & pagus totus coopertus, & quasi sepultus manserit, ad quem terra illa deuenerat. Illustriss: Cardinal. Bellarmin. libello de Ascens. mentis in deum, Gradu 2. cap. 4.

XVIII. *Oraculum ad Apolloniam.*

APollonia vrbs est Macedoniæ, Corinthiorum colonia, ibi (aut fortasse Apoll. Epiri) oraculum edebatur hoc modo, vt memoriæ proditum legimus apud Dionem lib. 41. Thure accepto, precibusq; eius rei ergô, quam volũt, factis, ipsum thus, vt secum eas deferat ad ignẽ proijciunt. Tum si ratum sit futurum votum, ab igni thus è vestigio corripitur: at si thus forte extra ignem deciderit, accurrens ignis id abripit, & consumit: sin irritum erit votum, neque accipitur ab igni thus, & si in ipsam flammam conijciatur, recedit ab ea, atq; effugit. Ita in vtramque partem ignis futura prædicit, morte, atque nuptijs exceptis. De his enim non licet cuiquã oraculum id consulere.

XIX. *Fons Solis apud Ammonios in Ægypto, in Sicilia secundùm alios.*

APud hos est alia quoque aqua fontana, quæ sub matutinum quidem tepet, sub horam autem, qua forum frequentissimum est, frigescit: sub meridiem multo frigidior est, eaque

que hora hortos irrigant. Declinato iam die remittitur frigus, donec sol occidat; tunc tepescit, magis ac magis calescens, ad mediam vsque noctem: quo tempore feruens exæstuat: præterita nocte media ad aurorum vsque refrigescit. Cognominatur autem fons iste Solis. Herodot. lib. 4. In Halesina regione fons alias quietus, & tranquillus cum siletur: si insonent tibiæ, exultabundus ad cantus eleuatur, &, quasi miretur dulcedinem vocis, vltra margines intumescit. Ibi & fontes duo, alterum si sterilis sumpserit, fœcunda fit: alterum si fœcunda hauserit, vertitur in sterilitatem. Solin. cap. 11.

XX. *Templum Dianæ Ephesinum.*

ET vrbem, & templum hoc Amazones feruntur ædificasse, ædificium magnificentissimũ, quale tum in terris non est visum, atque ideo inter VII. orbis miracula numeratum. Ducentis & viginti annis tota Asia in eo laborauit. Centum viginti septem columnæ, à singulis regibus factæ, sexaginta pedum altitudine, inter quas triginta sex cælatæ miro artificio. Vniuersi templi longitudo CCCXV. pedum, latitudo CCXX. Fuit in tanta veneratione, vt Ephesij in quodam bello, humano subsidio deplorato, funem à foribus templi ad vrbis mœnia suspenderint, ciuitatemque quasi soli deæ tuendam permiserint. Omnes ad templum hoc confugientes magnis fruebantur immunitatibus. Illuc item conferebantur

bantur ex omnibus ciuitatibus, & nationibus tanta, & tot munera atque dona, vt in toto orbe nullum reperiretur templum ditius. Xerxes cum omnia Asiatica templa igni daret, huic vni pepercit: quod Herostratus vt nomen memoria sceleris extenderet, incendit. Conflagrauit eadem die, qua Alex. M. Pellæ natus est, ab V. C. trecentesimo nonagesimo nono Plin. lib. 36. ca. 14. Solin. cap. 43. Munster. lib. 5. Iustius, opinor, septem orbis miraculis templum Salomonis adnumeraretur, quod facit Sidon. epist. 18. lib. 4. *Septima quæ mundo fabrica mira fuit.*

XXI. *Gemma in annulo Pyrrhi Regis.*

ANnulus Pyrrhi regis, qui aduersus Romanos bella gessit, non ignobilis famæ fuit. Cuius gemma Achates erat: in quo nouem Musæ cum insignibus suis singulæ, & Apollo tenens citharam videbantur, non impressis figuris, sed ingenitis. Solin. cap. 11.

XXII. *Ficus Ægyptia.*

DE arboribus quas sola fert Ægyptus, præcipua est ficus Ægyptia, folijs moro comparanda, poma non ramis tantum gestitans, sed & caudice: vsque adeo fœcunditatis suæ augusta est, vt vno anno septies fructum sufficiat: vnde pomum decerpseris, alterum sine mora protuberat. Materia eius in aquam missa subsidit: deinde cum diu desederit in liquore, leuior facta sustolli-

tollitur: & versa vice, quod natura in aliquo ligni genere non recipit, fit humore sicca. Solin. cap. 35.

XXIII. *Arabiæ fælicitas.*

FÆlix appellatur Arabia, falsa & ingrata cognominis, quæ hoc acceptum superis ferat, cum plus ex eo inferis debeat. Beatam illam fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ dijs intellexerat genita adhibens vtendis defunctis. Periti rerum asseuerant, non ferre tãtum annuo fœtu, quantum Nero Princeps nouissimo Poppææ suæ die concremarit. Æstimentur postea toto orbe singulis annis tot funera, aceruatimq; congesta honori cadauerum, quæ dijs per singulas micas dantur. Nec minus propitij erant mola salsa supplicantibus: immo verò, vt palam est, placatiores. Verum Arabiæ etiamnum fælicius mare est. Ex illo namque margaritas mittit. Minimaque computatione millies centena millia sestertiû in annis omnibus India & Seres, peninsulaque illa imperio nostro adimunt. Tanto nobis deliciæ, & fæminæ constant. Quota enim portio ex illis ad deos quæso iam vel ad inferos pertinet? Plin. lib. 12. cap. 18.

EXCERPTA NONNVLLA MIXTIM EX PEREGRINATIONE HIEROſolymitana, & Ægyptia Illuſtriſſ. Principis Nicolai Chriſtophori Radziuili, rerum quas ipſemet in ea aut oculis ſuis perſpexit, aut auribus percepit, refertiſſima.

XXIV. *Inſulæ Zacynthi fertilitas*

NVſquam maiora poma citrina, mala aurea & limoniorum in tota Græcia proueniunt: vnde & vuæ paſſæ minoris vaſorum ducenta millia annuatim, vini verò rubri, & albi circiter triginta millia doliorum extrahuntur.

XXV. *Λύτρον ſeu ἱλαστήριον pro mortuis apud Turcas.*

IN hoc hoſpitali vidimus, cum Turca quidam ſingulatim virides auiculas quinque liberas dimitteret, ſubinde aliquid ſubmurmurãdo. Cumque eius rei cauſſam per interpretem ab eo percunctatus eſſem, reſpondit: ſe id pro animabus ſuorum propinquornm defunctorum facere; quòd crederet, merito huius boni operis illas nonnihil ſubleuari. Atque ita naturæ quodam ductu de pœnis Purgatorij aliquid etiam ſentire videntur.

XXVI.

XXVI. *Prosapiæ Mahometis insigne color viridis in pileo.*

QVià Mahomete genus ducunt, viride capitis tegumentum contortum, seu tiaram viridem gestant, cum cæteri Turcæ albam gerant. Vestes virides cuiuis gestare licet, tiaram viridem soli Mahometicæ domui. Ibidem (Damasci) vidi vnum valde laceium, in publica culina, cibos diuendentem, & coquentem. Vnde apparet, non omnes de genere Mahometi diuitijs abundare.

XXVII. *Mahometi sepulcrum non pendulum.*

MEcham in Arabia ad Mahometis sepulchrũ solis Mahometanis proficisci licitũ: Christiani, & Iudæi non admittuntur. Cum essem Damasci, diligenter sum percunctatus è Turcis, qui è Mecha veniebant, verumne esset, quod vulgò de sepulchro Mahometis fertur, illud è ferro compactum, vi lapidis magnetis attractum veluti in aere pendere, negarunt: sed Mausoleum altius eleuatum, columnis non adeo crassis sustentari. Cumq; conclaue illud angustum, & obscurum sit, nec aliud lumen quàm lampadum admittat, procul prospicientibus pensile videri: propè autẽ accedentibus columnis impositum cerni.

XXVIII. S. *Helenæ Augustæ religio,*

QVicunque Terræ ſanctæ loca perluſtrat, fatebitur ſanctam hanc Imperatricem omni veneratione dignam; quandoquidem in ipſa Palæſtina ferè trecentas eccleſias, quarum nunc partim ingentes ruinæ ſuperſunt, partim adhuc integræ conſpiciuntur, magnis ſumptibus erexit, & liberaliſſimè dotauit. De eiuſdem ſanctimonia Niceph. lib. 8. cap. 31. vbi & hæc. In eo quoque omnem longè ſuperat obliuionem. Perinde enim atque pignus quoddam futura ſæcula habent, ad memoriam eius ſempiternam, in Bithynia vnam, in Palæſtina alteram vrbem; quibus Imp. filius conditis, memoriam illi tribuit immortalem.

XXIX. *Ager Haceldemach.*

TErra loci illius talis eſt, vt cadauere impoſito, nec cooperto (quod vidimus) caro infra viginti quatuor horarum ſpatium tota defluat, & abſumatur, nec aliud quàm nuda oſſa integra relinquantur.

XXX. *Circumciſi ad villam Bethagil, tertio die moriuntur.*

VIllam Bethleem prætervecti, ad villam aliam maiorem Maronitarum peruenimus, quæ vocatur Bethagil, & eſt in eo loco ſita, in quo Angelus Domini Regis Aſſyriorum caſtra percuſſit. Vbi in hanc vſque diem illud cum primis admirationi eſt, quod nullus ex circumciſis

hic

hic in tertium diem superuiuere potest, sed tertia nocte proculdubio moritur. Id ex Arabibus duo, qui nobis vecturas locauerant, se per experientiam comprobasse, sanctè affirmabant. Prima enim nocte ingens eos capitis dolor inuasit: secunda, corpus illorum adeò totum intumuit, vt mortis instantis metu necessariò inde abduci debuerint. Cumque partem villæ istius propter compendium attingeremus, nullus circumcisorum nobiscum eò voluit ascendere, sed circuitu periculum declinare maluit.

XXXI. *Arabes quo pacto iuramentum confirment.*

QVando aliquod iusiurandum ratum, & firmum esse volunt, panis cum sale comestione id comprobant. Quod vbi hilariter fecerunt, tutò illis credi potest: sin fronte corrugata, & minus auidè oblata degustent, certum est illos animo nihil sinceri concipere. Id quod rei euentus in Arabe nostro comprobauit, qui nobis fidem datam, cum in magnis angustijs versaremur, seruauit.

XXXII. *Vectigal annuum ex peregrinis ad S. Sepulchrum.*

AFfirmatur pro certo, quod ad triginta millia cechinorum, qui sexaginta millia florenorum efficiunt, ex peregrinorum vectigali annuatim in ærarium Turcarum Cæsaris inferantur.

XXXIII. *Aqua Nilotica.*

NIlus fundum limoſum habet, cuius nihilominus aqua ſalubris eſt, & turbida quidem: ſed in vaſe poſita per duas horas, purgatur: & ſi per noctem ſteterit, fit inſtar criſtalli limpida, & potui gratiſſima. Piſces eius pingues, & optimi ſaporis, minus tamen ſalubres.

XXXIV. *Cairus, olim Babylon Ægypti vrbs.*

TRiplo magnitudinem Lutetiæ Pariſiorum excedit: non eam tamen elegantiam in ordine, & ædificijs habet. Noua tantum Cairus muro præcingitur: vetus vrbs, & Bulbach muris carent. Multi Europæi negotiatores, Itali, & Galli, qui à xx. & amplius annis hanc vrbem incolunt, pro certo affirmant, nouæ ciuitatis ambitu triginta priuatarum ædium millia contineri. Adiunctis verò ſuburbijs, veteri ciuitate, & Bulbach, minoribus etiam ædiculis, quarum magnus eſt numerus, ad ſummam ducentorum millium aſcendere. Platearum ſunt millia ſedecim. Fana, ſeu elegantiores Moſchęæ, quæ turres habent adiunctas (absq; ijs, quæ turribus & tectis carent, quarũ nõ parua etiam eſt multitudo) ſunt ſex millia octingentæ. In vno ſuburbio, quod ſub arce ad Orientem poſitum eſt, ſunt Moſchææ mille & ducentæ. In alio meridiem

verſus

versus septingentæ. Inter eas maior earum numerus recensetur, quas in vsum sepulturæ, principes eius regionis viri fabricauerunt: quarum tamen præcipuæ à Christianis constructæ memorantur, antequam regnum hoc in impias Saracenorum manus deuenisset.

XXXV. *Culinæ publicæ Cairi.*

CVlinarum publicarum sunt ad viginti millia. Nam locupletiores tantùm, & digniores domi cibum procurant: vulgus è culinis viuit, in quibus maxima copia carnis, agninæ præsertim, pullorum, anserum, potissimum verò orizæ, & pastillorum in oleo frixorum venalis exponitur.

XXXVI. *Florum species in corpore fœminarum.*

FÆminæ agrestes, & nonnullæ in vrbibus è vulgo nudæ per totam Aegyptũ in decimum vsque ætatis annum incedunt: quo tempore, aqua quadam corrosiua, in corporis cute florum quandam speciem depingendo effingunt: cui deinde diuersorum colorum varietatem superinducunt: qui adeo corpori adhærent, vt nulla deinceps arte ablui, & deleri possint. Mirabile visu, pellis humana floribus depictis variegata.

XXXVII. *Victus indigenarum Arabiæ desertæ, & equorum pabulum.*

Eusebium. Vide cap. 24. Syntagmatis postremi.

XXXIX. *Sanguinis præstantia.*

INter humores sanguis longè præstantior est: siquidem & spirituum materia, quibus maximè stat vita, & virtutis vegetatricis operatio, atque item animalis. Deinde quia ad vitæ principia accedit amplius, cum sit temperati caloris, humectique. Præterea alit efficacius, instauratque quod intercidit: proinde naturæ thesaurus habetur, &, vt Plato inquit, carnium, & vniuersi corporis pabulum, quo pereunte confestim sequitur mors. Rhodigin. lib. 3. cap. 12.

XL. *Oculi hominis, & stomachus.*

ex Q. Sereno.

SVmma boni est alacres homini contingere visus,
Quos quasi custodes, defensoresq́; pericli
Prospiciens summa natura locauit in arce.
Qui stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, vera niti ratione videntur.
Huius enim validus firmat tenor omnia mẽbra,
At contra eiusdem franguntur cuncta dolore.

Idem dicit de oculis Serenus quod Cic. 2. de nat. deorum, vbi partes humani corporis considerat, & elegantissimè describit. Oculi, inquit, tanquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo plurima circumspicientes fungan-

tur suo munere. Oculos Galenus nunc organum vocat lucidum, nunc solarem animalis particulam, & diuinum quoque membrum: quia sit eius præcipuè inexplicabilis, & mira subtilitas, si quid aliud in animantum natura. Et Stoici visum dei appellatione honestare non sunt veriti: sicut formam Theophrastus eundem vocabat, quoniam eo exuta facies, euadit informis. Ex Rhodigin. lib.5. cap.28. Quæ de stomacho dicuntur, alludunt ad apologum Menenij Agrippæ, quem affert Liuius lib.2. ab V.C. nempe de membris contra ventrem conspirantibus. Cui cùm vt otioso nihil cibi suppeditarent, ipsa se marcescere ac deficere, & ventris, seu stomachi bonam habitudinem, suam incolumitatem, & salutem esse, certa experientia didicerunt.

SYNTAGMA QVARTVM.

SALES, SIVE IOCATIONES, VBI ET EPIgrammata.

I. *Socrates obsonabat famem.*

SOcrates ante ædes ad seram vsque vesperam inambulabat. Interrogatus quid ageret, respondebat, in cœnam se obsonium comparare. Athenæus lib. 5. Bonum appetitum, ὄρεξιν quam excitat, & prouocat ambulatio, intelligebat.

Blcharo

Blepharo in Amphitr. *Nihil est, famem exspectat obambulans.* Paulo aliter Cic. Tuscul. V. Socratē ferunt, cum vsque ad vesperam ad Piræeum contentius ambularet, quæsitumque esset ex eo cur id faceret, obsonare famem se ambulando dixit. Describens disciplinam quam militibus suis adhiberet Cyrus lib. 2. Xenophon. Vtebatur præterea, inquit, hac diligentia, vt nunquam, nisi prius sudassent, ad prandium, cœnamque introirent. Aut enim ad venationem educendo vt sudarent faciebat: aut ludos tales excogitabat, qui sudorem essent præbituri; aut etiam, si quid eum agere oporteret, ita ducem se præstabat ad rem gerendam, vt sine sudore non redirent. Hoc enim & ad suauiter vescendum, & ad bonam valetudinem, & ad laborem sustinendum conducere existimabat.

Diogenes fame, & siti vtebatur ante cibum semper: & existimabat hoc ipsum esse aptissimū, & acerrimum obsonium. Ita iucundius comedit offam, quàm alij pretiosissimos cibos: iucūdiusque bibit fluentem aquā, quàm alij vinum Thasium. Dio Chrysost. orat. 6. de tyrannide.

II. *Pecunia auaris ἄχρηστος.*

TAnta pecuniæ cumulandæ fuit hominum illo sæculo cupiditas, De qua Anacharsis percunctante quodam ad quam rem esset pecunia Græcis vsui, respondit, ad numerandum. Idem ibid.

Pecuniam dixere à pecude, cuius nota signabatur à veteribus, quorum omnes pæne diuitiæ in re pecuaria. Et quanquã tota possessio, siue ea soli, siue rerũ mobiliũ sit, Iurecõsultis hoc nomine significatur, tamẽ sæpius, & vsitatius eo omne numismatis genus, quod numerari potest, intelligitur. Vtinam igitur ne hodie quoque regnaret pecunia, & tam multi eius cumulandæ studio ne feruerent, similes Horatiano illi auaro sat. 1. lib. 1.

---- vt quidam memoratur Athenis
Sordidus, ac diues populi contemnere voces
Sic solitus: populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi simul ac nummos contemplor in arca:

Recte Propert. lib. 3. eleg. 7.

Ergo sollicitæ tu caussa pecunia vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitijs hominum crudelia pabula prabes,
Semina curarum de capite orta tuo.

III. *Parasitus esuriens apud Plautum in Sticho.*

Audiui sæpe hoc vulgò dictum dicier,
Solere elephantum grauidam perpetuos decem
Esse annos; eius ex semine hæc certò est fames.
Nam iam complures annos vtero hæret meo.
Nunc si ridiculum hominem quæret quispiam,
Venalis ego sum cum ornamentis omnibus.
Inanimentis explementum quærito.
Gelasimo nomen mihi indidit paruo pater,

Propter

Propter paupertatem adeo hoc nomen reperi,
Quia inde iam à pauxillo puero ridiculus fui:
Eò quia paupertas fecit, ridiculus vt forem.
Nam illa omnes artes perdocet, vbi quem attigit,
Per annonam caram dixit me natum pater:
Propterea, credo, nunc ego esurio acrius.
Sed generi nostro hae reddita est benignitas,
Nulli negare soleo, qui esum me vocat.

Vide querimoniam Ergasili parasiti in Captiuis.

IV. *Stultis bene est.*

MEnte lapsus fuerat aliquando vir nobilis. Habebat bona fæmina filium, cui similiter mentis vsus ademptus erat: quæ eius curandi cōsilium exquirens, ad hunc nobilem ire iussa est, quod fecit, & ab eo huius morbi, vt ab experto, remediū candide pro filio petiuit. Cui ille. Heus tu mulier, ne te res ista angat: sine fælicem esse filium tuum. Nam mihi nunquam melius fuit, quam cū mente alienata, & stultus essem. Verum dixit. Tales enim sine omni cura, & sollicitudine vitam quietam & tranquillam ducunt, & in vtramque autem securi dormiunt. Ex Italico.

V. *Ingenium interdum malè habitat.*

INuenias aliquando homines ingenio, & eruditione præstantes, sed tamen habitu corporis parum elegantes, & vitio aliquo deformes, qualis Galba orator fuit: in quem per iocum Lollius, ingenium Galbæ male habitare. Idem cum

caussas agens sæpius compellaret Augustum, diceretque, Corrige, si quid peccaui, Auguste, subiecit vrbanè idem Augustus, ad gibbum eiusdem alludens, Ego te monere possum, Galba, corrigere non possum.

Animus hominis prudens, ingeniosus, litteris excultus in corpore parum decēti est tanquā vinum generosum in vase testaceo, aut gemma pretiosa in annulo æreo. Ne propter vasculi, & æris vilitatem vinum, gemma nobis vilescant. Audiamus Senecam epist.66. Non deformitate corporis fœdatur animus: sed pulchritudine animi ornatur corpus.

VI. ALIQVOT IOCA DIOGENIS.

INterrogatus quemadmodum Dionysius amicos haberet, Vt vascula, inquit. Plenos euacuat, vacuos abijcit. A spectaculo venientem percunctabatur quispiam, multa ne illic turba affuisset, Turba quidē, ait, multa, homines pauci. Caluus quidam ei conuiciabatur, Ast ego, infit, te vicissim maledictis appetere nolo: laudo autem capillos, qui insanum istud caput tuum fugientes glabrum reliquerunt. Cum videret mulierem in lectica ferri, dixit, non secundum ferā esse caueam. Apud Megarenses cum aspexisset oues densiore lana coopertas, liberos autem eorum incedere nudos, præstat, inquit, Megarensis esse arietem quàm filium.

VII. *In diuino arbitrio acquiescendum.*

Diago-

Diagoras dei prouidentiam sustulit, cognominatus ἄθεος. Hic cum in Samothraciam venisset, audiuit ab amico quodam, Nonne animaduertis, Diagora, qui deos censes humana negligere, ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, & in portum salui deuenerint? At illi, subiecit Diagoras, nusquã picti sunt, qui naufragio facto in mari perierunt. Ridiculè dictum, sed impiè.

VIII. *Magni fures impunè peccant.*

M. Cato in orat. quam de præda militibus dispertienda habuit, Fures, inquit, priuatorum furtorum in neruo, atque compedibus ætatem agunt: fures publici in auro, atque purpura.

Quoniam varijs modis aliena inuitis dominis aut auferuntur, aut detinentur, aut vsurpantur, in quibus sita est furti ratio, fit vt varia furum genera reperiantur, de quibus agitur cum septimũ Decalogi præceptum explicatur. Atq; inde perspicitur etiam homines alioqui copiosos, aut nobiles, & illustres in furibus numerari, qui opibus suis, & potentia freti, alios circumueniunt, opprimunt, & per summam iniuriam fortunis suis exturbatos ad egestatem redigunt, cruce digniores, quàm qui paupertate conflictati aliquantillum pecuniæ surripuerunt.

IX. *Retortum in auctorem.*

ORator quidam Atheniensis Lacedæmonas imperitos appellabat. Id audiens Pausaniæ filius, Rectè dicis, inquit: soli enim Græcorum nihil à vobis mali didicimus.

X. *Ex Trinummo Plauti.*

CALLICLES, MEGARONIDES
senes duo.

C. *Larem corona nostrum decorari volo.*
Vxor, venerare, vt nobis hæc habitatio
Bona, fausta, fælix, fortunataq́ eueniat,
Teque vt quam primum poßim, videam emortuam.
O amice salue, atque æqualis mihi
Magaronides: M. *& tu adepol salue Callicles.*
Valen' valuiſtin' C. *valeo, & valui rectius.*
M. *Quid agit tua vxor? vt valet?* C. *plusquam ego volo.*
M. *Bene hercle eſt illam tibi bene valere, & viuere.*
C. *Credo hercle te gaudere, ſi quid mihi mali eſt.*
M. *Omnibus amicis quod mihi eſt cupio eſſe idem.*
C. *Eho tua vxor quid agit?* M. *immortalis eſt.*
Viuit, victuraq́ eſt. C. *bene hercle nuntias:*
Deosq́ oro, vt vita tua ſuperſtes ſuppetat.
M. *Dum quidem hercle tecum nupta ſit, ſanè velim.*
Vin' commutemus, tuam ego ducam, & tu meam?

Saxo haud tantillum dederis verborum mihi.

C. *Habeas vt nactus: nota mala res optuma est.*

XI. *In curiosum.*

IMprobus nescio quis cum vsque ad nauseam Demaratum rogasset, quemnam suæ gentis optimum arbitraretur, Qui, inquit, tui est dissimillimus. Sic Bias ab impio interrogatus quid esset pietas, nihil respondit. Caussam silentij eo quærente, Quia, inquit, de re ad te nihil pertinēte sciscitaris. Laert. lib. 1.

XII. *In hydropicum.*

PVb. Syrus, cuius extant versus μονόστιχοι, de quodam hydropico ad solem stante percunctanti quid ageret, Aquam calefacit, inquit.

XIII. *Virga argentea.*

ANthistenes, à discipulis mercedem satis grādem exigens, ob id paucos numerabat, pluribus videlicet eum deserentibus. Caussam poscenti, quia, inquit, argentea illos ferula eijcio.

Eadem, argentea scilicet, virga summus eloquentiæ doctor Isocrates Demosthenem eiecit. Qui cum se mille drachmas, quanta mercede docebat Isocrates, se præ inopia soluere nō posse diceret, quintam partem, hoc est, ducentas soluturum, vt se quintam artis suæ partem doceret, respondit ille, Non solemus artem nostrā instillatim comminuere, ô Demosthenes. Sed

vt bonos pisces integros vendimus,sic ego tibi,si mihi operam dare voles,artem suis numeris perfectam tradam. Mirum quomodo non etiam eadem suos eiecerit Gorgias,qui ab vnoquoque C. minas exigebat.

XIV. *Latius regnes auidum domando spiritum &c.*

ANtiochus magnus Asiæ rex,cum à Scipione deuictus Tauro tenus regnare iussus esset, omnemque hanc Asiam, quæ nunc nostra prouincia est,amisisset,dicere est solitus: benignè sibi à pop. Rom. esse factum, quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis vteretur. Cic. pro Deiot.

Scitè Antiochus si simulatè, grauiter, sapienter,ac vere,si ex animo. Est enim Regum propter curarum assiduarum molem, suspiciones, difficultates, pericula, metus fælicitas misera. Ob quas res quidam sponte se regnis abdicarunt. Vt permirum videatur, quomodo Alex. M. alium quem subigeret orbem quæsiuerit.

XV. *C. Caligula Iupiter.*

DE C. Caligula sceleſtissimo Imp. & sutore quodam & hoc apud Dionem lib. 59. scriptum inuenio. Cum forte Iouis figura,& habitu assumpto ius pro tribunali diceret,& Gallus quidam sutor fatuum aspiciens rideret, quæsiuit ab eo,quis nam ipsi videretur. Magnum delirium inquit. Passus est sic abire in homine plebeio hoc

hoc conuicium Cæſar, quod mireris in tyranno haud immeritò.

Et huius,& Tiberij,& Claudij, & Heliogabali, & Neronis,& aliorum inauditæ ſtultitiæ nunquam ſatis reprehendi,& Romanæ Reipub. calamitas, à teterrimis hiſce portentis, tyrannisq; crudeliſſimis inſolentiſſimè irriſæ, vexatæ, laceratæ, pedibus conculcatæ nunquam ſatis deplorari poteſt.

XVI. *Romulus ſubſannatus. Romani perſtricti.*

CVm Galli Romam Brenno duce obſiderent, in regiam Romuli inciderunt, miratique ſunt ex tam humili caſa, culmo & ſtramentis cōpacta potuiſſe ipſum vno ſaltu in cælum ſcandere. Deinde ſubiecta face cremantes aiebant, ſe paupertatem tanti regis, immo Dei Quirini tegere, & expiare flammis eius in fratrem (propter murum violatum ſcilicet) commiſſum parricidium. Quod ſi Romani (inquit Brennus) vellent quæcunq; à confinibus nationibus, ne dum à remotiſſimis abſtulerunt reſtituere, verendum ne ad cannas, & ſtipulas, & ad greges Romuli opilionis redeundum foret.

De caſa Romuli Ouid. 1. Faſt. *Dum caſa Martigenam capiebat parua Quirinum*. Et alibi. *Fertur & in parua delituiſſe caſa.* Propert. lib. 4. eleg. 1. *Nec fuit opprobrio facta ſine arte caſa.* Halicarnaſ. lib. 1. agens de Romulo & Remo etiamnum paſtori

ſtoribus, victum, ait, ſibi parantes manibus, in montibus plerumque è lignis, & arundine compingentes humiles, absque vlla contignatione caſulas: quarum vna vſque ad noſtram ætatem durauit, cognominata Romuli. Quam vt ſacram ſeruant, quibus id mandatum eſt, nihil eam auguſtius ædificare ſatagentes. Quod ſi quid temporum, aut tempeſtatum iniuria vitiatum fuerit, reſarcitur, quantum fieri poteſt ad formam priſtinam.

XVII. *Claud. Imp. fungo ἀποθεωθείς.*

NEro fungos deorum cibum vocat: quod Agrippina medicato fungo Claudium maritum Imp. ſuſtuliſſet, eum cælo inſeruiſſet; iuxta opinionem vulgi nempe, Imperatores poſt mortem ad deos abire credentis. Dio. lib. 60. in extremo.

XVIII. *Pecunia nihil in expugnabilius.*

CVm Ageſilaus Lacedæmoniorum rex contra Perſas in Aſia, terra, marique rem fæliciter gereret, ſummæque victoriæ immineret, Artaxerxes Hermocratem cum magna vi auri in Græciam ad potentiſſimum quemque in ſua ciuitate largitione corrumpendum, & ad arma in Lacedæmonios concitanda miſit. Cum igitur

maximæ ciuitates conſpiraſſent, & conturbata eſſet Peloponneſus, à magiſtratu reuocatus eſt Ageſilaus. Qui diſcedens amicis mirãtibus dixit, triginta millibus ſagittariorum ſe Aſia pelli, quorum impetum ſuſtinere nequiuerit. Numiſmatis enim Perſici ſignum erat ſagittarius. Quo dicterio notabat ciues patricios ſuos, qui obtrectatione laudis ſuæ non ab Hermocrate Rhodio, ſed à Tiſſapherne Perſa triginta millibus aureis ſagittarijs corrupti, ipſum ab Aſia reuocaſſent. Plutarch. in Artaxerxe, Iouius in Elogio eiuſdem.

XIX. *Q. Cicero puſillus homo.*

Q. Cicero Marci Tullij frater ſtatura puſillus erat. Cuius clypeatam imaginem ingentibus lineamentis, vſque ad pectus ex more pictã intuitus Marcus, frater meus, inquit, dimidius maior eſt quàm totus. Macrob. Saturnal. 2. cap. 3.

XX. *Mœcha duplex.*

FAuſtus Syllæ filius, quum ſoror eius eodem tempore duos mœchos haberet, Fuluiũ fullonis filium, & Pompeium cognomento Maculam, miror, inquit, ſororem meam habere maculam, cum habeat fullonem. Idem.

XXI. *Dant confidentiam natales.*

IVlia Auguſti filia ab amico viro graui monebatur, melius facturam, ſi ſe ad exemplum paternæ frugalitatis componeret: Reſpondit: Il-

le obliuiſcitur ſe Cæſarem eſſe: at ego memini me Cæſaris eſſe filiam. Idem.

XXII. *Inuidia Fortunæ adſcribit, quod virtus meretur.*

TImotheum Athenienſium ducem bello inclytum, & ſubactis vrbibus nobilem pinxerunt quidam dormientem, eique Fortunam aſtantem, & vrbes reti attrahentem, ex inuidia videlicet, quam virtus parere, & fælicitas ſolent. Hos æmulos ſic illuſit Timotheus, vt diceret, ſi huiusmodi vrbes capio dormiens, quid me facturum cenſetis ſi vigilauero? Ælian. lib. 13. cap. 43. Comparat eum cum Demetrio lib 3. cap. 16. Nihil ei profuiſſe virtutem oſtendit cap. 47.

XXIII *Qui comedit quod fuit, quod non fuit.*

BIon Boryſthenites lurconem quendam, qui ventris cauſſa fundos ſuos vendiderat ita tetigit; Amphiaraum terra abſorpſit, ſed terram tu. Præſcripſimus huic dicto argumentum verbis Philtonis ex Trinummo, vbi ſic ille ſenex de Lesbonico adoleſcente, qui decoxerat.

EX MARTIALE.

Ad Fidentinum.

Fama refert noſtros te, Fidentine, libellos
Non aliter populo quàm recitare tuos.

Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam.
Si dici tua vis, hac eme, ne mea sint.

De Philone.

Nunquam se cœnasse domi Philo iurat, & hoc est,
Non cœnat, quoties nemo vocauit eum.

In Lentinum.

Mentiris iuuenem tinctis, Lentine, capillis?
Tam subitò coruus, qui modò cygnus eras.
Non omnes fallis: scit te Proserpina canum;
Personam capiti detrahet illa tuo.

In coniuges improbos.

Quum sitis similes, paresq; vita,
Vxor pessima, pessimus maritus,
Miror non bene conuenire vobis.

In Maronem.

Nil mihi das viuus, dicis post fata daturum.
Si non es stultus, scis, Maro, quid cupiam.

In Cinnam.

Versiculos in me narratur scribere Cinna.
Non scribit cuius carmina nemo legit.

De Lino.

Dimidium donare Lino, quàm credere totum
Qui mauult, mauult perdere dimidium.

In Phœbum.

Mentiris fictos vnguento, Phœbe, capillos,
Et tegitur pictis sordida calua comis.
Tonsorem capiti non est adhibere necessum,
Radere te melius spongia, Phœbe, potest.

EX AVSONIO,

In Philomusum.

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est,
Doctum Grammaticum te, Philomuse, putas.
Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde,
Omnia mercatus cras citharœdus eris.

In pictam imaginem Rufi Rhetoris.

Hæc Rufi tabula est, nil verius. Ipse vbi Rufus?
In cathedra. quid agit? hoc quod & in tabula.

De eodem.

Reminisco Rufus dixit in versu suo.
Cor ergo versus, immò Rufus non habet.

De eodem.

Rufus vocatus rethor olim ad nuptias,
Celebri vt fit in conuiuio,
Grammaticæ vt artis se peritum ostenderet,
Hæc vota dixit nuptiis.
Et masculini, & fæminini gignite,
Generisq́; neutri filios.

De Chresto, & Acindyno fratribus.

Germani fratres sunt Chrestus, Acindynus alter.
Falsum nomen vtrique: sed vt verum sit vtrique,
Alpha suum Chresto det Acindynus, ipse sine alpha
Permaneat: verum nomen vterq; geret.

De signo Iouis, & Alcone medico.

Alcon hesterno signum Iouis attigit, ille
Quamuis marmoreus vim patitur medici.
Ecce hodie iussus transferri ex æde vetusta,
Effertur: quamuis sit deus atque lapis.

Ἀρχὴ τὸ ἥμισυ παντός.

Incipe, dimidium facti est cœpisse, superſit
Dimidium, rurſum hoc incipe, & efficies.

Laureæ M. Tullij liberti in leuitatem fœminarum.

Credo ratem ventis, animum ne crede puellis,
Namque eſt fœminea tutior vnda fide.
Fœmina nulla bona eſt: ſed ſi bona contigit vna,
Neſcio quo fato res mala facta bona eſt.

EX ANTHOLOGIÆ LIB. II.

In ſtultum.

INCERTI.

Pulicibus ſtultum mordentibus, ille lucerna
Extincta, haud me iam conſpicietis, ait.

In Grammaticos.

LVCILLII.

Grammatici quoties ſio memor Heliodori,
Vincta ſolœcismis lingua repente mea eſt.

Eiusdem in alium.

Atrida, & Paridis narras foris acta, tuæque
Permultos Helenes intus habes Paridas.

In probè naſatum.

LEONIDÆ.

Non opus eſt habeat piſces Soſiptolis emptor:
Gratis ei in magno copia magna mari.
Nec tamen huic linum, calamusue eſt: naribus hamum
Appendens, piſces extrahit ille ſalo.

In fœminam deformem.

LVCILLII.

Te speculum fallit: speculum nam, Gellia, verum
Si semel inspiceres, non iterum inspiceres.

In medicum.

NICARCHI.

Non me purgauit Phidon, tetigitue: sed eius
Nomine dum febriens immoror, emorior.

In Citharœdos.

LVCILLII.

Nycticorax lethale canis, letharis at vno
Demophili cantu tu quoque nycticorax.

Eiusdem.

Vicinos, tota dum psallit nocte, necauit
Simylus: incolumi sed tamen Origene.
Namque crearat eum surdum natura: sed aui,
Dum negat auditum, prorogat illa dies.

In hirsutum.

Eiusdem.

Hermogeni tonsor caput ut tonsurus, vbi, inquit,
Huic tandem caput est? hispida cuncta videns.

In pigrum.

Eiusdem.

Carcere quem subiit dum Marcus abire pigratur,
Non facta cadis maluit esse reus.

In auarum

Eiusdem.

Sordidus in somnis impensas fecerat Hermon,
Hocce dolens, fregit mox sibi fune gulam.

In

In inuidum.

Eiusdem.

In cruce cum figi socium maiore videret,
Tabifica est Diophon mortuus inuidia.

EX RECENTIORIBVS LATINIS.

In Pamphilum.

POLITIANI.

Mittis vina mihi, mihi, Pamphile, vina supersunt.
Vis mage quod placeat mittere? mitte sitim.

In Mabilium.

Eiusdem.

Ore tibi pauci, sed nulli in carmine dentes
Cum sint, atque illi sint putridi & veteres,
Allatras, vt cum nequeas mordere, Mabili,
Latratu ostendas te tamen esse canem.

In somnos.

Eiusdem.

O mihi quanta datis fallaces gaudia somni?
Inuideo, Endrymion, Latmia saxa tibi.
Iam si nil sopor est gelidæ nisi mortis imago,
Omnia mors superat gaudia, vita vale.

In Lycarmum furem.

HERCVL. STROZÆ.

Suspendendus erat Phœbo redeunte Lycarmus,
Furcam alius sero vespere fur rapuit.
Quid sonti sperare nefas, si turpia furta
Quod dederant laqueo surripuere caput.

In quendam.

MVRETI.

Mulciber incessu, capite Æolus, ore Lyæus:
Tres vno diuos corpore solus habes.

In Pontilianum.

Eiusdem.

Cum rapidus medio desæuit in æquore Titan,
Fer puer huc cyathos Pontilianus ait.
Cum pluit, en, inquit, deus admonet esse bibendũ,
Qui nunc tam multo proluit imbre solum.
Sic vacua a potu non vnquam tempora ducit,
Curq́ bibat semper Pontilianus habet.

Epitaphium Vituli & Asellæ.

MICHAEL. TARCHAN.

Mœrendi Vitulus, atq́ Asella coniuges;
Qui morte prauenti mala, nec ille bos,
Nec illa quiuit emori asina: hoc ex suis
Sibi bonis sumpsere quod vides soli.

In senem scipione vtentem.

CÆLII RHODIG.

Quid ferula moliris iter? quid te magis vrget
Ad mortem gemino non satis ire pede?

De Codro.

SIMON. VALLAMBERT.

Marmoreas ædes trita cum veste subibat
Codrus, at exclusus limine tristis ait:
Tantus honor panno? huc superis ne intrare liceret?
Sunt nudi, in cælum nec nisi nudus eas.

In

In Prognosticum ridiculum.

THOM. MORI.

Hoc anno in regno rex nobilis ille quiescet
Gallorum, celeber scripserat astrologus.
Rex bene vix cœpto vita defungitur anno.
Iam nil se vatis quo tueatur habet.
Rem quidam risu tentat defendere. Verum est
Augurium, Rex iam nonne quieuit? ait.
Latius hoc verbum prorepit, & vndiq; ridens
Id populus, Rex iam nonne quieuit? ait.
Audit vt in populo hoc vates; iam deniq; verũ est
Augurium, Rex iam nonne quieuit? ait.

Tumulus Hyæ inertiss. hominis.

IOVIAN. PONT.

Nunquam vixit Hyas: sed Hyas hoc conditur antro.
Si vixit nunquam, mortuus est nec Hyas.

Tumulus Erris nani.

Eiusdem.

Et tumulus breuis est, titulus breuis, & breue nomen,
Et iacet hic nanus, nanula testa tegit.

In versificatores duos, quorum alter audiebat Sutor, alter Faber.

GASPARIS VRSINI.

Sutor suit poema, procudit Faber,
Coriaceos ille, iste versus ferreos.

Ad Steph. Doletum.

ANTON. GOVEANI.

Pythagoræ si dogma placet, Dolete, renati,
Non mirum est animam si Ciceronis habes.
At tantam molem, & tantos diffusa per artus
Virtutem certè perdidit illa suam.

Ad Ianum Habertum.

Eiusdem.

Quæ tu pauca putas epigrammata, Iane, putarim,
Si bona, multa satis: si mala, multa nimis.

In titulum cuiusdam libri.

IOACH. BELLAII.

Paule tuum inscribis Nugarum nomine librum.
In toto libro nil melius titulo.

Puluisculus ad candorem dentium.

L. APVLEII.

Calpurniane salue properis versibus.
Misi, vt petisti, tibi munditias dentium.
Nitelas oris ex Arabicis frugibus,
Tenuem, candificum, nobilem puluisculum,
Complanatorem tumidulæ gingiuulæ,
Conuerritorem pridianæ reliquiæ,
Ne qua visatur tetra labes sordium,
Restrictis forte si labellis riseris.

De magistri ludi negligentia.

INCERTI.

Indoctus teneram suscepit Caualo plebem,
Quam cogat primas discere litterulas.

Sed

Sed cum discipulos nullo terrore coërcet,
Et ferulis culpas tollere cessat iners,
Proiectis pueri tabulis Floralia ludunt.
Iam nomen ludi ritè magister habes.

De asino, qui Æneidem discerpsit.
Incerti.

Carminis Iliaci libros discerpsit asellus,
Hoc Troiæ fatum est; aut equus, aut asinus.

In Ventidium Bassum.
Incerti.

Concurrite omnes augures, aruspices:
Portentum inusitatum conflatum est recens,
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.

Subscriptum statuæ Iulij Cæs.

Brutus quia reges eiecit, Consul primò factus est,
Hic, quia Consules eiecit, rex postremò factus est.

Vxor imperiosa. *Incerti.*

Dum quadã cerebrosa diu reprehenditur vxor,
Nec satis officij dicitur esse memor:
Quid de me queritur coniux? quod vult volo, dixit,
Imperium is sibi vult, id volo & ipsa mihi.

In parcum conuiuatorem.
HEN. STEPH.

Conuiua es quoties, grata est tibi prodiga cœna,
Cum conuiuator, parca, & auara placet.
Vnde hoc? Actiuus (liceat sic dicere) luxus,
Sed non passiuus displicet, Aule, tibi.

Responsum Germani super vino diluendo.

Incerti.

Temperet vt lympha vinum dum forte monetur
Germanus quidam, talia verba refert.
Si vestes ingressa adeo solet esse molesta,
Pernicies stomachi quã mala pestis aqua est?

In Ostentatorem barbæ.

PETRI ALBIERI.

Battale quòd iactas hirsuto vellere barbam,
Mento nempe vales, Battale, mente cares.

In Potorem.

DVSÆ.

Vnde suum quæris ducat cereuisia nomen?
Quod cerebrum visat crebra, Sabelle, tuum.

XXIV. *Dicti abusio.*

AGrestis quidam simplicissimus, & lare tenui, fæulente pestilentia vxorem, & liberos amiserat. Is vt amicis charitatem erga suos, mœroremque ex tot funeribus conceptum ostenderet; me ipsum consoler necesse est, inquit, quando non solus hanc calamitatem experior. Semper enim diabolus quæ sunt homini charissima eripere consueuit. Ex German.

XXV. *C. Iulius Cæsar duo Coss.*

CÆsar Iulius cætera in vrbe solus & introduxit, & suasit, & decreuit in vniuersum omnia

omnia, haud aliter quàm si solus Romæ imperaret. Vnde faceti quidam M. Bibuli collegæ nomen omnino reticuerunt: Cæsarem autem pro duobus Consulibus & nominauerunt, & scripserunt, C. Cæsarem, & Iulium Cæsarem Coss. dicentes. Dio lib. 8.

Hac de re Sueton. cap. 20. in hunc modum. Vnus ex eo tempore omnia in repub. & ad arbitrium administrauit: vt nonnulli vrbanorum, cũ quid per iocum testificandi gratia signarent, non Cæsare, & Bibulo, sed Iulio & Cæsare Coss. actũ scriberent, atque vulgò mox ferrentur isti versus.

Non Bibulo quidquam nuper, sed Cæsare gestum est,
Nam Bibulo fieri Consule nil memini.

Caussam huius dominationis Iulio ipsemet Bibulus aliquam præbuit. Nam cum actiones eius magis vellet impedire, quam posset, maiore parte anni se domi tenuit. Quo pacto dum augere vult inuidiam collegæ, auxit potentiam. Velleius lib. 2.

XXVI. *Cæsar puer malè præcinctus.*

Occasionem de se obtrectatoribus eo præbebat, quod etiam maiore iam natu formæ studeret: quippe semper laxiori veste delicatè vtebatur, & cinctura fluxiore, &c. Omnino verò Venerem colebat, à qua se etiam formæ quandam venustatem habere persuadere omnibus nitebatur. Igitur Venerem armatam annulo insculptam gestabat, eaque tessera in rebus sum-

ſtoribus, victum, ait, ſibi parantes manibus, in montibus plerumque è lignis, & arundine compingentes humiles, absque vlla contignatione caſulas: quarum vna vſque ad noſtram ætatem durauit, cognominata Romuli. Quam vt ſacram ſeruant, quibus id mandatum eſt, nihil eam auguſtius ædificare ſatagentes. Quod ſi quid temporum, aut tempeſtatum iniuria vitiatum fuerit, reſarcitur, quantum fieri poteſt ad formam priſtinam.

XVII. *Claud. Imp. fungo ἀποθεωθείς.*

NEro fungos deorum cibum vocat: quod Agrippina medicato fungo Claudium maritum Imp. ſuſtuliſſet, eum cælo inſeruiſſet; iuxta opinionem vulgi nempe, Imperatores poſt mortem ad deos abire credentis. Dio. lib. 60. in extremo.

XVIII. *Pecunia nihil inexpugnabilius.*

CVm Ageſilaus Lacedæmoniorum rex contra Perſas in Aſia, terra, marique rem fæliciter gereret, ſummæque victoriæ immineret, Artaxerxes Hermocratem cum magna vi auri in Græciam ad potentiſſimum quemque in ſua ciuitate largitione corrumpendum, & ad arma in Lacedæmonios concitanda miſit. Cum igitur

maximæ ciuitates conſpiraſſent, & conturbata eſſet Peloponneſus, à magiſtratu reuocatus eſt Ageſilaus. Qui diſcedens amicis mirãtibus dixit, triginta millibus ſagittariorum ſe Aſia pelli, quorum impetum ſuſtinere nequiuerit. Numiſmatis enim Perſici ſignum erat ſagittarius. Quo dicterio notabat ciues patricios ſuos, qui obtrectatione laudis ſuæ non ab Hermocrate Rhodio, ſed à Tiſſapherne Perſa triginta millibus aureis ſagittarijs corrupti, ipſum ab Aſia reuocaſſent. Plutarch. in Artaxerxe, Iouius in Elogio eiuſdem.

XIX. *Q. Cicero puſillus homo.*

Q. Cicero Marci Tullij frater ſtatura puſillus erat. Cuius clypeatam imaginem ingentibus lineamentis, vſque ad pectus ex more pictas intuitus Marcus, frater meus, inquit, dimidius maior eſt quàm totus. Macrob. Saturnal. 2. cap. 3.

XX. *Mœcha duplex.*

FAuſtus Syllæ filius, quum ſoror eius eodem tempore duos mœchos haberet, Fuluiũ fullonis filium, & Pompeium cognomento Maculam, miror, inquit, ſororem meam habere maculam, cum habeat fullonem. Idem.

XXI. *Dant confidentiam natales.*

IVlia Auguſti filia ab amico viro graui monebatur, melius facturam, ſi ſe ad exemplum paternæ frugalitatis componeret: Reſpondit: Il-

le obliuiscitur se Cæsarem esse: at ego memini me Cæsaris esse filiam. Idem.

XXII. *Inuidia Fortunæ adscribit, quod virtus meretur.*

TImotheum Atheniensium ducem bello inclytum, & subactis vrbibus nobilem pinxerunt quidam dormientem, eique Fortunam astantem, & vrbes reti attrahentem, ex inuidia videlicet, quam virtus parere, & fælicitas solent. Hos æmulos sic illusit Timotheus, vt diceret, si huiusmodi vrbes capio dormiens, quid me facturum censeris si vigilauero? Ælian. lib. 13. cap. 43. Comparat eum cum Demetrio lib 3. cap. 16. Nihil ei profuisse virtutem ostendit cap. 47.

XXIII *Qui comedit quod fuit, quod non fuit.*

BIon Borysthenites lurconem quendam, qui ventris caussa fundos suos vendiderat ita tetigit; Amphiaraum terra absorpsit, sed terram tu. Præscripsimus huic dicto argumentum verbis Philtonis ex Trinummo, vbi sic ille senex de Lesbonico adolescente, qui decoxerat.

EX MARTIALE.

Ad Fidentinum.

Fama refert nostros te, Fidentine, libellos
Non aliter populo quàm recitare tuos,

Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam.
Si dici tua vis, hæc eme, ne mea sint.

De Philone.

Nunquam se cœnasse domi Philo iurat, & hoc est,
Non cœnat, quoties nemo vocauit eum.

In Lentinum.

Mentiris iuuenem tinctis, Lentine, capillis
Tam subitò coruus, qui modò cygnus eras.
Non omnes fallis: scit te Proserpina canum;
Personam capiti detrahet illa tuo.

In coniuges improbos.

Quum sitis similes, paresq; vita,
Vxor pessima, pessimus maritus,
Miror non bene conuenire vobis.

In Maronem.

Nil mihi das viuus, dicis post fata daturum.
Si non es stultus, scis, Maro, quid cupiam.

In Cinnam.

Versiculos in me narratur scribere Cinna.
Non scribit cuius carmina nemo legit.

De Lino.

Dimidium donare Lino, quàm credere totum
Qui mauult, mauult perdere dimidium.

In Phœbum.

Mentiris fictos vnguento, Phœbe, capillos,
Et tegitur pictis sordida calua comis.
Tonsorem capiti non est adhibere necessum,
Radere te melius spongia, Phœbe, potest.

EX AVSONIO,

In Philomusum.

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est,
Doctum Grammaticum te, Philomuse, putas.
Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde,
Omnia mercatus cras citharœdus eris.

In pictam imaginem Rufi Rhetoris.

Hæc Rufi tabula est, nil verius. Ipse vbi Rufus?
In cathedra. quid agit? hoc quod & in tabula.

De eodem.

Reminisco Rufus dixit in versu suo.
Cor ergo versus, immò Rufus non habet.

De eodem.

Rufus vocatus rethor olim ad nuptias,
Celebri vt fit in conuiuio,
Grammaticæ vt artis se peritum ostenderet,
Hæc vota dixit nuptiis.
Et masculini, & fœminini gignite,
Generisq; neutri filios.

De Chresto, & Acindyno fratribus.

Germani fratres sunt Chrestus, Acindynus alter.
Falsum nomen vtrique: sed vt verum sit vtrique,
Alpha suum Chresto det Acindynus, ipse sine alpha
Permaneat: verum nomen vterq; geret.

De signo Iouis, & Alcone medico.

Alcon hesterno signum Iouis attigit, ille
Quamuis marmoreus vim patitur medici.
Ecce hodie iussus transferri ex æde vetusta,
Effertur: quamuis sit deus atque lapis.

Ἀρχὴ τὸ ἥμισυ παντός.

Incipe, dimidium facti est cœpisse, superfit
Dimidium, rursum hoc incipe, & efficies.

Laureæ M. Tullij liberti in leuitatem fœminarum.

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis,
Namque est feminea tutior vnda fide.
Femina nulla bona est: sed si bona contigit vna,
Nescio quo fato res mala facta bona est.

EX ANTHOLOGIÆ LIB. II.

In stultum.

INCERTI.

Pulicibus stultum mordentibus, ille lucerna
Extincta, haud me iam conspicietis, ait.

In Grammaticos.

LVCILLII.

Grammatici quoties fio memor Heliodori,
Vincta solœcismis lingua repente mea est.

Eiusdem in alium.

Atrida, & Paridis narras foris acta, tuaq;
Permultos Helenes intus habes Paridas.

In probè nasatum.

LEONIDÆ.

Non opus est habeat pisces Sosiptolis emptor:
Gratis ei in magno copia magna mari.
Nec tamen huic linum, calamusue est: naribus hā-
Appendens, pisces extrahit ille salo. (mum

In fœminam deformem.

LVCILLII.

Te speculum fallit: speculum nam, Gellia, verum
Si semel inspiceres, non iterum inspiceres.

In medicum.

NICARCHI.

Non me purgauit Phidon, tetigitue: sed eius
Nomine dum febriens immoror, emorior.

In Citharœdos.

LVCILLII.

Nycticorax lethale canis, letharis at vno
Demophili cantu tu quoque nycticorax.

Eiusdem.

Vicinos, tota dum psallit nocte, necauit
Simylus: incolumi sed tamen Origene.
Namque crearat eum surdum natura: sed aui,
Dum negat auditum, prorogat illa dies.

In hirsutum.

Eiusdem.

Hermogeni tonsor caput ut tonsurus, vbi, inquit,
Huic tandem caput est? hispida cuncta videns.

In pigrum.

Eiusdem.

Carcere quem subiit dum Marcus abire pigratur,
Non facta cadis maluit esse reus.

In auarum

Eiusdem.

Sordidus in somnis impensas fecerat Hermon,
Hocce dolens, fregit mox sibi fune gulam.

In inuidum.

Eiusdem.

In cruce cum figi socium maiore videret,
Tabifica est Diophon mortuus inuidia.

EX RECENTIORIBVS LATINIS.

In Pamphilum.

POLITIANI.

Mittis vina mihi, mihi, Pamphile, vina supersunt.
Vis mage quod placeat mittere? mitte sitim.

In Mabilium.

Eiusdem.

Ore tibi pauci, sed nulli in carmine dentes
Cum sint, atque illi sint putridi & veteres,
Allatras, vt cum nequeas mordere, Mabili,
Latratu ostendas te tamen esse canem.

In somnos.

Eiusdem.

O mihi quanta datis fallaces gaudia somni?
Inuideo, Endrymion, Latmia saxa tibi.
Iam si nil sopor est gelidæ nisi mortis imago,
Omnia mors superat gaudia, vita vale.

In Lycarmum furem.

HERCVL. STROZÆ.

Suspendendus erat Phœbo redeunte Lycarmus,
Furcam alius sero vespere fur rapuit.
Quid sonti sperare nefas, si turpia furta
Quod dederant laqueo surripuere caput.

In quendam.

MVRETI.

Mulciber incessu, capite Æolus, ore Lyæus:
Tres vno diuos corpore solus habes.

In Pontilianum.

Eiusdem.

Cum rapidus medio desæuit in æquore Titan,
Fer puer huc cyathos Pontilianus ait.
Cum pluit, en, inquit, deus admonet esse bibendũ,
Qui nunc tam multo proluit imbre solum.
Sic vacua à potu non vnquam tempora ducit,
Curq; bibat semper Pontilianus habet.

Epitaphium Vituli & Asellæ.

MICHAEL. TARCHAN.

Mœrendi Vitulus, atq; Asella coniuges;
Qui morte præuenti mala, nec ille bos,
Nec illa quiuit emori asina: hoc ex suis
Sibi bonis sumpsere quod vides soli.

In senem scipione vtentem.

CÆLII RHODIG.

Quid ferula moliris iter? quid te magis vrget
Ad mortem gemino non satis ire pede?

De Codro.

SIMON. VALLAMBERT.

Marmoreas ædes trita cum veste subibat
Codrus, at exclusus limine tristis ait:
Tantus honor panno? huc superis ne intrare liceret?
Sunt nudi, in cælum nec nisi nudus eas.

In Prognoſticum ridiculum.

THOM. MORI.

Hoc anno in regno rex nobilis ille quieſcet
Gallorum, celeber ſcripſerat aſtrologus.
Rex bene vix cœpto vita defungitur anno.
Iam nil ſe vates quo tueatur habet.
Rem quidam riſu tentat defendere. Verum eſt
Augurium, Rex iam nonne quieuit? ait.
Latius hoc verbum prorepit, & vndiq; ridens
Id populus, Rex iam nonne quieuit? ait.
Audit vt in populo hoc vates; iam deniq; verũ eſt
Augurium, Rex iam nonne quieuit? ait.

Tumulus Hyæ inertiſſ. hominis.

IOVIAN. PONT.

Nunquam vixit Hyas: ſed Hyas hoc conditur antro.
Si vixit nunquam, mortuus eſt nec Hyas.

Tumulus Erris nani.

Eiuſdem.

Et tumulus breuis eſt, titulus breuis, & breue nomen,
Et iacet hic nanus, nanula teſta tegit.

In verſificatores duos, quorum alter au-
diebat Sutor, alter Faber.

GASPARIS VRSINI.

Sutor ſuit poema, procudit Faber,
Coriaceos ille, iſte verſus ferreos.

Ad Steph. Doletum.

ANTON. GOVEANI.

Pythagoræ si dogma placet, Dolete, renati,
Non mirum est animam si Ciceronis habes.
At tantam molem, & tantos diffusa per artus
Virtutem certè perdidit illa suam.

Ad Ianum Habertum.

Eiusdem.

Quæ tu pauca putas epigrammata, Iane, putarim,
Si bona, multa satis: si mala, multa nimis.

In titulum cuiusdam libri.

IOACH. BELLAII.

Paule tuum inscribis Nugarum nomine librum.
In toto libro nil melius titulo.

Puluisculus ad candorem dentium.

L. APVLEII.

Calpurniane salue properis versibus.
Misi, vt petisti, tibi munditias dentium.
Nitelas oris ex Arabicis frugibus,
Tenuem, candificum, nobilem puluisculum,
Complanatorem tumidulæ gingiuulæ,
Conuerritorem pridianæ reliquiæ,
Ne qua visatur tetra labes sordium,
Restrictis forte si labellis riseris.

De magistri ludi negligentia.

INCERTI.

Indoctus teneram suscepit Caualo plebem,
Quam cogat primas discere litterulas.

Sed

Sed cum discipulos nullo terrore coërcet,
Et ferulis culpas tollere cessat iners,
Protectis pueri tabulis Floralia ludunt.
Iam nomen ludi ritè magister habes.

De asino, qui Æneidem discerpsit.

Incerti.

Carminis Iliaci libros discerpsit asellus,
Hoc Troiæ fatum est; aut equus, aut asinus.

In Ventidium Bassum.

Incerti.

Concurrite omnes augures, aruspices:
Portentum inusitatum conflatum est recens,
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.

Subscriptum statuæ Iulij Cæs.

Brutus quia reges eiecit, Consul primò factus est,
Hic, quia Consules eiecit, rex postremò factus est.

Vxor imperiosa. *Incerti.*

Dum quadã cerebrosa diu reprehenditur uxor,
Nec satis officij dicitur esse memor:
Quid de me queritur coniux? quod vult volo, dixit,
Imperium is sibi vult, id volo & ipsa mihi.

In parcum conuiuatorem.

HEN. STEPH.

Conuiua es quoties, grata est tibi prodiga cœna,
Cum conuiuator, parca, & auara placet,
Vnde hoc? Actiuus (liceat sic dicere) luxus,
Sed non passiuus displicet, Aule, tibi.

Re-

omnia, haud aliter quàm si solus Romæ imperaret, Vnde faceti quidam M. Bibuli collegæ nomen omnino reticuerunt: Cæsarem autem pro duobus Consulibus & nominauerunt, & scripserunt, C. Cæsarem, & Iulium Cæsarem Coss, dicentes. Dio lib. 8.

Hac de re Sueton. cap. 20. in hunc modum. Vnus ex eo tempore omnia in repub. & ad arbitrium administrauit: vt nonnulli vrbanorum, cũ quid per iocum testificandi gratia signarent, non Cæsare, & Bibulo, sed Iulio & Cæsare Coss. actũ scriberènt, atque vulgò mox ferrentur isti versus.

Non Bibulo quidquam nuper, sed Cæsare gestum est,
Nam Bibulo fieri Consule nil memini.

Caussam huius dominationis Iulio ipsemet Bibulus aliquam præbuit. Nam cum actiones eius magis vellet impedire, quam posset, maiore parte anni se domi tenuit. Quo pacto dum augere vult inuidiam collegæ, auxit potentiam. Velleius lib. 2.

XXVI. *Cæsar puer malè præcinctus.*

OCcasionem de se obtrectatoribus eo præbebat, quod etiam maiore iam natu formæ studeret: quippe semper laxiori veste delicatè vtebatur, & cinctura fluxiore, &c. Omnino verò Venerem colebat, à qua se etiam formæ quandam venustatem habere persuadere omnibus nitebatur. Igitur Venerem armatam annulo insculptam gestabat, eaque tessera in rebus sum-

mis

mis plerumque vtebatur. Certe laxam eius cin-cturam Sylla quoque notauit: qui cum neci Cæsarem destinasset, deprecantibus pro eo respondit, se quidem ipsis eum concedere: verùm ab isto malè præcincto cauerent. Quod cum Cicero non intellexisset, post, accepta clade, Nunquam, inquit, putabam fore, vt ab hoc, ita male cincto Pompeius vinceretur. Dio lib. 43. Locum hunc ita narrat Macrob. Saturnal. 2. cap. 3. Post victoriam Cæsaris interrogatus Cicero, cur in electione partis errasset, respondit, Præcinctura me decepit; iocatus videlicet in Cæsarem, qui ita toga præcingebatur, vt trahēdo laciniam velut mollis incederet: adeo vt Sulla tanquam prouidus dixerit Pompeio, Caue tibi illum puerum male præcinctum.

XXVII. *Consulatus ὀλιγοήμερος.*

PAucis diebus gesserat consulatum Vatinius, in quem Cicero facetè, Magnum ostentum anno Vatinij factum est, quod illo consule nec bruma, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuit. Vlcisci autem se Cicero videbatur: vt qui respōdisse sibi Vatinium meminerat, cum humeris se reipub. de exilio reportatum gloriaretur, Vnde ergo tibi varices? Macrob. ibid.

XXVIII. *Notatum adulterium.*

LIuiam Drusillam septimum iam mensem ex Claudio Tiberio Nerone, marito legitimo grauidam, ab eodem sibi vxorem Octauius Au-

gustus impetrauit. Vbi tertio post mense, id est, à conceptu decimo, apud eundem Claudiũ Drusum Neronem enixa est. Iactatum est igitur vulgò dicterium hoc, τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία, fœlicibus etiam trimestres nascuntur liberi. Quo Augustus perstringebatur, ex quo partum hunc Liuia per adulterium habere credebatur. Meminit dicti huius Sueton. vitam Claudij exordiens. Lepidum est quod adiungit hæc scribens Dio li. 48. In conuiuio (nuptiali) forte puellus quidam, quos garrulitate amabiles, matronæ nudos delectationis caussa aliquos alere solent, quum diuerso loco Liuiam cum Cæsare, diuerso autem Neronem cum alio quodam accumbentem videret, accedens, Quid hîc, inquit, agis, Domina? Maritus tuus (monstrabat Neronem) illic accumbit.

XXIX. *Ex alieno periculo sapiens emendat suum.*

IVlio Gallico oratori caussam agenti iratus Claudius Cæsar, in Tiberim, iuxta ipse iurisdictionem exercens, eum abijci iussit. Vnde perelegans Domitij Afri, patroni reorum suo tempore præstantissimi locus: cuius auxilium quum quidam imploraret à Gallico destitutus, Quis tibi indicauit, inquit, me natatorem Gallico meliorem esse? Dio lib. 60.

XXX. *Claud. Imp. vnco in cælum raptus.*

AGrippina, ac Nero lugere se eum quem necauerant (Claudium) simulauere: euexerántque in cælum, quem è conuiuio extulerant. Vnde L. Iulij Gallionis iocus vrbanissimus memoratur, paucissimis verbis plurima complectens. Quum enim eos qui in carcere necãtur, magnis vncis in forum carnifices, ac inde in profluentẽ pertraherent, vnco Claudium in cælum raptum dixit. Scripsit & Seneca librum in Claudium ἀποκολοκύντωσιν titulo, quasi dicas, de immortalitate fungo parta. Dio ibid.

XXXI. *Egentes, & mendici, Principum Christianorum canes venatici.*

LVdouicus Amedei Sabaudiæ Ducis filius septem mares genuit, quorum maior natu Amedeus aui nomen, ac virtutem referens rogatus quondam à quibusdam oratoribus, qui tunc aderant, si quos haberet canes venaticos ostenderet, annuit, postereque die redire iussit. Cum adessent, ex pergula ingentem à latere ædium mendicorum discumbentium multitudinem ijs ostendit: atque hi sunt, inquiens, canes mei, quos alo quotidie, quibusque cælestem beatitudinem me spero venaturum. Munst. Cosmog. lib. 2.

XXXII. *Affectata armilla altera.*

ERat Wigo quidam dicacissimus, qui dicacitatis suæ, quod regem eximiè exhilarasset, armil-

armillam auream præmium meruerat. Ea indutus dextra, sinistram in tergum retorsit. Rogatus quid sibi vellet nouus incessus, respondit, erubescere sinistram, quòd in conspectu ditatæ germanæ prodire non auderet. Crantzius Daniæ lib. 1. cap. 16.

XXXIII. *Simulata lubentia displicet.*

IOnes, atque Æoles vbi audierunt Lydos citrà negotium à Persis victos, Legatos Sardis miserunt ad Cyrum, volentes ijsdem conditionibus stare, quibus & Cœso fuerant subiecti. Verùm Cyrus ad eorum postulata per huiusmodi similitudinem, atque apologum respondit. Tibicen quidam vbi pisces in mari conspexisset, canere tibia cœpit, ratus nimirum eos ad cantus suauitatem in terram progressuros: at spe sua frustratus, misso in mare verriculo, ingentem piscium vim complexus est, traxitque. Et cum palpitantes cerneret in sicco, dixit ad pisces. Temperate nunc mihi, quæso, à saltationibus, quando non libuit vobis me canente saliendo progredi. Quæ verba Cyrus Ionibus, Æolibusque ideo dixit, quod Iones prius ipso Cyro per legatos ad amicitiam inuitante, & flagitante vt à Crœso rebellarent, constanter recusauerant: ac tum demum rebus confectis parati essent Cyri imperata facere. Herodot. lib. 1.

XXXIV. *Rex nullius frugi.*

WEnceslaus cognomento ignauus, Bohemiæ rex, & Imp. nascentem, & crescentem Ioannis Hussi hæresin per Bohemiam nō modo non compescuit, sed questus sui causa aluit, & fouit etiam, cum diceret, illum anserem (hoc enim sonat Bohemis nomen Huss) sibi aurea oua parere. Cromerus rerum Polon. lib. 16. Hūc tandem Principes propter socordiam, licentiamque vitæ, & morum intolerandam imperio cum exuissent, & ciuitates imperij sacramentum dicere successori iuberentur, soli Norimbergenses pertinaciter Wenceslao cohærebant. Cumque grauius vrgerentur, missis oratoribus eius sententiam requisierunt, offerentes aureorum XX. millia, si eos absolueret. Qui contempto auro illos mox absoluit, iubens vt optimi vini Rhenani aliquot plaustra sibi mitterent. Crantzius Wandaliæ lib. 10. cap. 1.

XXXV. *In hæreticos.*

CVIusdam eruditi, lib. de Trinit. & Mediatore Petrum Lombardum laudantis hoc est facetè dictum. Plus valet vnus Petrus Lombardus, quam centum Lutheri, ducenti Melanchthones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, & quingenti Caluini. Qui omnes si in mortario cōtunderentur, non exprimeretur vna vncia veræ theologiæ, præsertim in articulis de Trinitate, incarnatione, mediatore, & sacramentis.

XXXVI

XXXVI. *Coniuges discordes.*

VIduus viduam duxerat. Inter eos cum in prandio iurgium extitisset, mulier per contemptum semissem appositarum carnium pauperi cum his verbis porrexit; hoc tibi in gratiam prioris mariti mei do. Tum maritus eidem alterum dimidium dedit, adijciens; & ego in gratiam prioris meæ vxoris hanc tibi partem do. Ita relictus est illis tantum siccus panis. Ex Tympij Sympos. quæst.

XXXVII. *Longus & stupidus: paruus & sollers.*

VIdemus homines proceros, & statura prælongos plerumque parum sapere. Nam superiores cellarum ædium partes nō solent habitari, vt respondit cata mulier. Significans videlicet, eorum cucurbitas, seu capita cerebro esse vacua. Contrà plerumque innati spiritus vis in paruo, aut minore corpore collectior, & paruæ compaginis membra aptissimè regens, menti reliquum robur, addit. Ex ijsdem. *Nulla in tam magno corpore mica salis.* Catull. Vide adag. Caliga Maximini.

XXXVIII. *Facilius ferro quàm pecuniæ resistitur.*

IVreconsultus oblatum sibi cuiusdam causæ nō ita bonæ patrocinium recusauit, nec precibus ad eius defensionem adduci potuit. Verùm cum

prouolutus quod petierat impetrauit. Ob hanc indignam philosopho humilitatem reprehensus respondit, Culpam hanc non suam esse, sed Regis, qui aures in pedibus haberet. Ex Tymp.

XLIII. *Ante cladem paci consulendum.*

DEmades, auctore Plutarcho, dicere solebat, Athenienses nunquam decernere pacem, nisi pullis vestibus indutos: innuens eos bellandi cupidiores, quàm sat esset: neo nisi clade suorum admonitos de pace cogitare. In parœmia, Serò sapiunt Phryges, Chiliadum scriptor.

XLIV. *Etiam bos ad lyram.*

ERat Cleon quidam, cui nomen inditum Boui. Is cum scitè caneret voce, cæterùm lyra non æquè bene vteretur, Stratonicus vbi canentem audiuit, Olim, inquit, asinus ad lyram dictus est, nunc verò bos ad lyram. Athenæus lib. 8.

XLV. *Fatalis aper Diocletiani.*

DRuyas mulier fatidica Diocletiano adhuc militanti prædixerat Imperatorem futurũ, cum Aprum occidisset. Ille apros studiosè in venatu sectari, & occidere cœpit. Sed cum non affulgeret vsquam imperij spes, dicere solitus est, Ego quidem apros occido, verùm alius fruitur pulpamento. Sed aliud volebat ænigma. Nam postquam Numerianus Imp. factione Arrij A-

pri soceri sui est interemptus, re inter milites vulgata, illi Diocletianũ vindicẽ crearunt, & Augustũ salutarunt. Qui pro concione, quo mulieris dictum expleret, Aprum manu sua confodit, addens illud Maronianũ, *Ænea magni dextra cadis.*

XLVI. *Angustè, & duabus sellis sedere.*

LAberius mimus in senatum à Cæsare lectus, cum à Cicerone ad consessum non reciperetur, dicente, Reciperem te, nisi angustè sederemus, nimis mordaciter respondit, Atqui solebas duabus sellis sedere: objiciens tanto viro lubricum fidei. Sed id quod Cicero dixit, nisi angustè sederemus, scomma erat in Cæsarem, qui in senatum passim tam multos admittebat, vt eos quatuordecim gradus capere non possent. Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 3.

XLVII. *Ebrij, ut amantes, cæcutiũt.*

AThenæus lib. 10. refert Anacharsidis dictũ, ὅτι ψευδεῖς δόξαι τοῖς μεθύουσι γίγνονται, id est, quòd falsæ opiniones accidunt temulentis. Ac mox narrat quiddam haud infestiuum. Quidam è conuiuis dixerat Anacharsidi, Vxorem duxisti admodũ deformem. At ille. Prorsus, inquit, idem mihi videtur. Sed heus puer, porrige poculum meracius, vt illam faciam formosam. Non solum enim amanti, verum etiam ebrio τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται, quemadmodum dixit Theocritus.

XLVIII *Deus supplices in eodem partim audit, partim exaudit.*

ACHilles pro Patroclo amicissimo suo suis armis prælium inituro duo quędã rogat Iliad. Π. alterum, vt cum laude pugnet; alterũ vt peracta pugna referat arma, incolumis & ipse. Quorum alterum annuit Iupiter, nempe vt fortissimè pugnaret. Cæterùm Achillis arma non retulit, nec incolumis redijt, interfectus nimirum, & spoliatus ab Hectore. Quamobrem ait Homerus,

Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε.

Annuit hoc illi diuûm pater, abnuit illud.

Festiuiter abusus est hoc carmine Stratonicus citharœdus. Qui cum audisset quendam cithara haud bene canẽtem, subiecit hunc Homeri versum. Ac mox alio quodam rogante cur ita diceret: Quoniam, inquit, male canere cithara huic dedit Iupiter; cæterùm bene canere abnuit. Chiliastes ex Athenæi lib.8. Hunc iocum & in 1. parte possuimus, sed breuiter.

XLIX. *Quomodo mulier viro nobilior.*

CVm mulier quædam meretrix, ac proinde impudens Ephraimo sancto viro in angusto admodum loco facta obuia, siue consultò, veluti hominem tentatura, siue ab aliis vt hoc faceret mercede conducta, oculos sine intermissione in eum conijceret, ille increpans, terram intueri iussit. Tum illa, Æquius est te terram intueri, ex qua conditus ęs, cum ego ex te orta, ac proinde nobilior sim. Quod mulieris verbum

ille admiratus, deinde in scripta retulit. Niceph. lib. 9. cap. 16. Ambrosius de Institut. virginis. Simul illud considerandum, quia ille (Adam) de terra factus, & limo est: ista (Eua) de viro. Et caro quidem limus; sed ille adhuc informis, iste informatus.

L. *Æquanimitas.*

IDem Ephraimus cum dies multos ieiunio transegisset, & minister tandem cibum ei afferret, accidit vt is ollam frangeret. Quem pudore, ac timore iuxta correptum videns, bono, inquit, esto animo. Quandoquidem enim obsonium ad nos accedere renuit, nos age ad id accedamus: & ad ollæ fragmenta considens comedit. Idem ibid.

LI. *Turdus macer bifariam mittitur.*

CVrtius Eques Rom. mollis, ac stomachosus homo, cum ei ad mensam Cæsaris forte macer turdus obuenisset, quæsiuit, nunquid mittere liceret. Quid ni? inquit Cæsar. Non exspectauit ille amplius, protinusque per fenestram turdum misit. Iocus est in verbo mittere, quod & sportulæ missionem, & abiectionem significat. Petrarcha.

LII. *Doctor ementitus.*

QVidam se pro Doctore venditabat: qui cum nescio quid negotij apud Prætorem haberet, & ab eo sui exiguam duci rationem videret,

Domine Prętor ait, paulo tamen reuerentius agi mecum, vt cum Doctore, oportebat. Tum Prætor, quo tandem in studio Titulum hunc es adeptus? Respondit ille. Sanè haud recordor: domi tamen testimonium Academicum Doctoratus mei habeo, quod, cum tibi placuerit ostendam. Ex Italico.

LIII. *Stropha in ouo.*

DVo in cauponam diuerterant. Eorum alter cum ouum aperuisset, pullum prope iam perfectum reperit. Cui socius, actutum deuora, ne si caupo animaduerterit, duplum, aut triplum te cogat soluere. Paruit. Ponitur ratio, & exigitur collecta pro prandio. Tum suasor ille socio in aurem dicere: frater, ne grauere etiam pro me soluere. Ni faxis, dicam cauponi de pullo quem pro ouo absumpsisti, & solues largius. Ex Italico.

LIV. *Amant alterna Camœnæ.*

LEo X. Pont. Max. ad mensam sæpius eiusmodi oblectamentis vtebatur, quæ fatigatū curis animum non tam dapibus, cum esset debiliori stomacho, quàm iucundis, & facetis sermonibus, ac dictis recrearent, & plerumq; versibus ex tempore cum Camillo Querno, qui se Archipoetam iactabat, certare consueuerat. Aliquando cum Quernus ex podagra male habens mensæ astaret, & ex præscripto bina saltem carmina, tributi nomine persoluere cogeretur, hoc hexametrum effudit, *Archipoeta facit versus pro* *mille*

mille poetis. Hæsitanti deinde, Leo inexspectatà festiuum hoc pentametrum mox subiecit, *Et pro mille aliis Archipoeta bibit.* Ibi cum Quernus se colligens inferret, *Porrige quod faciat mihi carmina docta Falernum*, Leo repente ex catalectis Virgilianis adiecit, *Hoc etiam eneruat, debilitatq́ pedes.* Ex Elogijs Iouij.

LV. *Nilus fluuius irrisus.*

CVm aliquando derepente Nilus ita adauctus esset, vt altiora etiam loca inundaret, veriti sunt Ægyptij ne Alexandriam vrbem, & Libyæ potiorem partem exundatione sua obrueret. Quo tempore fama est Græcæ superstitionis homines Alexandriæ casu tam inopinato adductos ita amni illusisse, vt in theatris etiam, & spectaculis exclamarent, fluuium eum vt decrepitũ, & delirum postremùm iam eminxisse. Niceph. lib. 12. cap. 37.

LVI. *Sphynx Hortensij.*

ADagium est apud Iunium cent. 5. Sphyngis ænigmata dissoluit, in eum, qui insigni dexteritate recondita auctorum sensa, & tenebrosos locos possit explanare. Huc spectat vrbanus Ciceronis iocus in Hortensium. Nam cum is diceret, se Ciceronis ænigmata intelligere, Atqui debes, inquit ille, cum Sphyngem domi habeas: acceperat enim à Verre auream Sphyngem Hortensius, patrocinij præmium, vti refert Quintilianus. Sphyngis apud Thebas ænigma de eodem

animali primum quadrupede, post bipede, tandem tripede proponētis historia vel paulùm litteratis notissima est.

LVII. *Ingurgitès, & helluones.*

MArullus Mimographus in parasitum gulæ mancipium dixit, Hectorem imitaris, ab Ilio nunquam recedis. Allusum est ad Ilij, quo Troia censetur, nomen ambiguum, cum ili intestino, per quod cibus receptus delabitur. Iunius cent. 8. prouerb. 7.

LVIII. *Consulatus Caninij* μονοήμερος.

CAninius vno die consul fuit. Rostra cum ascendisset, pariter honorem inijt consulatus, & eierauit: quod Cic. omni gaudens occasione vrbanitatis increpuit, λογοθεώρητος est Caninius Consul. (hoc est, interprete Lamb. ita breuis ac tenuis fuit eius consulatus, vt vix oculis cerni potuerit, sed tantum ratione, & intelligentia comprehenderetur.) Et deinde, Hoc consecutus est Caninius Reuilius, vt quæreretur quibus consulibus consul fuerit. Dicere præterea non destitit, Vigilantem habemus Consulem Caninium, qui in consulatu suo somnum non vidit. Hæc Macrob. Saturnal. 2. cap. 3.

De hoc Caninio ipsemet Cic. ep. 30. lib. 7. Ille autem, qui tributis comitijs esset auspicatus, centuriata habuit: consulem hora septima renun-

tiauit,

tiauit, qui vsque ad Kalend. Ian. esset: quæ erant futuræ mane postridie. Ita Caninio consule scito neminem prandisse. Nihil tamen eo Consule mali factum est: fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit. Vide Pauli Manut. Comment.

LIX. *Epicurus falsò laudatus.*

LVcretius secta Epicureus, & huius insani sapientis magnus admirator ac prædicator, cũ ita de eo scripsit lib. 3.

Qui genus humanum ingenio superauit, & omnes
Præstinxit stellas, exortus vt ætherius sol.

Leonis laudibus murem non ornauit, sed obtriuit, inquit Lactantius lib. 3. Quanto magis hoc dicat Firmianus de illis versibus, qui initio eiusdem lib. 3. leguntur, quos propter summam venustatem, & suauitatem adscribere non pigebit.

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti, inlustrans commoda vitæ,
Te sequor, ô Graiæ gentis dux, inq; tuis nunc
Fixa pedum pono pressis vestigia signis,
Non ita certandi cupidus, quam propter amorẽ
Quo te imitari aueo. Quid enim contendat hirundo
Cygnis? aut quidnam tremulis facere artubus hœdi
Consimile in cursu possunt, ac fortis equi vis?

Tu

Tu pater, & rerum inuentor: tu patria nobis
Suppeditas praecepta, tuisq; ex inclute chartis,
Floriferis vt apes in saltibus omnia limant:
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea perpetua semper dignissima vita.

LX. *Saturio parasitus in Persa Plauti.*

VEterem atq; antiquum quaestum meum alimonia
Seruo, atq; obtineo, & cum magna cura colo.
Nam nunquam quisquam meorum maiorum fuit,
Quin parasitando pauerint ventres suos:
Pater, auos, proauos, abauos, atauos, tritauos
Quasi mures semper edere alienum cibum:
Neque edacitate eos quisquam poterat vincere.
His cognomentum erat duris capitonibus.
Vnde hunc ego quaestum obtineo, & malorum locum.

LXI. *Alexander in sua diuinitate ludibrium.*

ANaxarchus Eudaemonicus ridebat Alexandrum, quod seipsum deum faceret. Cum autem aliquando in morbum incidisset, & ei medicus sorbitionem imperaret fieri, ridens Anaxarchus, At nostro deo, inquit, in cochlearis sorbitione spes sita est. Ælian. lib. 9. cap. 37. Qui Reges, & quare se deos pronunciarēt, item qui priuati hoc nomen captauerint, demonstrat Clem. Alexand. Exhortat. ad gentes.

LXII.

LXII. *In hostium paucitatem.*

TIgranes Armeniæ rex, Mithridatis gener cũ exercitu ferme C C. M. peditũ, & equitum L. M. contra Lucullũ proficiscens, exiguas eiusdem copias conspicatus, si legati sunt hi, inquit, nimis multi: si hostes, nimis pauci. Appianus in Mithridaticis, Xiphilin. in Pompeio.

LXIII. *Ex lacero cultu affectatus honos.*

CVm Antisthenes Cynicus pallium haberet pertusum, idquè obuertens fissuram omnibus daret inspiciendam, Per fissuram, inquit Socrates, pallij tui video inanitatem tuam. Lib. 3. Apophtheg.

LXIV. *Albidius proteruiam fecit.*

ALbidius ciuis Rom. bona sua omnia abligurierat. Postremò domus quæ supererat incendio absumpta est. Quod cum accepisset Cato, iocabundus ait, Albidium fecisse proteruiã. Id erat sacrificij genus, in quo mos, vt si quid ex epulis superfuisset, id igne consumeretur. Carpsit Cato hominis ingluuiem. Patricius de Repub. lib. 5. cap. 8.

LXV. *In ingratum.*

QVidam beneficijs in se collatis nec agendis nec referendis gratijs vnquam respondebat, in quem hoc disticho eleganter lusit Muretus, Annotat. in Senecam.

Παρθένοι αἱ παρά σοι Χάριτες, τίκτουσι γὰρ οὐδέν.
αὐτὰς ἐγὼ στείρας οὐκ ἄγαμαι χάριτας.



Virgo tibi Charis est, quia fœtum non dedit vnquam.
Caeterùm ego steriles non veneror Charitas.

LXVI. *Vide quid tecum loquare.*

CRates cum vidisset adolescentem in secretò ambulantem, interrogauit, quid illic solus faceret. Mecum, inquit, loquor. Cui Crates, caue, quæso, ne cum homine malo loquaris. Seneca epist. 10.

LXVII. *Parua vrbs, magna porta.*

DIogenes Myndum profectus, cum videret portas ingentes & magnificas, vrbem verò modicam, Viri Myndij, inquit, portas claudite, ne vrbs vestra egrediatur. Laert. lib. 6.

LXVIII. *Interdum prius consulendum bestijs.*

PHilippus rex cum in regione amœna admodum castra ponere pararet, nuntiareturque illic iumentis fœnum deesse, O dij, inquit, qualis est hæc vita nostra? quam etiam ad asinorum commoditatem instituere cogimur. Plut. Num seni gerenda Respub.

LXIX. *Salsa responsa Augusti.*

CVm ei vellent Alexandrini corpora etiam Ptolemæorum ostendere (Alexandri enim viderat, & contrectarat) Regem, ait, cupiui, non mortuos videre. Qua de causa Apin quoq;

adire noluit, quod se deos adorare, non boues consuesse diceret, Xiphilin.

LXX. *Alexand. Imp. delectabatur pomis.*

POmis vehementer indulsit: ita vt secunda mensa illi sæpius poneretur, vt iocus extiterit, non secundam mensam Alexandrum habere, sed secundò. Lamprid.

LXXI. *Par pari, quod eum mordeat.*

VOlogesus ad Vespasianum Imp. scribens sic cœpit. Rex Regum Arsaces (commune nomen Parthorum Regibus, vt Ptolemęus Ægyptijs, & alia alijs) Flauio Vespasiano salutem. Hoc ne reprehendit quidem; sed ei ijsdem verbis rescripsit tacito Regis nomine. Flauius Vespasianus Vologeso salutem. Nec enim tantum iocabatur, verum etiam iocosè se ludi libenter patiebatur. Xiphilin.

LXXII. *Magnetes, & magnates conueniunt.*

CVncta trahunt ad se Magnates aurea, sicut
Ad se Magnetes ferrea cuncta trahunt.

Aiunt etiam ipsum ferrum magneti affrictum trahere ad se aliud ferrum.

LXXIII. *Contemptus auspicij.*

P Claudius bello primo Punico per iocum deos irridens, cum cauea liberati pulli non

pascerent, mergi eos in aquam iussit inquiens: si nolunt esse, bibant. Cic.2.de nat. deor.

LXXIV. *Prælatus pueri ludibrium.*

VIr Ecclesiasticus in magna dignitate, mulo insidens iter agebat. Fit ei obuius puer rusticanus, vt videbatur. Is consistere, equitantem curiosius spectare, & obtutu defixus in vno hærere. Cui Prælatus, Quid, curiose puer, quid me tam fixè aspectas? Nunquam ne quenquam mulo inequitantem vidisti? Hîc puer ingenium cum lingua in promptu habens, Vidi equidem: sed mulum mulo inequitantem nondum videram. Momordit virum iocus salsissimus, à dentato puero.

LXXV. *Antigonus Rex unoculus.*

ANtigonus ipsus in oculum suum amissum iocabatur. Et aliquando oblato edicto, quod magnis erat perscriptum litteris, Vel cœcus, aiebat, hæc legere posset. Theocritum autem Chium interfecit, quod quum ei pollicerentur amici, fore omnia ipsius salua, vbi ante oculos Regis peruenisset, responderat, Omnẽ ergo sibi salutis spem esse ademptam. Plutarch. Sympoſiacῶν 2. q.1.

LXXVI. *Simulata vituperatio.*

ELegans dicterium fit, cum vituperationi gratiarum actio adijcitur. Laco gymnasij præfecto, qui ligna non fumantia præbuerat, id

ſe vitio dare ſimulans, Horum cauſa, inquit, apud vos non licuit lacrymare. Sic ille qui conuiuium quotidie præbentem plagiarium vocabat, & tyrannum, per quem totannis ſuam non vidiſſet menſam. Et qui factus è paupere diues à rege, per inſidias ſibi aiebat otium, & ſomnum eſſe erepta. Ibid.

LXXVII. *Reges non decet excellere in Muſicis.*

PSalten cum Rex Philippus reprehendere de quibusdam modis, & harmonijs vellet, Abſit, aiebat, ô rex, vt tam male tecum agatur, vti iſthæc melius me noris. Hic dum videretur ſeipſum mordere, regem citra moleſtiam caſtigauit.

LXXVIII. *In Imperatorem malè corrigentem.*

PHauorinus philoſophus, cum in vocabulo, quo idonei auctores vterentur, reprehendenti Adriano Imp. conceſſiſſet, amicis eum ob id accuſantibus, malè mihi ſuadetis, inquit, ne feram me illo doctiorem haberi, qui habet xxx. legiones.

LXXIX. *In Oratorem loquacem.*

THeodorus Chius apud Stobæum in Anaximenem oratorem. ἀρχὴ μὲν λέξεων ποταμός, νοῦ δὲ σταλαγμός. Incipit verborum quidem flumen, ſed mentis gutta.

LXXX.

LXXX. Βιοῦν, καὶ ζῆν.

Similis Præfectus Prætorio Afadriani tale sibi mortuo elogium, seu epitaphium scribi voluit, in quo est ex ambiguitate verborum quiddam leporis. Σίμιλις ἐνταῦθα κεῖται, βιοὺς μὲν ἔτη τόσα, ζήσας δὲ ἔτη ἑπτά. Similis hic situs est, qui vixit annos tot, iucunde autem vixit annos septẽ. Nam βιοῦν dicitur qui quocunque modo viuit, ζῆν autem qui vitam agit voluptariam. Marsilius in Persij sat. I. Dicebantur & εὖ ζῆν bene viuere, qui voluptatibus fruebantur. Vnde illa, *Vos sapere, & solos aio bene viuere.* Et, *Vixit, dum vixit, bene* Et, *Si bene qui cœnat bene viuit.* Muret. in I. de Rep. Plat.

LXXXI. *Budæus* αὐτοδίδακτος.

Sed sic fuit fatum meum, inquit lib. 2. de Asse, vt mihi tantùm, & libris operam satis multã, Præceptoribus longè rariorem, quàm tonsoribus dederim.

LXXXII. *Senectus appropinquat ad mortem.*

Demonacti seni crura intumuerãt. Quidam videns, quid hoc mali est Demonax? Charon, inquit, me momordit. Pro cane Charontem dixit, innuens senectutem morti propinquam. In Apophtheg.

LXXXIII. *In ebriosum poetam.*

EBri' ad numeros, pangendaq; carmina surgis,
Nec bene, ni potes esse poeta potes.
Quid mirum? nam quæ plena inter pocula ructas
Ebrius, hæc Bacchi carmina, non tua sunt.
Et miramur adhuc, quòd tali nata parente
Carmina suspensis non egeant hederis?

LXXXIV. *Germani epitaphium Senis.*

VIna dedere neci Germanum: vina sepulchro
Funde: sitim nondum finiit atra dies.

EX EPIGRAMMATIS BERNARDI BAVHVSII, Societatis IESV.

LXXXV. *Patria viri fortis.*

OMne solum forti patria est: fortem excipe nautam.
Pontiuagis nautis omne salum patria est.

LXXXVI. *Medicus.*

REs misera Medicus est, cui nunquã bene est,
Nisi male sit quam plurimis.

LXXXVII. *Quibus verbera.*

NVx, asinus, cãpana, piger sine verbere cessant:
Hæc dura, hic tardus, hæc tacet, ille iacet.
Sed simul vt ferri plagam sensere, vel ulmi,
Hæc cadit, hic pergit, hæc sonat, ille studet.

LXXXVIII. *In Othonem præpostere ientantem, & cænantem.*

Mane

MAne vorat pullos, vix ouo vespere cœnat.
Mane ergo cœnat, vespere ientat Otho.

LXXXIX. *In studiosum rerum nouarum.*

NVm qua mira habeam, num qua noua que tibi narrem
Vsque rogas: stulta est hac tibi in aure sitis.
Hac mea mira, noua hac mea sunt, qua narro libenter.
Factus homo deus est, factaq; Virgo parens.

XC. *In Hermetem Rhetorem.*

BAlbus, & imbellis, vacuũ, & sine Pallade pectus
Orare iussus Rhetor Hermes,
Vix primum Quanquam, vix dixerat Auditores,
Os perdidit memoremq; mentem.
It cælo risus. Quid rides turba proterua?
Respondit exspectationi.

XCI. *Iosephus Scalig. qualis canis.*

IN Iosephum Burdonem, Scaligerum se mentientem, & de Cane Magno Scalig. in stemmate suo gloriantem Schopp. in Hypoboli meo falsissimè. An verò molossum, venaticum, aut pecuarium aliquem præfers? Quidquid tamen est, cum te non minus impurum, quam mordacem optimi, & doctissimi cuiusque virtutes allacrare, & promiscuè omnes, vt in quemque incideris

non aceto Italo perfundere, sed cynico lotio permeiere te video, facile ijs assentior, qui te Cerbero, Ditis patris delitijs oriundum suspicantur.

XCII. *Obæratissimus.*

CAutum fuit apud Romanos, ne quod mali ominis verbum Calend. Ianuarijs efferretur, id enim annum infælicem portendere putabatur. Igitur Mæuius quidam, vt scribit Porphyrio, Calend. Ianuarij alta voce optauit, vt quinquaginta millia nummûm alieni æris haberet. Cumque admiratus quidam astantium quæsiuisset, quid hoc sibi vellet, quod tam sollemni die sibimet optaret incommodum, respondit Mæuius; non est quod mireris: octingenta enim millia debeo.



SYNTAGMA QVINTVM. MISCELLA.

I. *Narratiuncularum congeries, ex probatis scriptoribus.*

I. CAligula Virgilium affirmabat nullius esse ingenij, minimæque doctrinæ, Liuium verborum negligentem

gentem, Senecæ dictionem arenam sine calce. *Mitto portenti huius in duos priores manifestam contumeliam : de tertio bene pronuntiauit. Nam oratio Seneca dissoluta, intercisa, fluctuans, sine numeris, & nihil minus quam oratoria est : vt explodendi sint, qui filum illud sectantes, videri oratores volunt.* II. Maxentius Tyrannus contra Constantinum habuit in exercitu peditúm CLX. equitum XVIII. millia. Sed cæsus cognouit *Altissimum potestatem habere in regno hominum : & quemcunque voluerit, suscitare super istud*, vt à Daniele scriptum est. III. Diocletianus Salonæ in Dalmatia hausto veneno moritur, anno ætatis 73. imperauit 20. penultimo instituit persequi Christianos. Egit priuatus 9. Singularia ei duo contigerunt. Vltro se imperio abdicauit, & in proposito ad mortem vsque permansit: & priuatus relatus est in deos. IV. Inter philosophos Antisthenes, inter Impp. primus barbam aluit Hadrian. V. Alexand. Seuerus nullam constitutionem faciebat, nisi 20. Iureconsultis adhibitis, cum quidem singulorum sententias scribi, ac disputari vellet. VI. Belisarius Iustiniani dux, qui Persas in Oriente, Vandalos in Africa, Gothos in Italia deuicit, cum miles cuidam rapuisset auē domesticam, & ille clamorē tumultuarium tolleret, molestè id ferens, militem agi in crucem iussit. VII. A Philippo ebrio ad sobrium prouocauit muliercula. VIII. Callimachus sculptor, & picto egregius, operum suorum gratiam ni-

mia diligentia obſcurabat. Quocirca vulgò ſui ipſius calumniator dicebatur, cum non intelligeret quid ſatis eſſet. Eloquentiæ candidati audiant Quintilianum lib. 10. cap. 3. & diſcant vitare anxiam nimis in ſcribendo curam, ac diligentiam. *Sunt autem quibus nihil ſit ſatis: omnia mutare, omnia aliter dicere, quam occurrit, velint: increduli quidam, & de ingenio ſuo peſſimè meriti, qui diligentiam putant, facere ſibi ſcribendi difficultatem. Nec promptum eſt dicere, vtros peccare validius putem, quibus omnia ſua placent, an quibus nihil. Curandum eſt vt quam optimè dicamus: dicendum tamen pro facultate. Ad profectum enim opus eſt ſtudio, non indignatione.* IX. Amphimanes obtrectator fuit Pindari, vt Zoilus Homeri, Heſiodi Cercops, Virgilij Mæuius. Ipſe Pindarus Myrtidis etiam mulieris in Lyricis, & carmine diſcipulus; adeo φιλομοῦσος, & φιλομαθὴς fuit. Ciceroni obtrectauit olim Aſinius Gallus, Pollionis filius, verba ſingula, vt nec propria, nec latina inſectatus, edito libro, cui titulus nefarius, Ciceromaſtix. Hadrianus Ennium Virgilio, Catonem Ciceroni, Cæcilium Salluſtio prætulit. De Homero abolendo cogitauit, voluitque pro eo Antimachum inducere. *O ſummam iudicis vel ignorantiam, vel inuidiam, vel ſtultitiam, vel inſaniam. Patrum memoria in Ciceronem ſpicula contorſit Eraſmus. Patet id clarè ex Ciceroniano, vt appellauit, Dialogo, pleno impudentiſſimis contra Ciceronis imitatores mendacijs, & maledictis.*

Ad quæ magnam ab ingenio facilitatem, à studio magnam facultatem habuit. X. Auicenna primus cocturam sacchari ex cannis expressi, quale ad nos affertur docuit, & vsum rheubarbari demonstrauit. XI. Henricus VIII. Rex Angliæ Carolo V. cuius materteram Catharinã habebat in matrimonio, aduersus Franciscum Regem Galliæ pro subsidio militari misit 400. milites, totidemque canes, collaribus aculeis ferreis ornatos, pro more gentis videlicet. XII. Mures ædes ruinosas trimestri spatio antequam corruant deserunt, & in tutiora migrant. Testis rei huius etiã Cic. ad Att. ep. 9. lib. 14. Sed quod quæris, quid arcessierim Chrysippum (architectum) tabernę mihi duæ corruerunt: reliquæ rimas agunt. Itaque non solum inquilini, sed mures etiam migrauerunt. Facetè Passeratius præfat. in Curculionem. Vt mures præsentientes ædium ruinam fugiunt: sic parasiti eos deserunt, quos res deserit: sicut pediculi moribundos. Bene comparauit hoc hominum genus muribus. Nam & Ergasilus parasitus in Captiuis de se ac natione sua, *Quasi mures semper edimus alienum cibum.* XIII. Athenienses puerum, qui omnibus quas capiebat, aut nancisci poterat auibus oculos eruebat, & sic dimittebat, occiderunt, quod hoc esset crudelissimi hominis præsagium. XIV. Nationibus etiam barbaris dei nomen τετραγράμματον. XV. Pythagoræ verba planè legum similia, erant breuissima, & concisa: actiones contra prolixæ.

ac

ac perpetuæ; vt quæ nec noctu, nec interdiu animum remitterent, aut otiosum esse finerent. XVI. Prodigia Iul. Cæsar ita semper despexit, vt nunquam ab vllo incœpto prodigijs quantumlibet aduersis absterritus, aut retardatus sit. Vnũ amplexus est, de equo humanis prope pedibus apud se nato, vngulis nimirum in digitorum figuram fissis. Ei enim orbis terrarum imperium portendi aruspices responderunt, apud quem talis equus esset editus. Eum ingenti cura aluit: nec alterius sessoris patientem primus ascendit. Sueton. cap. 61. Propter immoderatam imperãdi cupiditatem, & ambitionem intolerandam iure cæsus est existimatus. *Qui potestatem sibi assumit iniustè, odietur*, inquit Syracides cap. 20. XVII. Lacedæmones spectacula comœdiarum fæminis interdixerunt. XVIII. Lucianus scripsit, quem Iupiter oderit, eum facere prædagogum. Extat oratio Philippi de miserijs Prædagogorũ, cuius pater Georgius Schwartzerd noctibus ad preces surgebat. Itaque rosa spinam protulit, & pius pater impium filium, hostem Ecclesiæ Catholicæ. XIX. Lacedæmonij Ctesiphontem sua repub. eiecerunt, quod se de re qualibet totum diem posse dicere iactaret: detestantes arrogantiam videlicet. Qualis fuit & Georgiæ Leontini in suo προβάλλεσθε proponite; quauis enim de re disserere paratum iactabat. XX. Galenum ignarum anatomiæ deprehendit Vesalius Caroli V. medicus: quia simias, & porcellos (quorum est

magna

magna intus cum humanis visceribus similitudo) tantum secuit, & inspexit. Medici veteres ab anatomia corporis humani, vt à re fœda, & crudeli abhorrebant. Vide Celsum, lib.1.in proœmio, vbi pro Empiricis contra Rationales copiosè disputatur. XXI. Franciscus Rex Galliæ Petrum Gillium in Græciam, & Asiam legauit, vt Græcorum auctorum manu exaratos codices vndique pretio conquireret, & in Galliam apportaret. Laurentius quoque Medices missis per vniuersum orbem terrarum certis hominibus, in omni disciplinarum genere libros summo studio conquisiuit, nulli parcens sumptui. Testis Politian.lib.2.epistol. Hinc Bibliothecæ Florentinæ tantum nomen. XXII. *Iulius Scaliger, cuius iudicium quidam nimis suspiciunt, in censura poetarum, mortuorum nullum, modò eius ferantur scripta, præterire voluit. Catullo Mutium Aurelium confort, & præfert. Quis tam pinguis cui persuadeat? Taceo de distichis Verini Michaelis adolescentis, ac pæne pueri cui nullam à se castigationē, sed summam ab omnibus eruditis laudem deberi autumat, cum tamen meliores versus facere doceat Ouidium, Horatium, Iouianum, & alios, poetas maximi census.* XXIII. Politianus sacerdos, & ecclesiasticus; immo & ecclesiastes, seu concionator fuit, ni fallor. Herodianū suum fatetur habere errata interpretis plura quàm librarij. Pro eo in latinum translato, & sibi dicato Innocentius VIII. pro honorario donauit ei ducentos

aureos

aureos, pro tantillo libello tantum pretium. Idē scribit, Nihil sibi esse magis in votis, quam vt vel vmbram Ciceronis assequatur. Idem tamen paulo ante; in epistolarum stylo silendum prorsus de Cicerone, in quibus ipsa negligentia pro cultu sit; vt frustra tot eruditi homines de componendis epistolis Commentarios conscripsisse illi videantur. XXIV. Didius Iulian. Imp. porcellum, leporemue ad se dono missum in triduanas partiebatur cœnas. Sæpe etiam cum nulla religio, aut abstinendi caussa subesset, leguminibus, oleribusque solis contentus cœnabat. Vides, puto, sordes, & auaritiam: cui vitio dedita quoque Mammæa Alexandri Seueri mater, quæ reliquias ciborum in alteram cœnam sibi reseruari iubebat. XXV. Demosthenem quis est qui non sciat semper ante speculum, quasi ante magistratum caussas meditatum? (actionem, in qua tota erat vitiosus.) Ita ille summus orator, cum à Platone philosopho facundiam hausisset, ab Eubulide Dialectico argumentationes didicisset, nouissimam pronuntiandi congruentiam à speculo petiuit. XXVI, Plautus ab inuidia, & à sibilo intactus semper è theatro discessit: in vtroq; acerbiore, & iniquiore fato fuit Terentius. XXVII. Pyrrhus Rex Aquilam se cognominari voluit, Antiochus Accipitrem, Clytus ob demersas 3. vel 4. triremes Neptunū, Clearchus Heracleæ tyrannus Iouem, M. Anton. Triumuir Liberum patrem. XXVIII. Zepherinus Papa multis annis

pedibus

pedibus nudis ambulauit XXIX. Lactantius Crispi F. Constantini Præceptor, adeo pauper vixit, vt plerumque necessarijs egeret. XXX. Bibliothecam Vaticanam, seu Palatinam in Vaticano construxit Xystus IV. Pont. max. toto orbe celeberrimam, Præfecto Platina, aduectis ex omni Europa libris, certisque prouentibus, vnde custodes, & librarij Græci, Latini, & Hebraici menstrua salaria quibus ali possent, quibusque libri emerentur, assignatis. Opus omnium præclariss. & Pont. max. dignissimum. Onuphrius.

II. *Prudenter dicta.*

I. SCipio Africanus dixit, malle se vnum ciuem seruare, quàm multos hostes occidere. Plutarch. II. Socrates, Nullam inscitiam esse maiorem, quàm qua quis credit se scire quod nescit. *Hoc in hæresiarchas, & pseudoeuangelicos quadrat inprimis.* III. Biantis est, malle se inter inimicos, quàm amicos iudicare. Nam ex amicis, inquit, alterum inimicum: ex inimicis verò alterum amicum se habiturũ. IV. Tonstrinas Theophrastus vocauit ἄοινον μέθην, ebrietatem citra vinum: quod qui in ijs desiderent, varijs narrationibus, & confabulationibus quodammodo ebrij fierent. V. Cato dixit, Romanis orationem in corde, Græcis in ore, seu labijs nasci. Linguam illos moderari nosse: hos autem lingua nimium promptos indicare voluit. Meritò Bias, Nõ multa verba, prudentis animi indicium. VI. Traia-

nus Plinio rescripsit, satius esse impunitum facinus relinqui nocentis, quàm damnari innocentem. A quo facit auctor Homil. in Matthæum (quem putant nonnulli Chrysostomum) Homil. 2. Iustius est iniustum iustè (id est, sententia iudicis) euadere: quàm iustum iniustè perire. Quia etsi reus semel euaserit, demum potest perire: innocens autem si semel perierit, iam non potest reuocari. VII. Tiro libertus in patroni M. Tullij salibus colligendis (collegit autem libros tres) plura illius ingenio adimi, quàm addi posse iudicauit. VIII. Deus sentit omnia per subtilitatem, & mouet per fortitudinem, & regit per potestatem, & custodit per benignitatem. Salnian. de Prouid. lib. 1. Tanta est maiestatis sacræ, & tàm tremendæ reuerentia, vt non solum quæ citra religionem dicuntur horrere: sed etiam ea, quæ pro religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu, ac disciplina dicere debeamus. Idem ibid. IX. Nihil difficilius, quàm magno dolori paria verba reperire. Bonum insolitum plus amatur: & sequenti gaudio confert dulcedinem præmissa tristitia Cassiod. X. Nimia quorundam Criticorum in castigãdo prurigo, qui sub omni, quod aiunt, lapide scorpionem latere rati, etiam meridiana luce clariora sollicitant, nodum in scirpo quærentes. And. Schottus. Nullos patimur iudices iniquiores, quàm istos, qui nihil omnino edunt, ac ne docént quidem, velut inuidentes vtilitati publicæ; quasi ipsis pereat, quidquid

compe-

comperecint esse multis commune. Erasm. XI. Insitus nostri amor dulcem formæ nostræ aspectum nobis fecit: ideoque tenerrimo affectu ex liberis fouemus, qui proxima similitudine vultus nostros repræsentant. Idem. XII. Thomam Morum, quem inter sanctos Martyres iure veneramur, qui ex familiaritate, & scriptis eum optimè cognouerat, ita laudat. Cuius tanta est facundia, vt nihil non possit persuadere vel hosti. Nec arbitror (nisi me vehemens in illum fallit amor) vnquam naturam finxisse ingenium hoc vno præsentius, promptius, oculatius, argutius, breuiterq́; dotibus omnibus absolutius. Accedit lingua ingenio par: tum morum mira festiuitas, salis plurimum, sed candidi duntaxat, vt nihil in eo desideres, quod ad absolutũ pertineat patronum. XIII. Concludat nobis hoc caput sacræ, & Christianæ eloquentiæ parens Ioannes Chrysostomus, qui Homil. ad pop. Antiochen. XXII. In homine multas esse feras docet hunc in modum. Nec enim es homo, si clarè possum videre. Quum enim tanquam asinus recalcitres, lasciuias vt taurus, tanquam equus post mulieres hinnias, ventri velut vrsus indulgeas, & vt mulus carnem impingues, & malum memoria teneas vt camelus, rapias item vt lupus, & vt serpens irascaris, ferias vt scorpius, sis subdolus vt vulpes, nequitiam verò tanquam aspis, & ceu vipera venenum serues, & sicut ille malignus dæmon fratres impugnes, quomodo

te inter homines connumerare valeam, talis in te naturæ ſigna cum intuear?

III. *De noctua, & auibus Apologus.*

QVamobrem aues nec pulchritudinem pauonis contemplari gaudeant, nec ante lucanis luſciniæ, nec cygni, præſertim ſub mortem, cantibus afficiantur: ſed ad ſolam Noctuam aduolent, eam circumſiſtant, & impensè admirentur: quæ & Miueruæ dearum ſapientiſſimæ in amore ſit: quamque clariſſimus ſtatuarius Phidias ipſius ſimulacro addiderit, prudentiam, & præſenſionem eiusdem in poſterum cauſſam eſſe, Dio Chryſoſt. orat. 72. oſtendit ex Æſopo huiuſcemodi apologo: qui tamen, vt alij multi eidem tributi, in vulgatis fabularum eius libellis non inuenitur.

Cum eſſet ſapiens Noctua, auibus conſilium dedit, ne quercum ab initio ſinerent creſcere, ſed eam omni ratione perderent. Fore enim vt ex ea pharmacum ineuitabile naſceretur, quo comprehenderentur, viſcum ſcilicet. Rurſum cum homines linum ſererent, iuſſit illius ſemen erutum deuorare: neque ipſis enim ad bonum creſcere: ex lino enim retia texuntur. Præterea videns hominem quendam ſagittatorem, prædixit. Ille homo veſtris vos pennis anteuertet, pedes ipſe vobis alatas immittens ſagittas. Illæ verò his ſermonibus non credebant, ſed fatuam exiſtimabant, dicebantque malè ſanam eſſe: po-

ſtea

ftea expertæ admirabantur, & reuera ſapientiſſimam cenſebant: & propterea ſimul ac apparuerit accedunt, tanquam ad eam quæ norit omnia.

Monet fabula, in conſilijs capiundis, audiendisque ſuaſoribus non quærendam perſonæ excellentiam, ſed reſpiciendum ad ſententiæ, & conſilij probabilitatem, vndecunque illa proficiſcatur: cum certum ſit de infima quoque plebe reperiri interdum qui veritatem in occulto latentem lynceis oculis perſpiciant, & longè in poſterum prouideant. Quandoque & olitorem opportuna locutum ait Heſiodus. Oderunt potius noctuam reliquæ volucres. Cauſam fabuloſam adducit Ouid. 2. Metam. in fabula Nyctimenſes.

IV. *Mater filio litterarum ſtudioſo peregrè ægrotanti.*

Expreſſa maternitas.

Litteras tuas, Leonardule mi, abs te dictatas illas quidem, ſed aliena manu exaratas, pater mihi recitauit. Significabas te complures iam dieſè febribus valere peſſimè, & auxilia medicorum adhuc parum effeciſſe. Timeri de vita tua. Audiui hæc prorumpentibus vbertim lacrymis, meq; in luctum ac ſqualorem dedi: nec dolorem meum alleuare pater, & amici queunt. Inſanabile vtique manebit vulnus meum, niſi tu

vita, & lux mea in sanitatem restituare. Hem, cur te vnicum nostrum in terras adeo remotas misimus? Erant & domi scholæ haud nullius nominis, nec incelebres. Domi si in morbum incidisses, curæ fuisses domesticis omnibus, ac mihi imprimis diurnæ, nocturnæq; sollicitudini. Ego ad te visissem creberrimè. Ego tibi assedissem, & sermone dulci tædium morbi depulissem. Ego ipsa dapiculas conuenientes, & à medico præscriptas tibi coxissem. Ego omni crepitu, & strepitu te prohibuissem, & materna denique officia tibi omnia præstitissem. In malam rem cum istis occupationibus litterarijs, quibus confecti adolescentes multi diem suum ante diem obierunt, matribusq; mœrorem inconsolabilem reliquerunt. Ah me miseram si orbabor tam bono, tam morigero, tam multis à natura dotibus ornato filio. Suauissime fili, cura, & enitere quod in te est, vt breui nuntios de te lætiores accipiamus. Salui erimus, & commodè valebimus, si tibi melius factum cognouerimus. In te nobis sunt omnia. Cum primum autem te confirmaueris, ad nos domum appropera: vt tanquam à mortuis excitati conspectu, & complexu iucundissimè perfruamur. Certum hominem pater ad te destinabit, à quo res tuæ inspiciantur, & de ægrotatione tua certa nobis renuntientur. Vale vale dulcissime fili.

V. *Psyllorum interitus fabulosus.*

Psyllos

PSyllos Libyæ populos, vti Marsos, & Tintyros venena citra noxam tractasse, præter alios docet etiam Crinit. lib. 1. cap. 3. Sed de occasu Psyllorum fabulam haud inurbanam à Gellio lib. 16. cap. 11. ex Herodoti lib. 4. recitatam placitũ est huc adducere. Psyllos quondam fuisse ait in terra Africa, conterminos Nasamonibus, Austrũque in finibus eorum quodam in tempore perquam validum, ac diutinum flauisse. Eo flatu aquam omnem in locis quibus colebant, exaruisse. Psyllos re aquaria defectos, eam iniuriam grauiter Austro succensuisse: decretumq; fecisse, vti armis sumptis ad Austrum, perinde quasi ad hostem, iure belli res repetitum proficiscerentur. Atque ita profectis, ventum Austrum magno spiritus agmine venisse obuiam, eosque vniuersos cum omnibus copijs, armisq; cumulis, montibusq, arenarum superiectis operuisse. Eo facto Psyllos ad vnum omnes interijsse. Itáque eorum fines à Nasamonibus occupatos.

VI. *Pontifices, Maximi, Cardinales, Archipræsules, Episcopi ex Ordine S. Benedicti.*

ANte Concilium Constantiense, quod habitum est anno Domini 1417. numerati sunt ex hoc Ordine summi Pontifices XVIII. Cardinales CLXXXIV. viri in omni literatura scripturarum doctissimi. Archiepiscopi MDLXIV.

Episcopi MMMDXII. Trithemius de viris illustrib. sui ordinis, cap.5.

VII. *In Politicis Platonis, & Aristotelis quid desideretur.*

PRæclare Plato, si ordine, si ratione, si copia, si consiliorum multorum quæ ijs complexus est, bonitate contentus, communitatem illam vxorum, & bonorum, ac munerū publicorum parem viris cum fæminis omisisset, ac sese ad cōmunem vitæ vsum, moresque hominum magis accommodasset. Aristoteles item fecisset longe melius, si religionis aliquam, cuius videtur vbique negligens, curam habuisset, nec vtilitati ciuium, aut tranquillitati magis studuisset, quam eorundem pietati erga deum, cuius habetur à Platone diligentissima ratio. Vterque autem, si non vnam tantummodo ciuitatem, sed vniuersum aliquod regnum, quod erat magis optandū, formauisset. Sebastian. Foxius præfat. in Plat. de Repub.

VIII. *Apologus de vulpe & fele.*

CVm aliquando vulpes in colloquio, quod illi erat cum fele, iactaret, sibi varias esse technas, adeo, vt vel peram haberet dolis refertam; felis autem responderet, sibi vnicam duntaxat artem esse, cui fideret, si quid existeret discriminis; inter confabulandum repente canum accurrentium tumultus auditur. Ibi felis in arborem

tem altissimam subsilijt, cum vulpes interim à canum agmine cincta capitur. Innuit fabula, præstabilius esse nonnunquam vnicum habere consilium, modò id sit verum, & efficax, quàm plures dolos, consiliaque friuola. Chiliastes, prouerb. 18. Cent. 5.

IX. *Laudes Typographiæ.*

PAr est omnino nos eam artem diligere plurimum, & maximi facere, cuius adiumento, & beneficio litterarum, & sapientiæ diuitias paramus, quibus post virtutem in vita humana nihil excogitari potest nobilius. Huius laudationem texuit vir doctus, qui Guidonis Panciroli Memorabilium libros Commentarijs illustrauit, quam huic Syntagmati intexere placet.

Quod de papyro, & charta scripsit Plin. eius vsu maximè humanitatem vitæ constare, & memoriam, id non minus verè de Typographia vsurpaueris: quam miram typis excudendorum librorum artem nulli nec vtilitate, nec dignitate, nec subtilitate secundam confitendum est: quæ vna cum omnibus omnium veterum inuectis facile certauerit. Quin immò, non dubium est, superatam rerum naturæ ferè munificentiã, excogitata librorum excudendorũ ratione: cuius inuentum, si verã fatemur, nulli vitæ miraculo postponendum, ne nouem quidem Musæ æquabunt, licet cuilibet suæ artis disciplinæue institutionem veteres assignauerint. Demum est

hoc artificium diuinitus humano generi communicatum, vt necessariarum artium studia, prolatis in lucem omnis generis codicibus vetustis, instruerentur copiosa supellectile optimorum scriptorum, quorum fuit auctoritas ἀξιόπιστος, & subleuaretur imbecillitas, & ignauia hominũ fatali languore torpescentium. Effectum etiam hac industria est, vt, qui semel in lucem prodierunt libri, non possint deinde obliuione posteritatis prorsus extingui. Vt non desint, qui hanc artem omnium artium conseruatricem dicant, dignam, cui non minus, immò verò magis etiam parcatur, quam Protogenis tabulæ, quam ne cremaret Demetrius rex, Expugnator cognominatus, ab ea muri parte locatam, qua excellens pictura nimis patebat obsidionis violentiæ, Rhodum incendere noluit. Plin. lib. 7. cap. 38. Omnino, si præclarum est, & laudabile, egregia aliorum inuenta ingenijs, labore, sudore, & vigilijs parta ad posteros transmittere, ne tempus edax, omnibusq; exosa senectus, & obliuio semper inuida Memoriæ nouerca, scientięque fraudatrix ea nobis ex animo eripiat, non vulgarem profectò laudem merebitur ars Typographica, per quam res laudabiliter gestæ, artesque plurimæ, præclaræ item animi nostri cogitationes consignatæ, & cum his memoria conseruatur eorum, qui retroactis floruerunt sæculis: quæ tamen absque artis huius adminiculo iam diu fuisset deperdita: & multi haud ita graues

nes cum in litteris tum in armis exantlaturi essent labores, nisi sperarent eos Chalcographiæ beneficio immortalitati consecratos, ipsa etiam vita longe fore diuturniores, &c.

X. Plinij querimonia contra ventrem.

ELegans, & vera est accusatio qua Plin. li.26. cap.8. ventrem, & in ea etiam ventri, & gulæ deditos persequitur. Audire libet. Plurimum negotij hominibus aluus exhibet, cuius caussa maior pars mortalium viuit. Aliâs enim cibum non transmittit, aliâs non continet, aliâs non capit, aliâs non conficit. Eoque mores venerunt, vt homo maximè cibo pereat. Pessimum corporis vas instat vt creditor, & sæpius die appellat. Huius gratia præcipuè auaritia expetitur: huic luxuria conditur, huic nauigatur ad Phasin: huic profundi vasa exquiruntur. Nemo vtilitate eius existimat cõsummationis fœditate. Ergo numerosissima est circa hanc medicinæ opera.

Obseruat Billius, Quomodo Homerus Iliad. 5. naues illas, quibus Alexander, seu Paris vectus est, cum Helenam secum in Asiam abduxit ἀρχεκάκους appellat, vt quæ acerbissimis calamitatibus postea caussam dederint; ita Nazianzenum orat. de amore erga pauperes eleganter ventrem ἀρχέκακον appellasse, quod hinc omnis mortalium calamitas profluxerit, vt videre est Genes. 3.

XI. RITVVM PRISCORVM *fasciculus*.

1. Signa deditionis apud diuersas gentes.

APud Gallos, & Hispanos brachia, & manus inermes tendere: apud Romanos capita scutis subdere, & arma tradere. Pompeiani in pugna Pharsalica passis palmis salutem petiere. Armis quoque dimissis, salutationem more militari facere, magno sæpe presidio erat militibus. Iunctis, velatisque manibus supplicare, aut cum infulis, & velamentis prodire, apud Græcos manus inermes dare, Indis cum pateris occurrere, & vina libare, aut ex Solis ara facibus accensis obuiam prodire, &c. Vide Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 7. & in eum Tiraquellum, cuius sagacitatem, & lectionis infinitatem miror, qui, *vnde* Alexander sua hauserit, tam facile odoretur.

2. Ταχυγράφοι, Καλλιγράφοι, Ἀντιβάλλοντες.

NOtariorum munus erat, vt quæ dicebantur notulis quibusdam exciperent (à quibus & nomen habebant) tanta celeritate, vt non dictantis tantùm, sed loquentis quoque vocem assequerentur. Græcis *ταχυγράφοι* erant. Erant item *καλλιγράφοι*, qui ornatius, & cōcinnius scriberent, & describerent. Erant & *ἀντιβάλλοντες*, vt Strabo nomi-

nominat, qui magna diligentia, & religione scripta conferebant, ab archetypo ne latum quidē vnguendiscedeere ausi.

3. Victus athleticus, & exercitia.

APud veteres ad certam quandam ciborum, & exercitiorum necessitatem astringebantur athletæ, vt sic vires corporis maiores sibi cōpararent. Hinc apud Plautum Epidico, athleticè, ac pugilicè valere, est valide, & robuste valere; & athletica habitudo, est corpulentior, & firmior. Talem victum Aristot. ἀναγκοφαγίαν vocat. Galen. in Suasoria ad artes liberales cap. 6. multa aduersus athletarum intemperantiam, & ingluuiē disserit, & eos ab exercitationibus suis cessantes, atque iam senes, miseros, & membris debilitatos ac læsos viuere ostendit.

4. Oris, ac dentium purgatio.

QVi sordes oris, ac dentium non peregrino puluere, aut aqua communi eluebant, sordidi, atque illiberales habebantur, probroque vertebatur, quibus dentes lippiebant, & hoc vitium scabres, quique eo laborabant, scabrones dicti sunt, & ibi plura de dentibus. Sauaro in ep. 13. Sidonij, lib. 3.

5. Tribuni pugione, Præfecti gladio donabantur, & priuabantur.

TRibuni dum crearentur pugione donabantur, ad potestatem in facinorosos animaduerten-

uertendi significandam. Martial. lib. 14. epigr. 32.

Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris
Arma tribunitium cingere docta latus.

Inaugurato autem Imp. Præfecti donabantur gladio stricto, coram senatu. Sidon. Appollin. carm. 5. *Ipsi etiam strictum commiserat Vlpius ensem.* Papin. lib. 5. Syl. 2. *Cuiq; sacer primum tradit Germanicus ensem.* Ita in his meritum honorum distinguebat magnitudo ferri. Traianus Præfecto tradens gladium, Accipe, inquit, & si bene imperauero pro me: si malè, contra me vtitor. Dio auctor. Vt autem in honoribus mandandis his armis accingebantur: ita cum ignominiosè mittebantur, & honoribus priuabantur, discingebantur. Turneb. lib. 12. cap. 6.

6. Victi sub victorum pedibus.

IN triumphali pompa victi sub victorum pedibus effigiabantur, & certè hoc simulacrum triumphatorum. Ouid. 4. Trist. eleg. *Et ducis inuicti sub pede mœsta sedet.* Claud. in 4. Consulat. Honorij. *Colla triumphati proculcet Honorius Istri.* Prudentius lib. 1. in Symmachum. *Colla tyrannorum media calcemus in vrbe.* Atque ita in equestribus statuis domitæ gentes equorũ subiectæ pedibus. Stat. 1. Syluar. syl. 1. de Domitiano Aug. *Ænea captiui crinem tegit vngula Rheni.* Dempster. in Præfat. Corippi.

7. Indictio silentij per indicem.

Mos

MOs indicendi ſilentij optimè ab Apuleio exprimitur 1. Miles. Digitum pollici proximum, qui & index, & ſalutaris, ori admouens, & in ſtuporem attonitus, tace tace inquit. Iuuenal. ſat. 1. *Cum veniet contrà, digito compeſce labellum.* Martian. Cappella 2. de nupt. Philolog. & Mercurij, digito ſalutari ſilentium commouebat. Idem in lib. 2.

8. Dextra protenſa ad ſilentium imperandum, & imperium ſignificandum.

HIc mos ex locis quos proferam intelligitur. Lucan. 1. Pharſal. vbi Cæſar *tumultum Cōpeſcit vultu, dextraq́ʒ ſilentia fecit.* Perſ. ſat. 4. *Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ Maieſtate manus.* Sueton. de Aug. cap. 53. vultu, manuque indecoras adulationes repreſſit. Ouid. 1. Metam. de Ioue in concilio deorum, *qui poſtquam voce, manuq́ʒ Murmura compreſſit, tenuere ſilentia cuncti.* Principibus verò ſtatuæ equeſtres, & pedeſtres erigi ſolebant, dextra protenſa ad imperium ſignificandum, vt Romæ eſt videre. Seruius ad illud 8. Æneid. *Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.* De Domitiani equeſtri ſtatua Papin. lib. 1. Sylua 1. *Dextra vetat pugnas.* Idem ibid.

9. Mollium, & effæminat. militum pœna.

IGnominioſè muliebribus operibus addicebātur. Euſeb. in Conſtantini vita lib. 2. & Iulian. Imp. deſertores amictos veſte muliebri per caſtra

ſtra duxit diſtrahendos, ratus militibus, qui viri eſſent, huiuſmodi pœnam, & ſupplicium morte grauius futurum. Zoſimus lib. 2. S. Heſychius, qui ſub Diocletiano cum eſſet, & præceptum audiſſet, vt quiſquis non ſacrificaret idolis, cingulum ſolueret, repente cingulum ſoluit. Ob hanc cauſſam Imp. colobio muliebri indutum primo eum in gynæceum dedit, &c. Sauaro in epiſt. 8. *Sidonij* lib. 1.

10. Creditores vrgebant ægrotos, & moribundos.

ÆGrotis, & moribundis creditores imminebant, & per iudicem debita repoſcebant inſtantius, ante Nouellam Iuſtiniani 60. Si quis debitorem ſuum ægrotantem, & periclitantẽ mori, moleſtare voluerit, non liceat ei hoc facere &c. Idem in epiſt. 24. lib. 4.

11. Poculis ſe laceſſebant.

OLim combibones inter epulandum maioribus poculis contendebant, & ſe inuicem ad græcandum inuitabant, Græco more, & Germanico: quique ſe vino plus cæteris onerabat, tanquam victor ouabat, & honorabatur. Cic. pro Flacco. Magnum erat ei certamen propoſitum, magna cum Græcis contentio; qui tamen, vt opinor, iacent victi. Nam iſte vnus totam Aſiã magnitudine poculorum, bibendoque ſuperauit. Lege reliqua Sauaronis in epiſt. 7. lib. 5. pag. 314.

Ster-

11. Sternutantibus bene precari.

NOn propter inguinariam luem, quæ Romæ adeo grassabatur, vt oscitantes, & sternutantes efflarent animas, inductus est mos sternutantibus bene precandi, & oscitantibus os signādi. Nam mos ille est antiquissimus. Meminit Aristot. in Problemat. Petron. in Satyra. Gyton collectioris spiritus plenus, continuò ita sternutauit, vt grabbatum concuteret. Ad quem motum Euacolphus conuersus, saluere Gytona iubet. Plin. lib. 28. cap. 1. sternutamentis salutamur. Apuleius lib. 9. Crebras ei sternutationes commouebat: postea. Quod cum putaret ab eo profectum, soluto sermone salutem ei fuerat imprecatus. Titianus lib. 3. Epigram. eleganter. Idem in epist. 1. lib. 7. Verba Aristotelis adscribamus. Tres sunt partes principes nostri corporis, caput, thorax, aluus. Cumque efflatus alui respiratio sit, ructus ventriculi, sternutamentum capitis, quæ pars sacra præcipue est, spiritum hinc exeuntem tanquam sacrum veneramur, & adoramus. Præterea sternutamentum caput bene valere, posseque coquere indicio est: perinde igitur quasi bonæ indicium valetudinis partis optimæ, atque sacerrimæ, sternutamentum adorant, beneque augurantur.

XII. *Podagræ accurata descriptio.*

ABsit enim vt bellicosissimum virum tyrānis grauissimæ calamitatis exarmet, quæ miro

modo membra virentia infusione pœnalis humoris cogit arescere, nodosque mobiles replet marmoreo tumore crescentes, cum norit alia cuncta vacare iuncturæ. Petit concauas lacunas, vbi palustri statione pigrescens saxa perficit de liquore: & quæ ad decorem inflexionis Natura luxauerat, in turpissimum rigorem soliditate peregrina constringit. Hæc passio insanabilis, & sanitas passibilis, ligat solutos, contrahit neruos, & decrescere facit corpora, quæ nulla sunt mutilatione truncata. Constantibus membris proceritatis mensura perit; & minor cernitur, cui nihil subductum esse sentitur. Subtrahuntur superstiti ministeria membrorum: corpus viuum est, nec mouetur: & intra insensibilia redactum, iam non proprio voto, sed motu fertur alieno. Hæc viua mors supra omnia tormenta sana dicitur: & melius habere fertur, qui euasisse caussas tanti periculi non probatur. Deserit quidem dolor: sed reliquias dimittit fortiores, & nouo infælicitatis exemplo, passio videtur abscedere, & æger non desinit ægrotare. Appendia ipsa cruciatis debitoribus aliquando soluuntur: ista autē vincula sunt, quæ cum semel potuerint illigare captum, nesciunt in tota vita dissoluere. Cassiodor. ep.29.lib.10.

Hunc virum vbertim commendat, & extollit ipse Rex Theodoricus ad senatum Romanum ep.4.lib.1.Variar.

XIII. *Qui libri à quibus, & vbi inuenti, aut conseruati.*

POgius Florentinus in Germania reperit VIII. Ciceronis orationes, integrum Quintilianũ, Columellam, qui truncati antea extabant in Italia, Lucretij partem, Asconium Pædianum, & plures alios. Vide eius Dialog. de infælicitate Principum. Xenophon cum Thucydidis historias penes se solus haberet, easque supprimere posset, in medium protulit. Ianus Parthasius reperit Sosipatrum Grammaticum: Bessarion Cardinal. Q. Smyrnæi παραλειπόμενα, & Coluthum de Raptu Helenæ. Quinque libri primi Annaliũ Taciti inuenti sunt Corbeiæ, quod monasterium ad Visurgim est. Quæstor quidam Pontificius ad magnum Leonem detulit, donatus ab eo aureis quingentis. Lipsius Comment. in Tacit.

XIV. *Quamobrem probi ad turpitudinem erubescant, improbi nequaquam, ex Greg. Nazianzeno Apologus.*

IN mulieres ex fucis formæ laudem aucupantes declamans grauiter, & copiosè Gregorius Nazianzenus, earumque impudentiam coarguens, vt quæ ab adulterij crimine haud procul absint, Age vero, inquit, fabulam quoque vestræ turpitudini congruentem referam. Tanta olim, vt fama fert, inter homines erat perturbatio, vt optimi à sceleratissimis nullo modo internosci

Non licuit. Quando ergo tibi summa omnia debet,
Formasti enixu quem, pater ipse pio,
Cum nunquam posset meritas tibi redere grates
Virtutis tanta tempus in omne memor,
Hunc tumulum extruxit, morientem fleuit, acerbum
Vulnus adhuc animo nocte, dieq́ gerit.

Coniux marito lugenti.

Immatura peri: sed tu diuturnior annos
Viue tuos, coniux optime, viue meos.

Lazaro Bonamico.

Quantum ager Arpinas Ciceroni, atque inclyta quantum
Palladis vrbs debet Socratis ingenio:
Bassani, & Patani debent tibi mœnia tantum,
Lazare, quando illis viuus vtrumque refert.

Iuueni integerrimo.

Εἴποτε σωφροσύνη τις ἐράσμιος, εἴ ποτε πᾶσι
ἤθεσι τοῖς ἀγαθοῖς ἦν νέος εὐδόκιμος,
Εἰ θεοῦ εὐσεβίης τις ἐτέρπετο, εἴ τις ἀμύμων
Οὗτος ὁ τυμβευθεὶς ἐνθάδ᾽ ἴαγνος ἔην.

Christoph. Longolio Bembus.

Te iuuenem rapuere Deæ fatalia nentes
Stamina, cum scirent moriturũ tempore nullo,
Longoli, tibi si canos, seniumq́ dedissent.

Iureconsulto egregio.

Franciscus iacet hoc Geslerus marmore, cuius
Nulla vnquam in sanctis lis periit manibus.

Perdidit hanc vnam tantum, quam ferrea monit
Atropos: ast extra lis fuit ista forum.

Filius patri.

Accipe, chare pater, qua natus munera reddit,
Munera si cineri sunt bene grata tuo.
Tu mihi das lucem vitæ, do mortis honores.
Eheu quàm dispar gratia nostra tuæ?

Hermolao Barbaro.

Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem
Barbarus hîc situs est: vtraq; lingua gemit.
Vrbs Venetum vitam, mortem dedit inclyta Roma.
Non potuit nasci clarius, atque mori.

Pictori eximio.

Perdita si fuerat, pingendi hic rettulit artem.
Si nunquam inuenta est hactenus, iste dedit.

EPIGRAMMATA EX IISDEM.

Bononiæ ante hortum quendam.

Vrbs habeat curas: qui me mihi reddit agellus
Exigit ingenuis gaudia mixta iocis.

In Deiparam IESVM infantem gremio tenentem.

Partus, & integritas discordes tempore longo
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

In domo S. Clement. Romæ.

Stet domus hæc donec fluctus formica marinos
Ebibat, & totum testudo perambulet orbem.

In pontem Salarium Anienis, à Narsete constructum.

Quam

Quam bene curuati directa est semita pontis,
Atque interruptum continuatur iter?
Miramur rapidas subiecti gurgitis undas,
Et lubet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia vestra Quirites,
Et Narsin resonans plausus ubique canat.
Qui potuit rigidas Gotthorum subdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre iugum.

In opusculum Sannazarij de partu Virginis, in quo XX. annos consumpsit.

Smyrnam olim decimum pressisti, Cinna, sub annū:
Hic gessit partum bis duo lustra suum.

Duo vetusta disticha, citata à Lipsio.

Quod decuit natum patri præstare sepulto,
Hoc contrà nato præstitit ipse pater.
Fælicem sciui non qui quod vellet haberet,
Sed qui per fatum non data non cuperet.

EX EPIGRAMMATIS BERNARDI BAVHVSII, Societatis IESV.

D. Paulus vber mundi.

Vbera lacte fluunt: fluit en pro sanguine Paulo
Lac niueum: mundi totius vber erat.

Die Veneris Christus passus.

Luce obiit Veneris, Veneris fle turba: videtur
Causa dei passi non minima esse Venus.

Magdalena, & Mutius Scæuola.

Mutius errantem dextram ferus ignibus ussit.

Si non errasset, fecerat illa minus.

Magdala peccarat, Iesum post fortius arsit.
Si non peccasset, fecerat illa minus.

Nouem Musæ.

Quisquis ades, lector, fias spectator, amœnum hoc
Optat spectari non epigramma legi.
Mira vide, lepidus noster iubet ecce Poeta
Vndenis Nymphas stare nouem pedibus.
Calliope, Polymneia, Erato, Clio, atque Thalia,
Melpomene, Euterpe, Terpsichore, Vrania.

Amor, & timor Dei.

Vt fugiam scelus omne, & amem super omnia Numen,
Da mihi fræna Timor, da mihi calcar Amor.



SYNTAGMA SEXTVM.

VARIARVM RERVM QVÆSTIONES.

I. *Quid pro Græcis litteris ex nuperis scriptoribus ἀξιωματικῶς, & præclarè dici potest?*

I. LAtina eruditio quamuis impendiosa, citra Græcismum manca est, ac dimidiata. Apud nos vix quidam riuuli sunt,

sunt, & lacunulæ: apud Græcos fontes purissimi, & flumina aurum voluentia. Nullis in litteris sumus aliquid sine Græcitate. Sine græci sermonis cognitione manca, & mutila est omnis doctrina; & qui eius expertes sunt, ab ijs ne latinè quidem scripta penitus percipiuntur.

II. Qui græca lingua destituuntur, ad quodcunque genus doctrinæ animum applicarint, ingenti adminiculo se destitui sentient. Lingua græca omnium dulcissima, tot pulcherrimarum artium magistra, cælestis doctrinæ nuntia, æternæ salutis, diuinorumque beneficiorum conciliatrix. Latinus sermo quidquid habet elegantiæ, ac venustatis, id ex græcis fontibus accersitum est. Si demas scriptoribus Romanis lumina græci sermonis, quod præterea emineat parum erit: vt verè ac rectè dictum sit ab Horatio, *Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo Musa loqui.*

III. Græca lingua omnis elegantiæ magistra, omnium ingenuarum, ac liberalium artium parens, altrix, conseruatrix.

IV. Sine mediocri saltem cognitione græcarum litterarum non potest ad vllam doctrinæ præstantiam perueniri.

V. Placuit valde iudicium tuum de græcis. Profectò, vt hodie iudicia sunt, & exacta eruditio, nemo in aliqua classe, qui lingua ea non sit saltem tinctus. Et vsum etiam suum, immò dixerim necessitatem, in omni ferè scientiarũ genere habet.

VI. Deus, vt quamplurimos homines ad hanc linguam discendam inuitaret, multis eam illecebris, multis inuitamentis vndique cumulauit. Primùm enim non alia lingua dulcior est, non alia suauiore sono in aures illabitur. Et, si verum est, quod Herodotus ait, animum in auribus habitare, non alia certe vim maiorem habebit ad demulcendos, ac percellendos homines.

II. *Cur solus homo expetit ciborum diuersitatem?*

QVia producta omnia humanis destinantur vsibus, quod in alijs animantibus, vel vno contentis, vel longe paucioribus non fit. Deinde constitutionum varietas in vno tantum comperta est homine. Hunc enim temperatũ astruimus, alium sanguineum, alium phlegmaticum, & deinceps. Nam in specie sua bruta sunt omnia vel pituitosa, vti sues, pecudes,: melancholica nonnulla, vt cerui, boues. Vnde fit, vt homini alimentorum genus non vnum videatur necessarium. Denique nos animalem appetitum insequimur, qui ideo varius probatur, quoniam ad opposita se habent eius potentiæ. In brutis appetentia viget naturalis, cuius ratio est alia. Rhodigin. lib.7.cap.11. Veruntamen cum omnia animantia natura monente noscant sibi in pastu salutaria, solus homo etiam noxia sibi vel ignarus assumit, vel gnarus saporis tamen gratia illectus concupiscit.

III. *Quare Pyrrhus Epirotarum Rex aliis prætermißis solam sanitatem à diis precabatur?*

SIbi enim persuadebat, hac parte bene constituta prosperius cessura omnia. Nam si toto sinu se affundat fortunæ afflatus, absit autem valetudo recta, nullum profluit illinc emolumentum quod iuuet. Propterea Antiochum Sotera prælio cum Galatis congressurum legimus in quiete arbitratum Alexandrũ sibi assistere, monereque, vt prius quam in aciem milites educeret, non aliam illis tesseram daret, quàm ὑγιαίνειν bene valere. Inde nobilem de hostibus victoriam retulit. Et liber mandatorum ab Imp. dabatur, in quo præceptum primum de sanitatis cura. Pythagoras quoque in epistolis non alia est vsus salutatione, quàm vt iuberet ὑγιαίνειν: quod institutum seruarunt Pythagorei: velut animæ corporique nihil amplius congrueret, hocque vno hominis bona vniuersa comprehenderentur. Quin & symbolum, quo inter compares vtebantur, dicebatur ὑγεία sanitas. Idem lib. 7. cap. 24.

Diogenem stomachari in eos solitum auctor Laert. qui pro bona valetudine sacrificantes, in ipso sacro epulis immodicis se farcirent, & bonæ valetudinis iacturam facerent. Edacitas multos fieri senes vetuit. Monebat etiam Socrates, cauere à cibis, qui non esurientes ad edendum, &

à potibus, qui non sitientes ad bibendum allį-ciunt.

IV. *Quomodo possunt breuiter, ac verè, & gloriosè laudari Humanitatis studia?*

I. ABsque linguarum, & politioris litteraturæ conditura frigidæ, mutæ ac pæne cæcę sunt reliquæ disciplinę omnes: nec floret respub. nec liberalis est vita. Paucis, homo vix est homo.

II. M. Tullius vocat artes, quæ ad humanitatem pertinent. Item artes, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari solet. Præterea politiorem humanitatem, & de ijs orat. pro Archia poeta sic prædicat. Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant: secundas res ornãt: aduersis perfugium, ac solatium præbent: delectant domi; nõ impediunt foris; pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

III. Humanitatis nomen ideo tulerunt, vel quia eam vim ac potestatem habent, vt quamuis naturam, quoduis ingeniũ mollescere, ac mansuescere cogant: quod duobus locis testatus est Ouid. Versiculi omnibus sæpe lecti sunt. Vel quia nemo fere, nisi placabili & mansueta præditus natura possit in hanc partem studiorum placidissimam, & pulcherrimam incumbere, & eius desiderio incendi. Agminis nostri duces, & Imperatores Petrus Victorius, M. Antonius Muretus, Carolus Sigonius, Romulus Amasæus de

hisce studijs luculentissimas orationes reliquerunt, quas omnibus earum cultoribus legendas suadeo. Ex ijs siquidem non solum ad ea impensius colenda exardescent: verum etiam quid eorum vituperatoribus (sunt enim quidam agrestes, & ἀπαίδευτοι, qui ea vilipendunt) responderi queat, cumulatè cognoscent. Qui porrò nostro hoc, & superiore sæculo hisce litteris clareant, & claruerint, eorum non ita longus est catalogus. Multi enim thyrsigeri, pauci Bacchi.

V. *Quamobrem hominum quidam natura tristes, quidam læta-bundi?*

TRistes sunt, qui contrarijs resistere minus possunt, læta verò obire non sunt idonei. Lætabundi autem, qui & ad læta aptissimi sunt, & tristibus maximè possunt resistere. Qui igitur pauci caloris sunt, & exangues, ac debiles, vt senes, & ægri, & conualescentes, parum resistere contrarijs queunt: quare vt plurimum tristes sunt. Porrò & hi, & qui melancholici naturà sunt, & amarioris sanguinis ad læta minus idonei sunt: quare nec ea vel læta recipiunt, vt spectacula, veneres, comessationes, conuentus, lusus, & id genus. Ægri quidem, & pauci caloris, quia non possunt, & dispositionem non habent: melancholici verò, quia ad contraria dispositi sunt. Qui autem optimè sani sunt, & multo abundant sanguine, & eo quidem dulci, & leni, nō

acri,& bilioſo,& melancholico, ij quidem quod & maximè reſiſtunt contrarijs, & quod optimè diſpoſiti ſunt, omnia fere aut vti læta recipiunt, aut vti minus triſtia. Quare & ad ſocietates, & cantus,& ſpectacula,& luſus, & alia id genus maximè proni ſunt: vnde & iuuenes,& pueri maximè gaudentes ſunt. Hieron. Fracaſt. de Sympath. & Antipath. cap. 18. Idem cur melancholici triſtes,ac formidoloſi,lib.2. de Intellectione, à pag.200. planiſſimè,& doctiſſimè exponit, deque eorum natura,& varietate copioſe diſputat.

VI. *Quid ſibi vult Proſa oratio?*

QVidam prorſa pro proſa malunt, Græcis eſt πεζὸς λόγος,quaſi pedes ſermo, & πεζολόγοι hiſtorici. Nec id vocabulum à pedibus metricis inditum eſt: ſed aliquid humile, ſummiſſumque denotat ſignificatione præcipua,niſi fallor;quaſi dicas,humi gradiens,quodque nec carminis ſublimitate vehitur, nec figurata, numeroſaque oratione nititur: etiamſi in vniuerſum vſurpari ſoleat pro omni oratione ſoluta lege carminis, & his plura ibid. Budæus ep.lib.1.pag.256.

Quale genus orationis eſſet proſa, dictum hactenus ex Budæo. Nunc de voce ipſa ex Mureti Scholijs in Terent.Prorſa non proſa dicendum. Prorſum antiqui rectum vocabant: vnde prorſi limites apud Feſtum. Seneca Troade.

Et qui renatum prorsus aspiciens diem
Tepidum rubenti Tigrin admiscet freto.

Sed & Prorsam vocabant deam, quæ rectos fœtus educeret: alteram Postuertam, à recti, peruersique partus & potestate, & nomine. Quia igitur prorsum, vt dixi, rectum est, idcirco solutam orationem prorsam nominabant, quod essent in ea voces recto fere ordine, & vt naturæ ferret impetus collocatæ: contraque versum dixerunt, in quo esset orationis genus, vt Cic. loquitur, versum atque mutatum. Vide & Calcagninum epist.3.lib.1.

VII. *Cur Baccho cornua tribuuntur à Poetis?*

TRibuuntur sanè, hinc à Græcis ei data cognomina κεραῖος, κεροσφόρος, ταυρόκερως, δίκερως, βύκερως. Caussa, quod immodico vino obruti truces, contumeliosi, atque audaces efficiuntur: quod alibi Bacchum addere cornua pauperi ait Horat. & pauperem tunc cornua sumere Ouidius, cum vino madens violentus euadit. Redduntur & aliæ rationes, quas adducit Læuin. Torrent. Comment. in Oden 19. lib.2.

VIII. *Quod est maximum iræ remedium?*

MAximum est dilatio: vt primus eius feruor relanguescat, & caligo quæ premit mentẽ aut residat, aut minus densa sit: Quædam ex his, quæ te præcipitem ferebant horæ, non tantum

dies

dies molliet, &c. Seneca III. de Ira, cap. 12. Athenodorus philosophus ab Augusto discedens, hoc illi monumentum reliquit. Cæsar, cum fueris iratus, ne quid dixeris, feceris ue, priusquam Græcarum litterarum XXIV. nomina apud te recensueris.

IX. *Quid ita crudis, & lippis inimicum pila ludere?*

SOmnus enim, & quies optima cruditatis præsidia, vt Celsus ait, lib. 1. cap. 11. crudosque humores concoqui, nõ irritari debere medici monent. Lippis verò nocere pilam vel inde manifestum est, quod eo in ludo oculis potissimum laborandum est, vt vincas, aut peritum te lusorem exhibeas. Seruanda enim momenta, & in omnes partes circumagendum corpus. Sed de his medici viderint, quorum princeps Galenus de pilæ paruæ exercitio conscripsit. Torrent. in Horat. sat. 2. lib. 1.

Versus Horatianus hic est. *Namque pila lippis inimicum, & ludere crudis.* Crudus erat Virgilius, ipse lippus, ob has caussas Mæcenate ludente, vterque lusu hoc abstinebat. Lege dissertationem Magij Miscellan. lib. 1. cap. 11.

X. *Quibus ex rebus Ius ciuile constat?*

EX legibus, senatus consultis, plebiscitis, edictis magistratuum, constitutionibus Principum, responsis prudentum, diuturna consuetudine. Prudentum nomine intellige Iureconsul-

vbs, sic etiam vocantur, & eorum ars prudentia, aut iurisprudentia. Item sapientia. Ennius, *Pellitur è medio sapientia, vi geritur res.* Horat. *Fuit hæc sapientia quondam Publica priuatis secernere, sacra profanis*, &c. quæ omnia sunt Iurisconsultorum. Vocantur & iuris conditores, & iuris interpretes. Item iuris auctores. Muret. Cõment. in IV. Titulos 1. Digest.

XI. *Cur nupta Romæ non transcendebat limen domus, sed à pronubis transportabatur?*

AN quia in prima raptione mulieres non vltro intrauerunt domos, sed illatæ sunt? Aut quia videri volunt non volentes, sed coactæ eò ingredi, vbi sunt virginitatem amissuræ? Aut hoc signum est, exire etiam eas, domumue relinquere non debere, nisi vi eijciantur, sicut vi introductæ sunt? Nam etiam apud nos in Bœotia in nuptijs axem plaustri ante fores cremant, innuẽtes sponsæ manendum esse, sublato auehendi instrumento. Plut. Quæst. Rom. q. 39.

XII. *Quare nauseabundi vomunt, qui primùm mare nauigant?*

NAuseam præter reliqua ex sensibus odor, ex animi perturbationibus pauor potissimum creant. Eiusmodi enim homines periculi imminentis cogitatione tacti tremunt, horrentq́; & aluus his humectior euadit. At qui in fluuijs naui vehuntur, nihil horum percipiunt. Olfactus

ctus enim humanus ad dulcem, & potabilem aquam commodè assueuit: ipsa quoque nauigatio ab omni periculo libera est. In mar. se omnia aliter habent. Nam odorem, propterea quod nō assueuere, pessimè ferunt: & in præsenti, quanquam periculum nullum, metu tamen venturi casus terrentur. Quam ob caussam exterior trãquillitas nihil profuerit, quum anima motionibus agitata, ipsa deinde corpus vexet, & perturbationes concitet. Idem de Caussis natural. cap. 11.

XIII. *Cur fructus, & olera non æquè vt panis nutriunt?*

QVoniam omne pomorũ genus, & olera nimis aquosa sunt, succus diffluit, & ad alendum est remissior. Triticum, seu frumentum siccius est, & pingue, temperateque calidum. Quare & succus existit densior, ac pinguior, & glutinationi accommodatior. Nihilominus panem esse concoctu difficiliorem, ostendit Rhodigin. lib. 9. cap. 17.

XIV. *Cur Socrates interrogatus, an Rex Persarum esset fælix, negauit se scire?*

FOrtasse, inquit, fælix est. Se autem id nescire, quod cum eo nunquam congressus esset: neque cognosceret quali sit animo præditus: quod non aliunde, opinor, fælicitas obueniat, non à vasis aureis, aut ciuitatibus, aut à terris, aut ab a-

lijs

lijs hominibus: verùm vnicuiq; ab ſeipſo, & ſub ipſius animo. Socrates igitur, quoniam non expertus erat Perſæ animum, inexpertum quoque ſe putauit fælicitatis illius. Dio Chryſoſt. de regno orat. 3. Oratio, ſiue ſermo eſt vultus animi, & quomodo facies hominis in ſpeculo, ita is, qualis ſit ex colloquio cognoſcitur. Vnde illud Socratis, loquere adoleſcens, vt te videam.

XV. *Quid nam candor in veſtibus angelorum, Christi transfigurati, martyribus, equis etiam ſignificat?*

IN ſacris litteris angeli ſemper leguntur apparuiſſe candidati. Id illorum innocentiæ, & beatitudinis eſt argumentum. Chriſtus ipſe in monte Thabor veſtitu candidiſſimo diſcipulis ſe conſpiciendum præbuit, qui habitus puritatis, victoriæ, ac beatitudinis æternæ fuit ſymbolum. Quo ſenſu dictum de martyribus Apocal. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.* Inſignia, inquam, declarantur eorum victoriæ, libertatis, ac beatitudinis. Victoria item per equum album in Apocalypſi, cui eques corona inſignitus inſidet. Sic Anchiſes per 4. illos equos candore niuali pacem candidam ſignificari ait, & victoriam Troianorum latenter portendi 3. Æneid. alluſione ſcilicet ad 4. illos equos candidos, triumphalem currum apud Rom. trahentes. Sic equi albi apud Zachar. 6. Hieronymo interprete Machabæorum ſub Antiocho Rege victoriam præmonſtrant. Comment. in 11. Tom. Panciroli.

XVI. *Quid? Vixit ne Seneca vt scripsit?*

IN hũc arbitror cadere, quod Christus de Pharisæis, & Scribis, *Dicunt, & non faciunt*: si modo vera censemus, quæ in Nerone ex Dione memorat Xiphilinus. In plerisque ait, contra facere visus est, quam philosophabatur. Factus reus est multorum scelerum, sed præsertim quod cum Agrippina rem haberet. Cum tyrannidem improbaret, tyranni Præceptor erat. Quumque insultaret ijs, qui cum Principibus versarentur, ipse à palatio non discedebat. Assentatores detestabatur, cum ipse reginas coleret, & libertos, ac laudationes quorundam componeret. Reprehendebat diuites is, cuius facultates erant aureorum tricies centena millia. Luxum aliorum damnabat, ipse quingẽtos tripodes (mensas tribus pedibus) habebat de ligno cedrino, pedib⁹ eburneis, similes, & pares inter se, in quibus cœnabat. Ex quibus omnibus ea, quæ sunt ijs consentanea, quæque ipse libidinosè fecit, facilè intelligi possunt. Nuptias cum nobilissima, atque illustrissima fæmina contraxit. Delectabatur exoletis, idque Neronem facere docuerat.

De adulterata ab eo Iulia Germanici filia, ob quam exilium in Corsica circiter 8. annos tolerauit, & de reliquis eiusdem vitijs, si quę fuerunt, mitto dicere. Pecuniæ, & ingentium diuitiarum fuisse sitientissimum, ex magnitudine ipsa apparet liquidissimè. Septuagies quinquies cente-

na millia Philippicorum Lipsius numerat, opes sanè regias. Hortos, villas, agros, domum sumptuosa supellectile instructissimam habuit. Pecuniam grandem in fœnore in Italia, in Britannia, in Ægypto collocauit. Hem, quantus vsurarius hic tam disertus paupertatis prædicator? Quot, quęso, suscepit liberos, quibus tantam hęreditatem relinqueret? quibus de suis thesauris benefecit? quod monumentum vel Romæ, vel in cætera Italia ad memoriam sui, & prouinciæ ornamentum excitauit? Frustra sunt, qui illum de auaritia, & quidem incredibili purgare nituntur. Nam quod de Catone Censorio scribit de vita beata cap. 21. Et, si maiores illi obuenissent opes, non spreuisset. Nec etiam se sapiens indignum vllis muneribus fortuitis putat. Non amat diuitias, sed mauult. Non ad animum illas, sed in domum recipit. Nec respuit possessas, sed cõtinet, & maiorem virtuti suæ materiam subministrari vult (quam sententiam deinde copiosius exsequitur) hæc, inquam, & illa cap. 23. de philosopho diuite speciosius, & argutius, & sophisticè potius, quàm ad veritatem accommodatius, & sub aliena persona caussam agens suam. Teneamus igitur, in chartis, non animo, & moribus fuisse pauperem Senecam: cumulasseque pecunias ad nullum vsum, quod auarorum est proprium. Scripta eius laudat effusissimè in Manuduct. Dissert. 18. Lipsius. Mores & in eo libro, & alibi contra eundem Dionem tuetur; ho-

minem vanum præter fidem, præterque omnium mentem velut è plaustro conuiciari dicit. Verùm noibiltas, & sanctitas scriptorum Senecianorum, quorum amore ebrius est, Lipsium auctori tantopere conciliarunt. Quem vt à reliquis omnibus purget, auarissimum fuisse concedat necesse est. Quis Philosophorum, ac sapientum amauit diuitias? amauit? quis non vt se indignas est aspernatus? aut cuius est illa vox: abite pessimę diuitię. Mergam vos, ne mergar à vobis? Quæ ex Iuuenale, & Martiale de eius liberalitate in amicos egentiores profert, milliones illis donasse haud opinor, cũ multos tamen milliones possideret.

XVII. *Quandiu maria clausa, & ad nauigandum intempestiua sunt?*

EX die 3. Idus Nouemb. vsque in diem sextum idus Martij maria clausa esse dicebant: vt est apud Vegetium lib.4. Quod tempus etiam coarctatum est ab Imperatoribus, qui à Calend. Aprilis ad Calend. Octob. tempestatem ad nauigandum idoneam esse definierunt l. quoties. C. de naufrag. & Virgiliana Dido Æneam media hyeme de nauigando cogitare miratur.

Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum.

Sed & mare ipsum cum fremeret, commotumque ac concitatum esset, hiemare dicebant. Sic Sallust. hiemantibus aquis. Sic Horat. *& atrum*
Defen-

Defendens pisces hiemat mare. Muret. in 3. Anal. Taciti.

XVIII. *Qualem se præbebit Imp. erga dedentes se ciuitates?*

SI quæ ciuitates Imp. se dediderint, comiter ac ciuiliter regendæ sunt: sic enim & aliæ fortassis ad deditionem allicientur: sperantesq́, se huiusmodi humanitatis fore participes, in eiusdem ditionem allicientur. Qui verò, cum primum vrbe aliqua potitus est sese illi acerbum, ac molestum exhibet, aut ciuium facultates diripiendo, aut ciues ipsos interficiendo, pulsandoue, aliarum quoque ciuitatum animos ita abalienat, vt & bellum perdifficile, & spem victoriæ desperandam præparet, &c. Onosander Strategici cap. 38.

Hac de re ita præcipit 1. Off. M. Tullius, quo loco de iure belli disserit. Et cum ijs quos vi deuiceris consulendum est; tum ij, qui armis positis ad imperatorum fidem confugiunt, quamuis murum aries percusserit, recipiendi sunt. In quo tantopere apud nostros iustitia culta est, vt ij qui ciuitates, aut nationes deuictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent, more maiorum.

XIX. *Cur alia elixa, alia assa melius eduntur?*

AN quod humidiora non eatenus humecta-

ri, ſicciora non amplius exſiccari oportet: elixa autem humidiora, molliora que omnia redduntur: quæ verò minus humida ſunt, hæc igne cōfecta ſicciora prorſus euadunt? Ariſtot. Sect. 20. quæſt, ſeu Problem. 5. Homerus heroibus ſuis nec elixas, nec piſces, nec fructus, ſed tantum bubulam, eamque aſſam apponit: quæ cur magis nutriat, aſſa inquam caro, vide Rhodigin. lib. 28, cap. 2. Inter varios autem modos, quibus cibi præparantur, præſtant elixatio, & aſſatio, plusque ſalubritatis habent. Aſſa autem ſi rite conficiantur, maius corporibus robur conciliāt. Quærunt, vtra humidiora ſint, aſſa, an elixa. Ego aſſa humore interno, ac proprio humidiora eſſe arbitror, quod à cruſta foris ab igne inducta interna humiditas ſeruetur, eius quæ aſſatur carnis, ſi modo ea ſtudiosè aſſetur. Contra elixæ humiditas aliena maior eſt, quod ſit in aqua incocta; minor propria, quod exhalet à continuo feruore, & diſſipetur. Ex Valeriola Locor. commun. lib. 2.

XX. *Cur edenda bellaria, & utendum menſa ſecunda?*

AN vt ſatis bibamus? Non enim ſitis gratia ſolùm, quæ per menſam primam nos tenet, bibendum: ſed etiam poſt hauſiſſe aliquid iuuat. Ariſtot. Sect. 22. q. 6. De bellarijs, ſeu menſis ſecundis lege apud Alex. ab Alex. & Tiraquell. lib. 5. cap. 21. & Bellariorū noſtrorū partis primæ principiū. De inſeriae Voluminis.

XXI. *Cur aurora frigidior quàm vespera?*

AN quoniam altera noctis medio propior est, altera meridiei? Est autem vt diei medium calidissimum, quia soli proximum: sic noctis medium frigidissimum, quia remotissimum. Idem Sect. 25. q. 15.

XXII. *Quomodo morbum simulantes deprehendendi, & quæ signa morbi?*

QVi reuera dolent vehementer, in alium se, aliumque habitum, magnitudine videlicet doloris agitati, transijciunt, paratiq; sunt quoduis pati auxilium: hortantur medicos vltro, vt agant ad curandum quidquid velint. Si mediocriter, aut nihil, auxilia refugiunt, nec longa ieiunia, nec mordacium pharmacorum oblationem perferunt. Quam solam quidem, cùm grauiter se laborare dicunt, huiusmodi dispositionibus conferre nos illis affirmare oportet: quemadmodum & sectiones, & ustiones, & omnis cibi, potusque, quorum desiderio eos trahi videmus, abstinentiam. Signa autem morbi languere, extrema infrigidari, pallere: interdum quoq; frigidum sudare, & pulsus non tantum inæquales, sed etiam plures minorum, quàm magnorum, obscurorum quàm vehementium habere: præterea interrogatum de doloris specie, eam respondere, quæ affecto membro propria sit. Galen. libello peculiari huius argumenti.

XXIII. *Cur tantopere deploramus nostra incommoda?*

QVoniam ea non præcogitauimus. Aufert vim præſentibus malis, qui futura proſpexit. Quæ multo ante præuiſa ſunt, languidius incurrunt. Seneca Conſolat. ad Marciam cap. 9. Vulgatum eſt, Tela præuiſa minus feriunt. Sed egregie iterum Seneca lib. de Tranquillit. cap. 13. Nam qui multa agit, ſæpe fortunæ poteſtatem ſui facit: quam tutiſſimum eſt rarò experiri: cæterùm ſemper de illa cogitare, & ſibi nihil de eius fide promittere. Hoc eſt quare ſapienti nihil contra opinionem dicamus accidere. Non illum caſibus hominum excepimus, ſed erroribus: nec illi omnia vt voluit, cedunt, ſed vt cogitauit. Inprimis autem cogitauit, aliquid poſſe propoſitis ſuis reſiſtere. Neceſſe eſt autem leuius ad animum peruenire deſtitutæ cupiditatis dolorem, cui ſucceſſum non vtique promiſeris.

XXIV. *Vnde factum, ut libri alienis auctoribus tribuerentur?*

COntigit hoc interdum propter ſimilitudinem nominum: vt cum Demetrij Alexandrini libellus elegantiſs. de Elocutione Demetrio Phalereo tributus eſt. Sic olim multæ fabulæ tribuebantur Plauto, quæ Plautij cuiusdam erant. Sic Anaximenis Lampſaceni liber de Rheto-

Rhetorica ad Alexand. vulgò inter Aristotelea numeratur. Sic quidam ex veteribus, non ab eodem Homero scriptam esse Odysseam, à quo Ilias scripta esset. Interdum propter similitudinem inscriptionum. Vt cum Ethica scripsisset Aristoteles, scripsisset & Nicomachus, erant olim qui Nicomachi Ethica ad Aristotelem referrent, Muret. Volum. 2. orat. 6. Non solum libri, sed breuiora quoque scripta, vt sunt epistolæ, orationes, disputationes, & similia falsis indicibus, seu titulis auctores mentiuntur.

XXV. *Quot & quibus argumentis οἱ γνήσιοι deprehenduntur?*

QVatuor præcipue. I. Similitudine elocutionis. II. Conuenientia sententiarum. III. Si aut liber ille, de quo quæritur citetur in alijs γνησίοις: aut in eo citentur alij, quos constat esse γνησίους. IV. Si eum ex antiquis ij, qui de huiusmodi rebus iudicare potuerunt pro γνησίῳ habuerunt. Idem ibid.

XXVI. *Cur in nuptiis plurimi ad cœnam vocantur?*

NVllius conuiuij caussa ita manifesta, ita celebris est, vt nuptiarum. Itaque cum nemo ignoret conuiuium agitari, verecundia ducti omnes necessarios, familiares, & quocunq; tandem pacto sibi coniunctos inuitant. Et quod plus habet momenti, duabus in vnam coeunti-

augendam potentiam, & conseruandam in eadem familia pacem atq; concordiam. Alijs ideò prohibentur ab Ecclesia tales nuptiæ, quò per matrimonia cum non cognatis latius diffundantur affinitates & amicitiæ, indeque maior sit auxiliorum spes, vbi necessitas postularit. Alias caussas omitto. Adi Augustin. 5. Ciuitat. cap. 16.

XXVIII. *Quibus de causis verba græca latinis rectè immiscentur?*

GRæca aptè, & opportunè latinis intermixta non mediocrem conciliant orationi gratiã. Id fit, vel cum græca vox est significantior, vt λογομαχία pro contentione, siue rixa. Vel, cum est etiam breuior, vt φίλαυτος, pro eo qui sibi placet. Vel, cum est vehementior, vt γυναικομανὴς pro mulieroso. Vel, cum est venustior: vt si quis, de rebus arduis, sed inutilibus differentem dicat μελεωρολεσχεῖν: aut eum qui sibi sapiens videatur, cum sit stultus appellet μωρόσοφον. Nam græcæ vocis gratiam nulla latina possit assequi. Vel, cum ad locum aut dictum auctoris alicuius alludimus: veluti quum notantes aliquem inconsideratius locutum, dicimus, ποῖον ἔπος, &c. quod est apud Homerum: aut indicantes aliquem non respondisse ad id quod proponebatur, dicimus ἀμὰς ἀπήτουν. Quod si latinè dicas, falces petebã, perit sermonis lepos. Denique cum nolumus id quod dicimus à quibuslibet intelligi. Ac ne singula persequar, quoties inuitat aliqua commoditas

ditas, præsertim cum ad eruditos scribimus. Cæterùm cum nihil huc inuitat, velut ex instituto sermonem semilatinum, & semigræcum texere, fortassis in adolescentibus, semet ad vtriusque linguæ facultatem exercentibus veniam mereatur: in viris parum decora fuerit hæc ostentatio. Desider. lib. 1. de Copia.

Cicero 1. Tuscul. de se, Scis enim me Græcè loqui in latino sermone non plus solere, quàm in græco latinè. Veruntamen loquitur, & præsertim in epist. ad Atticum: sed aliqua semper de caussa ex ijs, quas in medium attulimus. Quem sequi deberent, qui nimis sæpe, & multos interdum versus, ac periodos græcè latinis suis infarciunt, atque ostentationis cuiusdam suspicionē de se commouent. Andreæ Schotti nostri seu præceptum, seu consilium, ex Tullian. Quæst. lib. 1. cap. 26. subiungam. San è in Epistolis longe, quam in philosophicis dissertationibus admittere frequentius græcaliceat, idque M. Tullij exemplo, cuius ad Atticum datæ litteræ assidue græcissant: vt ad hominem quidem Romanum, græcæ tamen linguæ peritia Attici cognomēto donatum. Illud tamen etiam atque etiam hîc cauendum, ne ad litterarum græcarum imperitum amicum inani quadam ostentatione græca obtrudas, ne tacito quodam sensu castigare, irridere, ac tantum non conuiciari videare: non secus atque qui epulis hospitem, quas refugiat, importunus conuiuator accipiat. Sic etiam multorum

dissol-

diſſolui amicitias ſuperba quadam iactatione cõperi: contrà vero comitate, ac facilitate in dandis litteris, non aliter quam aſſiduitate ali conſtat amicitiam. Si quod igitur, ſcite dictum, &c.

XXIX. *Quo pacto oſtenderes coram, quàm ſcriptis agere plus conducere?*

NOn eò tantum plus conducit, quod ijsdem de rebus præſenti cum præſentibus agere, quam ſcriptis facilius eſt: aut quòd omnes dictis quàm ſcriptis plus credunt, & illa tanquam decreta, hæc vt figmenta audiunt: ſed propterea inprimis, quod in congreſſibus, ſi quid forte non rectè intelligitur, vel non creditur, is qui coram adeſt, vtrique incommodo leui opera medetur. In ſcriptis, ſi talis ſcrupulus inciderit, nemo eſt qui tollat, ipſo auctore, & defenſore non præſente. Iſocrates ad Philipp. epiſt. 1.

Sunt nihilominus quæ liberius, & commodius per ſcripta aguntur, vt quæ ad laudem noſtram pertinere videantur. Quamobrem Cic. epiſtola ad Lucceium libr. 5. à quo rerum ſuarum Commentarios, ſeu hiſtoriam conſcribi petit. Coram me tecum eadem hæc agere ſæpe conantem deterruit pudor quidam pæne ſubruſticus: quæ nunc expromam audacius. Epiſtola enim non erubeſcit. *Audacius*, inquit.

XXX. *Cur in hominibus tanta facierum diſcrepantia?*

In

IN hoc dei prouidentiã admirari licet. Etenim si eundem perpetuò omnes characterem seruarent, quanta omnium rerum confusio sequeretur? quanta ignorantia homines occuparet? dum neque domesticum, neq; alienum cognoscerent, neque hostem, & malum ab amico, & bono discernerent. Et nihil obstaret, quo minus quis cum sororibus, aut matre consuesceret, aut prædaretur, aut in propatulo iniuriã irrogaret, si modò in præsens effugeret. Etenim postea conspectꝰ nõ agnosceretur. Deniq; duo sũt, quę propter diuersitatẽ in hominibus maximã admirationem efficiunt, facies, & sonus vocis. Ac facie quidẽ similes aliquando, voce congruentes nunquam in ista hominum infinitate reperiuntur.

XXXI. *Meminit ne, & æstimauit Societatem IESV Iustus Lipsius?*

ILle verò meminit perhonorificè, eamque amauit, & veneratus est plurimum, atque etiam inter manus trium Patrum nostrorum vltimum effudit spiritum. Nostris vsus est à sacris confessionibus. Nostris Louanij, vbi postremò, & diu habitauit, & de superiore loco in Academia docuit, libros græcos manuscriptos testamento legauit. Ibidem frequens ei congressus cum Martino Delrio item nostro, & multa familiaritas fuit: cui in Germania proficiscẽti viaticum largitus est vltro liberalissimum, vt ipsemet Delrius

mihi

mihi Augustæ narrauit. Extant ad eundem, & Franciscum meum Bencium τὸν μακαρίτην, quem vnicè dilexit, & eius obitum deplorauit, epistolæ. Nunc testimonium Societati ab eo impertitum accipe. Epist. ad Franciscum Oranum Belgam. *Quid fratrem dicam, quem etiam nunc habes sacri illius, & fructuosi Ordinis, qui nominis, quod supra omne nomen est titulum gerit: in quo vel censeri laus est?* Epistola autem ad Iacobum Pontanum, quæ est Cent. III. Miscellaneæ 34. qua nihil humanius, καὶ ἀλληγορίαν quandam ex Homero petitam, se Societati salutem suam debere significat: cuius præceptis, institutisque olim eruditus fuerat: quæ illum in summis versantem periculis tutata sint, & præterita secum recordantem conseruarint. In rem præsentem venias licet. *O institutionem vestram, inquit, olim mihi vtilem: inhæret ea, & inhæsit: atque illa Pallas fuit. quæ inter tempestates, immo naufragia seruauit hunc Vlyssem. Eadem iudicium, & sensum istum ad virtutes formauit, quas vtinam sic indipisci, vt sequi detur.*

Quid requiris amplius? Nos magni viri excellens ingenium, summamque doctrinam suspicimus, & prædicamus: nec de studijs nostris melius quenquam meritum statuimus. Ab eius autem idiotismo, & excogitata hæresi in scribendo, pluribus, &, vt opinor, iustis de caussis refugim⁹, & abhorremus. Virum quendam, in hac repub. principem, virum probè litteratum, & acri iudi-

cio

cio prædirum, ac pænè omnibus huius memoriæ eruditis bene notū, ipsique Lipsio amicissimum, atq; ab eodem compluribus epistolis pleno ore laudatum, hunc, inquam, profitentem meis auribus audiui: *malle se in scribendo Muretum, quàm Lipsium posse exprimere.* Adeo, cuius probabat ingenium, & scientiam summopere, eius nouitiam, & plus æquo exquisitam, & affectatam dictionem non probabat. Sed de his in præsens satis.

XXXII. *Cur Poetica tenet globum, seu sphæram in læua?*

SIc fingitur eius imago à quibusdam, quod nihil vsquam gentium est in toto mundi ambitu, seu quæ supra lunam perpetua atque æterna, seu quæ citima sunt mortalia, atque caduca, quæ non fuerint versibus decantata; quod ex historia poetarum apparet. Ex Gyraldo *hist.* poet. lib. 1.

Cic. 1. de Orat. Immensitatem quandam materiæ oratori subijciens, ait similiter licere Poëtæ quacunque de re velit carmen facere, cum sit oratori similis in multis. Vbi sanè Poëtam, & Poeticen solo versus artificio, & compositione, παχύτερον, καὶ σαφέστερον iuxta prouerbium, ad vulgarem captum videlicet definit. Eius verba ad hoc ζήτημα illustrandum profero. Est enim finitimus Oratori Poeta, numeris adstrictior pauló, verborum autem licentia liberior; multis vero

orandi

ornandi generibus socius, ac pæne par: in hoc quidem certè prope idem, nullis vt terminis circumscribat, aut definiat ius suum, quò minus ei liceat eadem illa facultate & copia vagari quà velit.

XXXIII. *Quid maximè oblectat animum?*

NIhil perinde, vt amicitia fidelis, & dulcis. Quantum bonum est, vbi sunt præparata pectora, in quę tutò secretum omne descendat: quorum cōscientiam minus quam tuam timeas: quorum sermo sollicitudinem leniat: sententia consilium expediat: hilaritas tristitiam dissipet: conspectus ipse delectet? Seneca de Tranquill. cap. 7.

XXXIV. *De tot Interpretibus, & Scholiastis Virgilij, & Horatij quid sentis?*

CErtum est Virgilium è veteribus habuisse explanatores non paucos, & eruditos homines, ex quibus sua, quæ in Saturnalibus super Virgilio affert, sublegit, & collegit Macrobius. Nūc præter pauca in Bucolica, & Georgica Iunij Philargyrij nihil eorum est reliquum. Ex antiquis, si qui alij in Horatium scripserunt, soli Acron, & Porphyrio restant, non indocti. Cur porrò recētiores bene multi, & alij quidem iustis, ac plenis Commentarijs, alij Scholijs, alij Notis, alij Castigationibus hosce duos explanarint, & illustra-

rint, caussa manifesta est; vtriusque puta supra omnes poetas Latinos eminentia, quam tot, & tam præclara amborum elogia, laudationesque declarant. Quod de Homero ait Horat. *Qui nil molitur inepte*, id iure de hoc binario dixeris: de quo ita iudicat vir multarum litterarum. *Cum sint duo clarissima Latinæ poeseos lumina, inter eos adeo ambiguum (licet in valde diuerso illius genere) palmam videri, vt si eorum altero priuari nos oporteret, vix apud nos statuere possemus, vtrius iacturam minus impatienter ferremus.* Omnia in illis ingeniose, erudite, sapienter, eleganter dicta, vt posteri quod imitentur haurire de tam limpidis fontibus queant. Quæ res bona, & magna ingenia excitauit, vt magis magisq; procedentibus annis ad eorum mentem, sensusque perscrutandos, & mysteria indaganda sese certatim darent, & velut de palma cōtenderent, dum posteriores antegressos, semper aliquid melius, occultius, rarius, eruditius, acutius, quò illi respexerint, & quod ante oculos habuerint in mediū proferendo, superare conituntur. Quanquam, (vt, quod, mihi sæpe visum est, libere proloquar) in istis laboribus sæpenumero potius ingeniorū suorum εὐστοχίαν, & quantum in litteris ipsimet profecerint, quàm quid Virgilius, & Horatius spectarint, & cogitarint, ostendunt: & ea Maroni maximè tribuunt, & affingunt, quæ fortasse scribenti in mentem nunquam venerunt. Quì enim fieri potest, vt tot res variæ, & interdum minutæ

minutæ, in vnum versum excogitatæ scribentis animum subierint? Potuit hoc; potuit illud, potuit vnum, potuerunt plura, potuit fortasse aliud etiam, quod adhuc Interpretum nemo vidit. Est ne credibile, in eo nullam syllabam; nedum verbum, nedum versum suo carere mysterio? Quã-tum, qui hoc affirmat, & est qui affirmet, negotiũ creat poetæ? Ista ratione Æneidem bis vndecim annis vix absoluisset, si singulas syllabas appendisset. Tam multi igitur Commentarij, Scholia, Notæ, Emendationes nobis ad eruditionẽ maiorem conducunt vehementer: nobis illi seuerunt; nos metamus licet: ad poetarum istorum mentem aperiendam pauciora vtiq; sufficerent. Et sanè magis auctoribus suis laudem cõciliant; quàm illorum poetarum laudes augeant: quæ quidem adeo creuerunt, vt vltra quò progrediãtur loci nihil relictum videatur. Cur, quæso, Stati⁹; sublimis ille, & celsus poeta Lipsio, & præ omnibus veteribus, ac recentibus Virgilianæ maiestati propior Scaligero, cur Claudianus, tã rotundus, & venustus poeta diligentium, & bene litteratorum Interpretum luce destituti, in tenebris tandiu deserti iacent? Gratiæ debebuntur magnæ Scoto cuidam, & alteri Hispano, & tertio Germano si præstiterint quod promiserũt. Promiserunt autem omnes in vtrumque Commentarios. Quod deus opt. max. bene fortunet.

XXXV. *Cur litterati pituitæ, & atræ bili obnoxij?*

LItterarum cupidi etiam pituitam semper, & atram bilem, non aliter quàm nauigantes Scyllam, atque Charybdim cautissimè euitare debent. Quantum enim reliquo corpore otiosi sunt, tantum cerebro ac mente negotiosi. Inde pituitam, quod Græci phlegma, hinc atram bilem, quam ijdem melancholiam vocant, gignere compelluntur. Illa quidem ingenium sæpe obtundit & suffocat: hæc verò, si nimium abundauerit, flagraueritúe, assidua cura, crebrisque deliramentis vexat animum, iudiciumque perturbat: vt non immeritò dici possit, litteratos fore præcipue sanos, nisi pituita molesta esset, & lætissimos, sapientissimosque omnium, nisi bilis atræ vitio, vel mœrore sæpe, vel interdum desipere cogerentur. Ficin. de sanit. tuenda lib. 1. cap. 3.

XXXVI. *Vnde mos, vt proficiscentes ad bellum Imperatores munus gladiatorium, & venatus darent?*

MVlti dicunt, apud veteres hanc deuotionem contra hostes factam, vt ciuium sanguine litato specie pugnarum Nemesis, id est, vis quædam fortunæ, se satiaret. Alij hoc litteris tradunt (quod verisimilius credo) ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, &

ar, & ferrum, & nudas inter se cohortes, ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut vulnera, & sanguinem perhorrescerent. Capitolin. in Max. & Balbino.

Munera proprie ad ludos gladiatorios pertinent, etsi venationes non excluduntur: dicūtur enim & venationes munera Vitruuio lib. 10. & Martiali, alijsq;. Vide lib. Spectaculor. epigramma 24. cum Comment. Raderi nostri.

XXXVII. *Quare multo maiora, & veriora æstate, quàm hyeme contemplamur?*

QVibus purius est cælum, eo acutiore sunt ingenio: &, vt inquit Cicero, perspicaciores sunt qui ad Orientem, quam qui ad Septentrionem habitant. Quod nulla alia de caussa prouenit, nisi quod actus mentis ex calore nascitur, & vigorem inde suscipit. Quare multò maiora, & veriora contemplamur æstiuo, quam hyberno tempore: quoniam brumali tempore ex crassitudine aeris hebetiores sumus, & frigore pigriores: vis enim ipsa mentis ab igni, id est, à cælo est: tametsi verissimum est, quod Iuuenalis ait.

Summos posse viros, & magna exempla daturos
Veruecum in patria, crassoq; sub aere nasci.

Pierius libr. 54.

Sint ista vera per me, tempus quidē hybernum salubritati corporum magis quàm æstiuum conducere, ac studijs liberalibus esse aptius, nec

mo inficiabitur. Languent per æstatem corpora, & cum ijs animi. Vnde Martialis, *Pueri si æstate bene valent, satis discunt*: quod propemodum etiam ad non pueros transferri potest.

XXXVIII. *Equites, an pedites bello vtiliores?*

OMnes qui vel expeditionibus interfuere, vel nostri sæculi historias legerunt, scire possunt nostra hac tempestate equitum robore plus semper effectum, cum in acie hostili perfringenda, tum in ipsis hostibus aut opinione celerius circumueniendis, aut ab ijsdem commeatu, & auxilijs auertendis. Sed & hoc nomine plus animi, ac fortitudinis equitum turmis inesse puto, quod maiore sui parte ex nobilium ordine colliguntur: qui ob sanguinis præstantiam, & insitam quandam heroicæ indolis elationem, feruentius quam cæteri virtutis, ac gloriæ decus consectantur. At pedites ex plebe, infimaque hominum fæce, in qua honestatis, ac præclari nominis studium magis friget, vt plurimum cōfluunt, vrbium suarum purgamenta, flagitiosorum conflages. Quamuis nec illud negauerim, & minore sumptu copiosiorem ali peditatum, & in locis montanis, palustribus, ac impeditis, ad oppida item propugnanda, aut expugnanda istorum esse vsum maiorem: equorum autem exiguum, aut nullum. Ranzouius Comment. bell. cap. 11.

XXXIX. *Qualis diæta præscribenda senibus?*

EVm omnino victum seruent senes, ex quo sanguinem plurimum sperent, spiritumque quam plurimum, ex vitellis ouorum recentibus, vino aliquantum quidem dulci, odorifero verò quàm plurimum. Nam hic vitellus propriè cordis sanguinem, vinum præcipuè spiritum recreat. Carnibus electissimis, coctuque facillimis, & summatim diæta vtantur, calidum pariter, atque humidum augente. Spiritum odoribus, præsertim vini, assiduè recreent. Vigiliam, atque inediam, sitimque deuitent, laborem corporis atque animi, & sollicitudinem, ac mœrorem. Musicam repetant, si forte intermiserint, nunquam intermittendā. Ludos quosdam, & mores, quoad decet, olim anteactæ pueritiæ reuocent. Difficillimum namque est reiuuenescere corpore, nisi ingenio prius repuerascas. Itaque in omni etiam ætate magnopere conducit ad vitam nonnihil pueritiæ retinere, & oblectamenta semper varia aucupari: longum verò, profusumq; risum minimè, spiritum namque nimis ad exteriora dilatat. Meminisse decrepitos expedit, naturam debilem non esse nutrimentorum pondere fatigandam, vel etiam epularum diuersitate nimia distrahendam: nam & iuuenilis ætas hoc vitio fit citò senilis. Diuidant ergo mensas: nec tam multa naturā alimonia, quam fre-

XXIII. *Cur tantopere deploramus nostra incommoda?*

QVoniam ea non præcogitauimus. Aufert vim præsentibus malis, qui futura prospexit. Quæ multo ante præuisa sunt, languidius incurrunt. Seneca Consolat. ad Marciam cap. 9. Vulgatum est, Tela præuisa minus feriunt. Sed egregie iterum Seneca lib. de Tranquillit. cap. 13. Nam qui multa agit, sæpe fortunæ potestatem sui facit: quam tutissimum est rarò experiri: cæterùm semper de illa cogitare, & sibi nihil de eius fide promittere. Hoc est quare sapienti nihil contra opinionem dicamus accidere. Non illum casibus hominum excepimus, sed erroribus: nec illi omnia vt voluit, cedunt, sed vt cogitauit. Inprimis autem cogitauit, aliquid posse propositis suis resistere. Necesse est autem leuius ad animum peruenire destitutæ cupiditatis dolorem, cui successum non vtique promiseris.

XXIV. *Vnde factum, ut libri alienis auctoribus tribuerentur?*

COntigit hoc interdum propter similitudinem nominum: vt cum Demetrij Alexandrini libellus elegantiss. de Elocutione Demetrio Phalereo tributus est. Sic olim multæ fabulæ tribuebantur Plauto, quæ Plautij cuiusdam erant. Sic Anaximenis Lampsaceni liber de

Rheto-

Rhetorica ad Alexand. vulgò inter Aristotelea numeratur. Sic quidam ex veteribus, non ab eodem Homero scriptam esse Odysseam, à quo Ilias scripta esset. Interdum propter similitudinem inscriptionum. Vt cum Ethica scripsisset Aristoteles, scripsisset & Nicomachus, erant olim qui Nicomachi Ethica ad Aristotelem referrent, Muret. Volum. 2. orat. 6. Non solum libri, sed breuiora quoque scripta, vt sunt epistolæ, orationes, disputationes, & similia falsis indicibus, seu titulis auctores mentiuntur.

XXV. *Quot & quibus argumentis οἱ γνήσιοι deprehenduntur?*

QVatuor præcipue. I. Similitudine elocutionis. II. Conuenientia sententiarum. III. Si aut liber ille, de quo quæritur citetur in alijs γνησίοις: aut in eo citentur alij, quos constat esse γνησίους. IV. Si eum ex antiquis ij, qui de huiusmodi rebus iudicare potuerunt pro γνησίῳ habuerunt. Idem ibid.

XXVI. *Cur in nuptiis plurimi ad cœnam vocantur?*

NVllius conuiuij caussa ita manifesta, ita celebris est, vt nuptiarum. Itaque cum nemo ignoret conuiuium agitari, verecundia ducti omnes necessarios, familiares, & quocunq; tandem pacto sibi coniunctos inuitant. Et quod plus habet momenti, duabus in vnam coeunti-

augendam potentiam, & conſeruandam in eadem familia pacem atq; concordiam. Alijs ideò prohibentur ab Eccleſia tales nuptiæ, quò per matrimonia cum non cognatis latius diffundantur affinitates & amicitiæ, indeque maior ſit auxiliorum ſpes, vbi neceſſitas poſtularit. Alias cauſſas omitto. Adi Auguſtin. 5. Ciuitat. cap. 16.

XXVIII. *Quibus de cauſis verba græca latinis rectè immiſcentur?*

GRæca aptè, & opportunè latinis intermixta non mediocrem conciliant orationi gratiã. Id fit, vel cum græca vox eſt ſignificantior, vt λογομαχία pro contentione, ſiue rixa. Vel, cum eſt etiam breuior, vt φίλαυτος, pro eo qui ſibi placet. Vel, cum eſt vehementior, vt γυναικομανής pro mulieroſo. Vel, cum eſt venuſtior: vt ſi quis, de rebus arduis, ſed inutilibus differentem dicat μετεωρολεσχεῖν: aut eum qui ſibi ſapiens videatur, cum ſit ſtultus appellet μωρόσοφον. Nam græcæ vocis gratiam nulla latina poſſit aſſequi. Vel, cum ad locum aut dictum auctoris alicuius alludimus: veluti quum notantes aliquem inconſideratius locutum, dicimus, ποῖον ἔπος, &c. quod eſt apud Homerum: aut indicantes aliquem non reſpondiſſe ad id quod proponebatur, dicimus ἄμας ἀπήτουν. Quod ſi latinè dicas, falces petebã, perit ſermonis lepos. Denique cum nolumus id quod dicimus à quibuslibet intelligi. Ac ne ſingula perſequar, quoties inuitat aliqua commo-

ditas,præſertim cum ad eruditos ſcribimus. Cæterùm cum nihil huc inuitat, velut ex inſtituto ſermonem ſemilatinum, & ſemigræcum texere, fortaſſis in adoleſcentibus, ſemet ad vtriusque linguæ facultatem exercentibus veniam mereatur: in viris parum decora fuerit hæc oſtentatio. Deſider. lib.1.de Copia.

Cicero 1. Tuſcul. de ſe, Scis enim me Græcè loqui in latino ſermone non plus ſolere, quàm in græco latinè. Veruntamen loquitur, & præſertim in epiſt. ad Atticum: ſed aliqua ſemper de cauſſa ex ijs, quas in medium attulimus. Quem ſequi deberent, qui nimis ſæpe,& multos interdum verſus, ac periodos græcè latinis ſuis inferciunt, atque oſtentationis cuiuſdam ſuſpicionē de ſe commouent. Andreæ Schotti noſtri ſeu præceptum, ſeu conſilium, ex Tullian. Quæſt. lib.1.cap. 26.ſubiungam.San è in Epiſtolis longe, quam in philoſophicis diſſertationibus admittere frequentius græcaliceat,idque M.Tullij exemplo, cuius ad Atticum datæ litteræ aſſidue græciſſant: vt ad hominem quidem Romanum, græcæ tamen linguæ peritia Attici cognomēto donatum. Illud tamen etiam atque etiam hîc cauendum,ne ad litterarum græcarum imperitum amicum inani quadam oſtentatione græca obtrudas, ne tacito quodam ſenſu caſtigare,irridere, ac tantum non conuiciari videare: non ſecus atque qui epulis hoſpitem,quas refugiat,importunus conuiuator accipiat. Sic etiam multorum

diſſol-

diſſolui amicitias ſuperba quadam iactatione cõperi: contrà vero comitate, ac facilitate in dandis litteris, non aliter quam aſſiduitate ali conſtat amicitiam. Si quod igitur, ſcite dictum, &c.

XXIX. *Quo pacto oſtenderes coram, quàm ſcriptis agere plus conducere?*

NOn eò tantum plus conducit, quod ijsdem de rebus præſenti cum præſentibus agere, quam ſcriptis facilius eſt: aut quòd omnes dictis quàm ſcriptis plus credunt, & illa tanquam decreta, hæc vt figmenta audiunt: ſed propterea inprimis, quod in congreſſibus, ſi quid forte non rectè intelligitur, vel non creditur, is qui coram adeſt, vtrique incommodo leui opera medetur. In ſcriptis, ſi talis ſcrupulus inciderit, nemo eſt qui tollat, ipſo auctore, & defenſore non præſente. Iſocrates ad Philipp. epiſt. 1.

Sunt nihilominus quæ liberius, & commodius per ſcripta aguntur, vt quæ ad laudem noſtram pertinere videantur. Quamobrem Cic. epiſtola ad Lucceium libr. 5. à quo rerum ſuarum Commentarios, ſeu hiſtoriam conſcribi petit. Coram me tecum eadem hæc agere ſæpe conantem deterruit pudor quidam pæne ſubruſticus: quæ nunc expromam audacius. Epiſtola enim non erubeſcit. *Audacius*, inquit.

XXX. *Cur in hominibus tanta facierum diſcrepantia?*

IN hoc dei prouidentiã admirari licet. Etenim si eundem perpetuò omnes characterem seruarent, quanta omnium rerum confusio sequeretur? quanta ignorantia homines occuparet? dum neque domesticum, neq; alienum cognoscerent, neque hostem, & malum ab amico, & bono discernerent. Et nihil obstaret, quo minus quis cum sororibus, aut matre consuesceret, aut prædaretur, aut in propatulo iniuriã irrogaret, si modò in præsens effugeret. Etenim postea conspect⁹ nõ agnosceretur. Deniq; duo sũt, quę propter diuersitaté in hominibus maximã admirationem efficiunt, facies, & sonus vocis. Ac facie quidé similes aliquando, voce congruentes nunquam in ista hominum infinitate reperiuntur.

XXXI. *Meminit ne, & æstimauit Societatem IESV Iustus Lipsius?*

ILle verò meminit perhonorificè, eamque amauit, & veneratus est plurimum, atque etiam inter manus trium Patrum nostrorum vltimum effudit spiritum. Nostris vsus est à sacris confessionibus. Nostris Louanij, vbi postremò, & diu habitauit, & de superiore loco in Academia docuit, libros græcos manuscriptos testamento legauit. Ibidem frequens ei congressus cum Martino Delrio item nostro, & multa familiaritas fuit: cui in Germania proficiscẽti viaticum largitus est vltro liberalissimum, vt ipsemet Delrius mihi

mihi Augustæ narrauit. Extant ad eundem, & Franciscum meum Bencium τὸν μακαρίτην, quem vnicè dilexit, & eius obitum deplorauit, epistolæ. Nunc testimonium Societati ab eo impertitum accipe. Epist. ad Franciscum Oranum Belgam. *Quid fratrem dicam, quem etiam nunc habes sacri illius, & fructuosi Ordinis, qui nominis, quod supra omne nomen est titulum gerit: in quo vel censeri laus est?* Epistola autem ad Iacobum Pontanum, quæ est Cent. III. Miscellaneæ 34. qua nihil humanius, καθ' ἀλληγορίαν quandam ex Homero petitam, se Societati salutem suam debere significat: cuius præceptis, institutisque olim eruditus fuerat: quæ illum in summis versantem periculis tutata sint, & præterita secum recordantem conseruarint. In rem præsentem venias licet. *O institutionem vestram, inquit, olim mihi vtilem: inhæret ea, & inhæsit: atque illa Pallas fuit. qua inter tempestates, immo naufragia seruauit hunc Vlyssem. Eadem iudicium, & sensum istum ad virtutes formauit, quas vtinam sic indipisci, vt sequi detur.*

Quid requiris amplius? Nos magni viri excellens ingenium, summamque doctrinam suspicimus, & prædicamus: nec de studijs nostris melius quenquam meritum statuimus. Ab eius autem idiotismo, & excogitata hęresi in scribendo, pluribus, &, vt opinor, iustis de caussis refugim⁹, & abhorremus. Virum quendam, in hac repub. principem, virum probè litteratum, & acri iudi-

cio

cio præditum, ac pænè omnibus huius memoriæ eruditis bene notũ, ipſiq́ue Lipſio amiciſſimum, atq; ab eodem compluribus epiſtolis pleno ore laudatum, hunc, inquam, profitentem meis auribus audiui: *malle ſe in ſcribendo Muretum, quàm Lipſium poſſe exprimere.* Adeo, cuius probabat ingenium, & ſcientiam ſummopere, eius nouitiam, & plus æquo exquiſitam, & affectatam dictionem non probabat. Sed de his in præſens ſatis.

XXXII. *Cur Poetica tenet globum, ſeu ſphæram in læua?*

SIc fingitur eius imago à quibuſdam, quod nihil vſquam gentium eſt in toto mundi ambitu, ſeu quæ ſupra lunam perpetua atque æterna, ſeu quæ citima ſunt mortalia, atque caduca, quæ non fuerint verſibus decantata; quod ex hiſtoria poetarum apparet. Ex Gyraldo *hiſt.* poet. lib. 1.

Cic. 1. de Orat. immenſitatem quandam materiæ oratori ſubijciens, ait ſimiliter licere Poëtæ quacunque de re velit carmen facere, cum ſit oratori ſimilis in multis. Vbi ſanè Poëtam, & Poeticen ſolo verſus artificio, & compoſitione, παχύτερον, καὶ σαφέστερον iuxta prouerbium, ad vulgarem captum videlicet definit. Eius verba ad hoc ζήτημα illuſtrandum profero. Eſt enim finitimus Oratori Poeta, numeris adſtrictior pauló, verborum autem licentia liberior; multis vero orandi

ornandi generibus socius, ac pæne par: in hoc quidem certè prope idem, nullis vt terminis circumscribat, aut definiat ius suum, quò minus ei liceat eadem illa facultate & copia vagari quà velit.

XXXIII. *Quid maximè oblectat animum?*

NIhil perinde, vt amicitia fidelis, & dulcis. Quantum bonum est, vbi sunt præparata pectora, in quę tutò secretum omne descendat: quorum cõscientiam minus quam tuam timeas: quorum sermo sollicitudinem leniat: sententia consilium expediat: hilaritas tristitiam dissipet: conspectus ipse delectet? Seneca de Tranquill. cap. 7.

XXXIV. *De tot Interpretibus, & Scholiastis Virgilij, & Horatij quid sentis?*

CErtum est Virgilium è veteribus habuisse explanatores non paucos, & eruditos homines, ex quibus sua, quæ in Saturnalibus super Virgilio affert, sublegit, & collegit Macrobius. Nũc præter pauca in Bucolica, & Georgica Iunij Philatgyrij nihil eorum est reliquum. Ex antiquis, si qui alij in Horatium scripserunt, soli Acron, & Porphyrio restant, non indocti. Cur porrò recẽtiores bene multi, & alij quidem iustis, ac plenis Commentarijs, alij Scholijs, alij Notis, alij Castigationibus hosce duos explanarint, & illustra-

rint, caussa manifesta est; vtriusque puta supra omnes poetas Latinos eminentia, quam tot, & tam præclara amborum elogia, laudationesque declarant. Quod de Homero ait Horat. *Qui nil molitur ineptè*, id iure de hoc binario dixeris: de quo ita iudicat vir multarum litterarum. *Cum sint duo clarissima Latinæ poeseos lumina, inter eos adeo ambiguum (licet in valde diuerso illius genere) palmam videri, vt si eorum altero priuari nos oporteret, vix apud nos statuere possemus, vtrius iacturam minus impatienter ferremus.* Omnia in illis ingeniosè, eruditè, sapienter, eleganter dicta, vt posteri quod imitentur haurire de tam limpidis fontibus queant. Quæ res bona, & magna ingenia excitauit, vt magis magisq; procedentibus annis ad eorum mentem, sensusque perscrutandos, & mysteria indaganda sese certatim darent, & velut de palma cõtenderent, dum posteriores antegressos, semper aliquid melius, occultius, rarius, eruditius, acutius, quò illi respexerint, & quod ante oculos habuerint in mediũ proferendo, superare conituntur. Quanquam, (vt, quod, mihi sæpe visum est, libere proloquar) in istis laboribus sæpenumero potius ingeniorũ suorum εὐστοχίαν, & quantum in litteris ipsimet profecerint, quàm quid Virgilius, & Horatius spectarint, & cogitarint, ostendunt: & ea Maroni maximè tribuunt, & affingunt, quæ fortasse scribenti in mentem nunquam venerunt. Qui enim fieri potest, vt tot res variæ, & interdum

minutæ

minutæ, in vnum verſum excogitatæ ſcribentis animum ſubierint? Potuit hoc; potuit illud, potuit vnum, potuerunt plura, potuit fortaſſe aliud etiam, quod adhuc Interpretum nemo vidit. Eſt ne credibile, in eo nullam ſyllabam; nedum verbum, nedum verſum ſuo carere myſterio? Quãtum, qui hoc affirmat, & eſt qui affirmet, negotiũ creat poetæ? Iſta ratione Æneidem bis vndecim annis vix abſoluiſſet, ſi ſingulas ſyllabas appendiſſet. Tam multi igitur Commentarij, Scholia, Notæ, Emendationes nobis ad eruditionẽ maiorem conducunt vehementer: nobis illi ſeuerunt; nos metamus licet: ad poetarum iſtorum mentem aperiendam pauciora vtiq; ſufficerent. Et ſanè magis auctoribus ſuis laudem cõciliant; quàm illorum poetarum laudes augeant: quæ quidem adeo creuerunt, vt vltra quò progrediãtur loci nihil relictum videatur. Cur, quæſo, Stati⁹; ſublimis ille; & celſus poeta Lipſio, & præ omnibus veteribus, ac recentibus Virgilianæ maieſtati propior Scaligero, cur Claudianus, tã rotundus, & venuſtus poeta diligentium, & bene litteratorum Interpretum luce deſtituti, in tenebris tandiu deſerti iacent? Gratiæ debebuntur magnæ Scoto cuidam, & alteri Hiſpano, & tertio Germano ſi præſtiterint quod promiſerũt. Promiſerunt autem omnes in vtrumque Commentarios. Quod deus opt. max. bene fortunet.

XXXV. *Cur litterati pituitæ, & atræ bili obnoxij?*

LItterarum cupidi etiam pituitam semper, & atram bilem, non aliter quàm nauigantes Scyllam, atque Charybdim cautissimè euitare debent. Quantum enim reliquo corpore otiosi sunt, tantum cerebro ac mente negotiosi. Inde pituitam, quod Græci phlegma, hinc atram bilem, quam ijdem melancholiam vocant, gignere compelluntur. Illa quidem ingenium sæpe obtundit & suffocat: hæc verò, si nimium abundauerit, flagrauerituè, assidua cura, crebrisque deliramentis vexat animum, iudiciumque perturbat: vt non immeritò dici possit, litteratos fore præcipue sanos, nisi pituita molesta esset, & lætissimos, sapientissimosque omnium, nisi bilis atræ vitio, vel mœrore sæpe, vel interdum desipere cogerentur. Ficin. de sanit. tuenda lib. 1. cap. 3.

XXXVI. *Unde mos, vt proficiscentes ad bellum Imperatores munus gladiatorium, & venatus darent?*

MVlti dicunt, apud veteres hanc deuotionem contra hostes factam, vt ciuium sanguine litato specie pugnarum Nemesis, id est, vis quædam fortunæ, se satiaret. Alij hoc litteris tradunt (quod verisimilius credo) ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, &

ar, & ferrum, & nudas inter se cohortes, ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut vulnera, & sanguinem perhorrescerent. Capitolin. in Max. & Balbino.

Munera proprie ad ludos gladiatorios pertinent, etsi venationes non excluduntur: dicuntur enim & venationes munera Vitruuio lib. 10. & Martiali, alijsq́. Vide lib. Spectaculor. epigramma 24. cum Comment. Raderi nostri.

XXXVII. *Quare multo maiora, & veriora æstate, quàm hyeme contemplamur?*

QVibus purius est cælum, eo acutiore sunt ingenio: &, vt inquit Cicero, perspicaciores sunt qui ad Orientem, quam qui ad Septentrionem habitant. Quod nulla alia de caussa prouenit, nisi quod actus mentis ex calore nascitur, & vigorem inde suscipit. Quare multò maiora, & veriora contemplamur æstiuo, quam hyberno tempore: quoniam brumali tempore ex crassitudine aeris hebetiores sumus, & frigore pigriores: vis enim ipsa mentis ab igni, id est, à cælo est: tametsi verissimum est, quod Iuuenalis ait.

Summos posse viros, & magna exempla daturos
Veruecum in patria, crassoq́; sub aere nasci.

Pierius libr. 54.

Sint ista vera per me, tempus quidē hybernum salubritati corporum magis quàm æstiuum conducere, ac studijs liberalibus esse aptius, neq;

XXXIX. *Qualis diæta præscribenda senibus?*

EVm omnino victum seruent senes, ex quo sanguinem plurimum sperent, spiritumque quam plurimum, ex vitellis ouorum recentibus, vino aliquantum quidem dulci, odorifero verò quàm plurimum. Nam hic vitellus propriè cordis sanguinem, vinum præcipuè spiritum recreat. Carnibus electissimis, coctuque facillimis, & summatim diæta vtantur, calidum pariter, atque humidum augente. Spiritum odoribus, præsertim vini, assiduè recreent. Vigiliam, atque inediam, sitimque deuitent, laborem corporis atque animi, & sollicitudinem, ac mœrorem. Musicam repetant, si forte intermiserint, nunquam intermittendã. Ludos quosdam, & mores, quoad decet, olim anteactæ pueritiæ reuocent. Difficillimum namque est reiuuenescere corpore, nisi ingenio prius repuerascas. Itaque in omni etiam ætate magnopere conducit ad vitam nonnihil pueritiæ retinere, & oblectamenta semper varia aucupari: longum verò, profusumq; risum minimè, spiritum namque nimis ad exteriora dilatat. Meminisse decrepitos expedit, naturam debilem non esse nutrimentorum pondere fatigandam, vel etiam epularum diuersitate nimia distrahendam: nam & iuuenilis ætas hoc vitio fit citò senilis. Diuidant ergo mensas: nec tam multa naturã alimonia, quam

frequenti reficiant, interuallo tamen interim ad digestionem dato. Senes hyeme velut oues aprica petant; æstate velut aues amœna, riuosq; reuisant. Frequenter inter virentes versentur plantas, & suauiter redolentes: hæ namque *viuentes*, spirantesque conspirant ad spiritum hominis augendum. Ad loca verò communiter apibus amica confugiant, mellaque hyeme degustent. Mel enim cibus est, senibus inprimis amicus, nisi vbi bilis timetur incendium Amicus caseus recentissimus, amici dactyli, ficus, passulæ, cappares, dulcia punica, zizipha, hyssopus, betonica, sed pistacia multo magis. Ad longæuitatem quoque cõducet, si viuant plurimum penes eos qui sani, ipsis sanis natura sunt similes, & amici, ac magis forsan, si paulo iuniores. Marsil. Ficin. De vita producenda cap. 8. & 12.

Si sexaginta annis definiretur summa, & morti vicina senectus non inepte Tiberius risisset sexagenarium, quia consuluisset medicum. Atqui multos etiam ad octogesimum vitam propagasse, nec sæpe medicorum auxilia implorasse certum est. Extrema iam senectute moriens apud Xenophontem Cyrus rex negat se unquam sensisse senectutem factam imbecilliorem, quàm fuisset adolescentia. Pleraque enim incommodorum ob quæ odiosa fit senectus, ab intemperantia iuuentutis prouenlunt: id quod & Cato apud Ciceronem testatus est. Porrò cruda, viridisque senectus, qualem notat in Charonte Vir-

gil. Medicis habetur ab anno L. ad LX. ut qui eousque negotijs tractandis, & sustinendis pares sint, Galeno ὁμογέροντες.

LX. *Quis bonus in disputando iudex, & quomodo disputandum?*

QVæ iustissima dicitur liberorum diuisio, hîc fit iniustissima. Istic enim suam quisq; prolem debet accipere: hîc teneri debet quod est optimum, etiamsi alienum sit. Quo fit, vt qui gignit opiniones, eo deterior fit alienorum iudex. Ac sicut Sophista ille dicebat, Eleos optimos fore Olympicorum certaminum arbitros, si nemo Eleus certaret: ita qui de disputatione aliqua rectè volet pronuntiare, par est ipsum nō ambire coronam, neque aduersari ijs, quæ sunt diiudicanda. Quippe & Græcorum duces suffragia ferentes de his, qui rem optime gessissent, seipsos singuli optimos pronunciarunt: neque vllus est philosophus, qui non eodem egerit modo, extra eos qui Socratis exemplo professi sunt, nihil se de suo dicere. Atque hi soli puros se, & incorruptos iudices veritatis præbent. Nam sicut aer in auribus contentus, si non tranquillus sit, propriæque vocis expers, sed sonitus ac fremitus plenus, non accuratè excipit vocem: sic in philosophia iudicium, si intus sit, quo commoueatur, & quod obstrepat, recte intelligere nequit ea, quæ foris dicuntur. Plutarch. Quæstion. Platonicis, q. 1.

Verè scriptum est à M. Tullio 1. Tuscul. in ipsa Græcia philosophia tanto in honore nunquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus, dissensionibusque viguisset. Sed illud etiam non falsum, Nimium altercando veritas amittitur. Quamobrem qui siue in philosophia, siue in alia quapiam arte, aut negotio disputant, & rationes conferunt, eiusdem Tullij consilio pareant, vt se redargui, refellíque patiantur. Quod ij ferunt animo iniquo, inquit, qui certis quibusdam, destinatisque sententijs quasi addicti, & cõsecrati sunt. Item vt refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia parati sint: & sibi persuadeant, cum differentium inter se reprehensiones vituperandę non sint, maledicta tamen, contumelias, iracundas contentiones, concertationesque in disputando pertinaces indignas philosophia videri, vt idem Tullius 1. de Finibus affirmauit. Nos autem hæc à viro prudenti in omni disputatione fugienda affirmare possumus. His consentanea Lipsius Manuduct. libr. 1. Dissertat. 5. Vetustissimi philosophantium (verba Clement. Alexand. ex 8. Stromat.) minime ad contendendum, vel differendũ ferebantur: sed hi noui apud Græcos ambitione vana, & inutili impulsi reprehendunt, & litigãt, & ad meras ineptias, nugasq; delabuntur. Non possum, Auditor, quin leuiter hic sistam, & pulcherrimum institutum laudem. Quo fine tot disputatiunculæ? ad vitam? non faciunt, ad ve-

rum? ſępe obruunt. ad exercitium? hoc non nego. Sed quanto utiliora olim, in quibus acuere, & producere hunc ingenij mucronē erat. Nam pleraque iſta circa verba, & minuta ſunt: & diu tamen impediunt, ac ligant. Ariſton olim pulchre hos tales cum ijs comparabat, qui cancros comedunt. Nam propter exiguum alimentum circa cruſtas, & teſtas diu occupantur. Tale hic. Atqui acuta ſunt. Quid dicis, ait Seneca ep. 44. nihil eſt acutius ariſta. Quædam inutilia, & inefficacia ipſa ſubtilitas facit. Iam ex notis Mureti in 2. de Finib. hoc auctarium accipe. Diſputationes, quibus perpetua oratione contra aliqua de re philoſophi in cœtu hominum explicabant, ſcholæ dicebantur. Cic. 1. Tuſcul. quinque dierum ſcholas, vt Græci appellant, in totidem libros contuli. Et lib. 5. Separatim autem certæ ſcholæ ſunt, de exilio, de interitu patriæ, &c. Plutarch. *τὴν γενομένην μοι σχολὴν, περὶ τοῦ ἀκούειν, ὦ Νίκανδρε, ἀπέσταλκά σοι.*

XLI. *Cur Alex. M. tantopere delectatus eſt Homero?*

VNi huic incumbebat, alios quamuis ſapientes negligebat, patrique Philippo cauſſam ſciſcitanti, ita apud Dionem Chryſoſt. orat. 11 de regno reſpondet. Ideo, pater, quod non quæuis poëſis regem decere mihi videtur, ſicut neque quoduis veſtimentum. Cætera quidem poëmata ego arbitror partim eſſe conuiuatoria, partim

tim amatoria, partim autem laudatoria athletarum, & equorum, qui victoriam sunt adepti. Alia etiam continent lamentationes super defunctis, alia autem risus, aut conuiciorum, & salium facta sunt gratia; vt sunt poëtarum Comicorum, & ea quæ Parius poëta fecit. Nonnulla forsan etiam popularia dici possent, consilia, & admonitiones vulgò, adeoque priuatis hominibus præscribentia: quemadmodum sunt (opinor) Phocylidis, & Theognidis. Ex quibus quid vtilitatis capere possit vir nobis similis, *Et præstare volens cunctis, atque imperitare*? Homeri autem poësin solam video ingenuam esse, & magnificam, & verè regiam: cui animum aduertere decet eum virum, qui maximè quidem imperaturus sit omnibus qui vbique sunt hominibus: quod si fieri non possit, quam plurimis, & maximè illustribus, verè futurus, vt ait ille, pastor populorum. Si minus, quomodo tamen non absurdum fuerit, quod rex equo quidem non nisi optimo vti velit, poëtarum autem vel infimis adhærere, quasi otioso illi esse liceat? Hoc scias velim, ô pater, me non solum alium poëtam, sed etiam aliud carmen quam Homeri heroicum audientem, dolore affici.

XLII. *Quamobrem matrem filiæ præcedunt, filij patrem sequuntur?*

QVia matres sunt certiores esse suos liberos, quam patres, Telemachus in Odyss. interrogatus

rogatus, num verè Vlysses pater eius esset, respōdet, matrem Penelopen ita affirmare, se nescire: nondum enim quenquam id certò scire potuisse. Deinde quia matres maiore cura obseruant, & diligunt liberos quam patres, propter dolorem, & laborem in ipsos. Adhæc, quia matres magis diligunt filias, quam filios, propter sexus similitudinem. Postremò cum maior castitas à sexu fœmineo, quam virili postuletur, maiore etiam cura custodiendæ sunt filiæ. Kornman. de Virginibus.

XLIII. *Cur qui oscitantem vident, & ipsi oscitant?*

QVoniam natura animantium, maximeque ratione carentium, propter similitudinem quandam consensum, itemq; affectum, & sympathiam habet. Atque ita fit, vt meiente vno asello cæteri item astantes meiant, cum sint vrina repleti. Alex. Aphrodis. Problem. 35. Æsopus huius νεήσεως aliam caussam, iucundam illam & ridiculariam affert, quam tibi propinabo. Asini olim, propterea quòd assiduè onera ferrent, & fatigarentur, legatos ad Iouem miserunt, solutionem laborum petentes. Qui ostendere ipsis volens, id non posse fieri, ait, tunc eos liberatum iri laboribus, quum mingendo fluuium fecerint. At illi eum verum dicere existimantes, ex illo tempore vsque nunc, vbi aliorum viderint vrinā asinorum, illico & ipsi circumstando meiunt.

XLIV.

XLIV. *Quare pauperibus ad magistratus non patet aditus?*

QVia egestas ad scelera, & maleficia impellit. Iuuenal. sat. 3.

—— iures licet & Samothracum,
Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur, & diuos dijs ignoscentibus ipsis.

Valer. lib. 2. Laudanda etiam populi verecundia, qui impigre laboribus, & periculis se militiæ offerendo, dabat operam ne Impp. capite censos rogare esset necesse, quorum inopia suspecta erat: ideoque his publica arma non committebantur. Sallust. in Catilin. postremò omnes quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat. Martial. ô *quantum cogit egestas?* Altera ratio est, quia paupertas, vt ait idē Iuuenal. ridiculos homines facit, adeoque despicabiles, quorum imperio nemo parere velit, & à quibus regi se diuites indignum arbitrantur. Tiraquell. de Nobilitat.

XLV. *Nunquid poëtæ mentiuntur?*

EA quidem vulgi est opinio. Sed falsa tamen (modò figmenta illa de transmutatione corporum tollas, quibus delectatio sola quæritur.) Non enim statim qui fabulas comminiscitur ac recitat, is etiam mentiri dicendus est. Neque mendax est nutrix, si vel blandiens alumno mel esse memoret cibum quem ille auersatur: vel co-

ereens improbulum minis, lupum adesse perhibeat. Non mentitur Æsopus apologos illos suos texens. Sunt ne igitur illa vera? Non sunt: sed quod à veritate abducitur, non statim mendacium est: fictum, fabulosum, simulatum, ioculare est. Nam mendacium propriè falsitate continetur fraudulenta, & ad alterius damnum, aut malum destinatur. Quod cum à poëtis non fit, quorum figmenta prosunt etiam, tantum abest vt noceant, nullo modo hi mendaces vocandi sunt. Nec vnquam illi sapientiæ nomen tueri possent, si verè mendaces perhiberentur. Ioan. Sturm. Nos in Poëticis Institut. lib. 2. cap. 6. ex Aristotele potissimùm, quo pacto poëta quamuis fingeret, non tamen mentiretur, & quid eius narratio, epica scilicet, ab historica narratione differret, perspicuè demonstrauimus.

XLVI. *Quare Deo nomen nullum congruit?*

AB humani ingenij sollertia singulari quadã vi indita sunt rebus nomina, vt vnius ab alia fieret discretio. Vbi verò vnũ sunt omnia, quod nam inibi nomẽ excogitaris propriũ? Trismegistus, Quia, inquit, rerũ vniuersitas est Deus, proprium eius esse nomẽ haud vllũ potest: quoniam aut omni nomine Deũ, aut omnia eius nũcupari nomine foret necessariũ: quando is simplicitate rerũ sua omniũ cõplicat vniuersitatẽ. Ex Rhodigin. lib. 1. cap. 1. Deum laudamus, & nomina-

mus ab ijs quæ illi insunt, & quibus caret, &c. Vide Theodoret. de curand. Græcor. affect. serm. 2. Iustin. in Exhort. Minutium Fælicem in Octauio.

XLVII. *Sunt ne mala θεόθεν, siue à Deo.*

MAlum aliud est culpæ, aliud pœnæ. Prius est à nobis, alterum à deo, cum peccatis nostris eius in nos iram prouocamus. Sed hoc ipsum quatenus à deo infligitur, in bonis numerari debet. Quinque enim fere sunt caussæ, propter quas Deus acerbitates quasdam, & incommoda immittit hominibus. Interdum vt eos ad bonam frugem, & ad sanctitatem reuocet: atque tum in malis non magis habenda sunt, quam remedia, & medicamenta, quibus medici leuare morbos, & amissam valetudinem restituere conantur. Interdum autem, vt exemplo eorum qui ob peccata pœnas luunt, alij sapientiores facti à peccando deterreantur. Nonnunquam etiam ab ijs quos amat, pro peccatis pęnas in hac vita exigit, ne post mortem aliæ sint eis, & grauiores luendæ. Interdum exercet eorum virtutem, vt magis appareat, & vt det eis materiam maioris gloriæ promerendæ. Postremò eos, qui volutati sunt in coeno vitiorum vsque ad mortem, neque aut indoluerunt propter perpetrata à se facinora, neque eorum vere, atque ex animo pænitentes operam dederunt, vt eorum veniam

niam impetrarent, eos, inquam, detrudit ad inferos, æternis supplicijs mancipatos. Atq; etiam hæc pœna in bonis numeranda est, quatenus à deo est. Quidquid enim iustum est, bonum est. Pœna autem illa iusta est. Ex quo efficitur, vt sit etiam bona. Muretus Comment. in 2. de Repub. Platonis.

XLVIII. *Quare Christiani mortuorum corpora lauabant, & vngebant?*

QVod hunc honorem beatæ animæ tabernaculo, & aliquando ad æternam fælicitatem resurrecturo habendum censerent. Item quod hac cærimonia se optare ostendebant, vt sicut corpus ab omni macula per aquam emundatur, ita & anima iam membris exsoluta, beneficio sanguinis Christi ab omni labe emacularetur. Præterea vt vnctioni mox secuturæ aptius foret. Nam quæ vngi debent, præsertim magni pretij aromatis, ea prius purgare oportet: vt quo mundius est corpus, eo vnguentum in corporis meatus facilius illabatur, & puriorem odorem exhalet. Vngebant autem eadem corpora, vt animæ iam exsortia diutius à corruptione conseruarentur. Hinc ea præcipuè vnguenta adhibebant, quæ hac vi præseruatrice prædita erant, in quibus myrrha, veterum scriptis non semel ob hãc dotem deprędicata. Quapropter corpora aliquãdo exenterabant, vt exemptis illis sordium, &

humorum receptaculis, ab omni putredine remotiora, & securiora euaderent: quod & hodie in Regum, Principumque cadaueribus obtinet. Nam hoc vnctionis genus ex amore, & honore erga defunctos, & erga ipsamet corpora, tanquã animarum Christi sanguine redemptarum domicilia, ex puluere ac cineribus olim excitanda processisse prisci scriptores monẽt. Ex Gretsero de Fun. Christiano lib. 1. cap. 2. & 4.

XLIX. *Quare post balnea vngebantur?*

NE humiditas in balneis acquisita euanesceret; neue reseratis à balnei calore meatibus natiua caliditas expiratet. Quanquam etiam alioqui delicatiores voluptatis, & lasciuiæ gratiæ odoriferis vnguentis, aut siccis diapasmatis ad comprimendum sudorem, vt scribit Plinius, post balneas vngerẽtur. Mercurial. de arte gymnast. lib. 1. cap. 8.


L. *Quam ob caussam secessus, & montes Musis adscribuntur?*

QVoniam à vulgo, & multitudine maximè remoti sunt poetæ, nec ventosæ plebis (nisi vrbici quidam, & circumforanei nebulones) suffragia venantur: boni enim bonorum, & intelligentium iudicio contenti sunt. Cic. in Bruto: poẽma reconditum, paucorum approbatione, oratio popularis ad sensum vulgi debet moueri

fieri. Adducit exemplum Antimachi poetæ, qui cum conuocatis auditoribus legeret magnum illud volumen suum Thebaidos, & eum legentem omnes præter vnum Platonem reliquissent, legam, inquit, nihilominus: Plato enim vnus est mihi instar omnium. Gyrald. dial. 1. de poetis.

LI. *Cur Deus animam tantæ dignitatis cum tam vile corpore coniunxit?*

VVlt nos, cum dei particula simus, ac desuper fluxerimus, ne tanta dignitate elati atq; inflati, nostrum contemnamus creatorem, in luctatione, & pugna, quæ nobis est cum corpore, in ipsum semper respicere, & annexam imbecillitatem dignitatis institutionem esse, ac disciplinam: vt intelligamus eosdem nos & amplissimos esse, & contemptissimos, terrestres & cælestes, mortales & immortales, hæredes lucis & ignis, seu tenebrarum, prout ad hanc, vel ad illam partem inclinauerimus. Talis est nostra mixtio, & hanc ob caussam, quantum ego dispicere possum, conflata, vt, si quando extollamur propter imaginem, ob puluerem contrahamur. Greg. Nazianz. orat. de amandis pauperibus.



SYNTAGMA SEPTIMVM.

AVCTARIA, SEV MANTISAE.

AVCTARIVM PRIMVM. Ad Historias.

I. *Othonis Truchsesij Cardinal. zelus, Antonij Fuggeri liberalitas eximia.*

ANno Christi MDLIX. Ferdinand. Rom. Imp. comitia Augustæ habuit. Quo tempore in æde principe Carolo V. parentatum est, Othone Cardinale rem diuinã faciente. Sacris illis funebribus Protestantium Principum, & ciuitatum Legati interesse recusarunt: interfuit Electoris Palatini solus. Cumque ad aram offerentibus ab eodem Othone sacra patina (vt mos in huiusmodi celebritatibus) osculanda porrigeretur, Legatus ille accedere, quanquam amicè inuitatus, & hoc pio officio fungi detrectauit. Tum ira, & zelo catholico accensus Cardinalis altiore voce, *Si non vis benedictionem, habeto maledictionem.* Exaudiuit Deus imprecationem Sacerdotis sui. Nam vt à viro graui, & fide digno mihi narratum est, hic Legatus postea in acer-

bas calamitates deuolutus est. Gratia Principis sui excidit. Filijs breui sublatis, vxor adulterio se polluit. Paupertas, onus miserum, & graue, vt ait Comicus, eum oppressit: vt alienas terras cum paucis gemmis, quas sui sustentandi venderet, obire cogeretur.

Antonius Fuggerus, cuius filij Marcus, Ioannes, Iacobus, & Hieronymus, opibus abundauit, vt qui amplissimè. Hic vt sanitatem amissam à Deo reciperet, sese in pauperes liberalissimum præbuit. Singulis in Xenodochio, & in tribus publicis leprocomijs degentibus quaternos aureos numerari iussit. Item in patresfamilias, viduas, & egentes, qui ἐνοίκιον soluere nequirẽt, mille taleros expendit. Totidem aureos vagantibus per vrbem mendicis destinauit. Præterea die parentationis suæ ad S. Catharinæ singulis mendicis, & pauperibus pro stipe VI. cruciferos dari voluit. Capitum numerus quater mille fuit. Fertur & Carolo V. aliquot centena aureorum millia, sibi ob bellum Schmalcaldicum debita remisisse, & syngrapham eius ipso inspectante exussisse. Tum Imp. mirè lætum dixisse, se in omni vita sua suauiorem odorem non sensisse. Rem credibilem diuitiarum eius immensitas facit. Quod auditione accepi, bona fide retuli.

II. *De gratissima Ciconia aduersus bene meritam.*

TArentina mulier fuit, nomine Heracleis, Quæ æstiuo anni tempore ciconijs pullorum suorum volatum experientibus, cum vnus & infirmissima ætate, & alarum debilitate delapsus, alterum crus fregisset, eiusmodi casum intuita, se cognito morbo misericordem præbuit. Nam ei vulnus blandè, cautèque obligauit, & medicamentis, ciboque, & potione adhibitis cicatricem obduxit, & ad incolumitatem perduxit, atque iam ad volatum confirmatum, è manibus dimisit. Hæc admirabili naturæ intelligentia non ignorans, se vitæ conseruatæ præmium mulieri debere, anno post, cum ad vernum solem forte apricantem eam, quæ sibi benignè fecerat, perspexisset, demisso, atque humili volatu proximè ad ipsam profecta, in eius sinum lapidem euomuit; deinde in tecto subsedit. Cuius facti admiratione commota Heracleis, dubitabat quid istuc esset. Cum igitur lapidem intus alicubi deposuisset, nocte insequenti somno soluta, eum fulgere, & radiatam domum tanquã immissis facibus ex eo resplendere perspexit: vbi verò Ciconiam comprehendisset, & vulneris cicatricem percepisset, hanc agnouit eam esse quam miseratione commota curauisset. Ælian. lib. 8. de animal. cap. 22.

III. *Depositio Beanorum Athenis.*

DD. Gregorius Nazianzenus, & Basilius Magnus, par amicorũ nobilissimũ, A-

thenas studiorum liberalium caussa se contulerunt. Vbi qualis consuetudo per id tempus fuerit studiosos Musis initiandi, & consectandi, Gregor. in eiusdem amici sui copiosissima, & doctissima laudatione ad hunc modum exponit, & solum fere communi lege solutum honoris caussa fuisse ait. Cum iuuenis quispiam accesserit, atque vel libens, vel inuitus in eorum à quibus captus est manibus, & potestate fuerit, tum verò Attica hæc illis consuetudo est, ludusque rei seriæ admixtus. Primùm apud eorum aliquẽ, qui priores ipsum arripuerint, hospitio accipitur, vel amicorum, vel propinquorum, vel qui eiusdem sunt patriæ, vel qui artem Sophistices apprimè callent, ac lucra magistris conciliant, eoque nomine in summo apud eos honore ac pretio sunt; quandoquidem illis mercedis loco est, habere qui ipsorum commodis studeant. Deinde à quouis volente cauillis lacessitur: quod quidem, nisi fallor, eò faciunt, vt nouitiorum fastum, & superbiam retundant, atque à principio ipsos in potestatem redigant. Lacessitur autem ab alijs impudentius atque audacius: ab alijs eruditius, prout ille vel rusticis, & ineptis moribus, vel vrbanitate fuerit preditus. Atque id ignaris quidem terribile, atque inhumanum videtur: ijs autem periucundum, suauitatisque plenum, quibus non ignota est ea consuetudo: plus enim terroris habet hæc minarum ostentatio, quam res ipsa. Tum per forum ad balneum

cum pompa deducitur. Pompa autem hoc modo se habet. Qui deducendi iuuenis munere funguntur, ordine dispositi, atque æquis spatijs distincti, bini eum ad balneum antecedunt. Cum autem propius accesserint, quasi fanatico furore correpti, clamorem ingentem tollentes (hic autem clamor iubet, vt vlterius progredi desinant, ac loco suo consistant, tanquam eos balneum minimè admittat) simulq; fores pulsantes, & iuuenem strepitu perterrentes, ac deinde introeundi potestatem ipsi facientes, ita demum in libertatem eum asserunt, atque à balneo redeuntem deinceps vt æqualem, ac sodalem accipiunt. Atque hoc ipsis est totius cærimoniæ iucundissimum, nimirum & his qui molestiam exhibent, quamprimum liberari.

IV. *Dinocratis architecti sollers commentum aditus ad Alexand. consequendi.*

Dinocrates architectus cogitationibus, & sollertia fretus, cum Alexander rerum potiretur, profectus est à Macedonia ad exercitum, regiæ cupidus commendationis. Is è patria à propinquis, & amicis tulit ad primos ordines, & purpuratos litteras, vt aditus haberet faciliores, ab ijsq; exceptus humanè, petijt vti quamprimum ad Alexandrum perduceretur. Cum polliciti essent, tardiores fuerunt, idoneum tempus exspectantes. Itaque Dinocrates ab ijs existimans se illudi, ab se petijt præsidium. Erat enim

nim amplissima statura, facie grata, forma dignitateq; summa. His igitur naturæ muneribus confisus, vestimenta posuit in hospitio, & oleo corpus perunxit, caputq; ornauit populea fronde, læuum humerum pelle leonina texit, dextraque clauam tenens, incessit contra tribunal regis ius dicentis. Nouitas populum cum aduertisset, conspexit eum Alexander, & admirans iussit ei locum dari, vt accederet, interrogauitque quis esset. At ille, Dinocrates, inquit, Architectus, Macedo, qui ad te cogitationes, & formas affero dignas tua claritate. Ex eo Dinocrates à rege non discessit, & abeuntem in Ægyptum est prosecutus, qui eum iussit suo nomine ciuitatem Alexandriam constituere. Vitruuius, præfat. lib. 2. Patricius de regis institut. lib. 8. Tit. 19.

V. *Alamundarus Agarenorum princeps, quomodo Deopaschitas sollerter confutarit.*

IMperante Anastasio Dicuro (sic appellato, quod dissimiles pupillas, vnam nigricantem, alteram albicantẽ haberet) Alamundarus Agarenorum, seu Saracenorum rex ab orthodoxis institutus credidit, & baptizatus est, ad quem Seuerus episcopus Antiochenus duos misit Episcopos, vt eum ad suam hęresin pertraheret. Qui cum docerent duas Christi naturas in vnam esse confusas, vnde colligeretur, etiam deitatem

Christi cum carne passam esse, ille conuicturus eos, vt qui absurda dicerent, quendam ex domesticis subornat, qui sibi aliquid in aurem diceret. Quo facto, tetrico vultu mœrorē præ se ferens, eius caussam sciscitantibus Episcopis, nūtiatum sibi esse respondit Michaelis archangeli obitum. Quem nuntium cum illi falsum esse asseuerarēt, neque enim mori posse archangelum, subijcit ille: si igitur angelus non moritur, qua ratione vos affirmatis deitatem & passam, & mortuam, cum carne contemperatam, & confusam, & in vnam naturam conflatam? Ex hoc dicto Episcopi hominis acumen admirati, spe traducendi eius in suam opinionem abiecta discesserunt. Zonaras Tomo III. Niceph. lib. 16. cap. 25.

VI. *Cupiditas laboris supra facultatem, & odium debitæ quietis, ac spes vitæ longioris.*

DVo huius vitij exempla in medium producemus. De quodam Turannio Seneca de breuitate vitæ cap. 20. in hunc modum. Turannius fuit exactæ diligentiæ senex, qui post annū nonagesimum, cum vacationem procurationis à C. Cæsare vltro accepisset, componi se in lecto, & velut exanimem à circumstante familia plangi iussit. Lugebat domus otium domini senis, nec finiuit ante tristitiam, quā labor illi suus restitutus est. Adeonè iuuat occupatum mori? Idem plerisque animus est: diutius cupiditas illis

..is laboris, quam facultas est: cum imbecillitate corporis pugnant; senectutem ipsam nullo alio nomine grauem iudicant, quam quod illos se- ponit. Interim dum rapiuntur & rapiunt, dum alter alterius quietem rumpit, dum mutuò sunt miseri, vita est sine fructu, sine voluptate, sine vllo profectu animi: nemo in conspicuo mortem habet, nemo non procul spes intēdit. Huic narrationi persimilem in Notis affert Muretus de mercatore quodam Parisiensi, cæteroqui viro bono, sed qui tota vita nihil vnquam vacui temporis à litibus forensibus habuisset: etiamq; tunc capularis senex fora omnia quotidie peruagaretur. Quod cùm ad Franciscum Galliarum regem perlatum esset, quietis se aliquid misero homini confecturum, & cum omnibus, tum quiquid ab ipso peterent, tum à quibus ipse peteret, bonis, & æquis conditionibus transacturum recepit. At infælix senex ad regem accurrit, prouolutusque ad illius genua supplex orat, vt sibi vna saltem, aut altera lis, in qua se exerceret, relinqueretur: vitam sibi, adempta illa exercitatione, iniucundam, & insuauem fore. Risit rex: & homini, qui quiescere nisi inquietus non posset, lites suas, vbi se arbitratu suo defatigaret, reliquit.

VII. *Factum viri Religiosi, honorem fugientis Christianissimum.*

ipse aulæ valedixisset, boni isti aulici castigatore suo liberarentur. Quocirca malo nodo malum quærens cuneum, & ad officium adducere illũ cupiens: equidem, ait, hactenus vitam egi tranquillam, & in paupertate mea ad victum nihil mihi defuit. Porrò celsitudo tua me in curas arduas, & in æs alienum conatur conijcere, quando nec obolus suppeditat, quem Pontif. max. ex more pro media annata (id est, pro dimidio redituum episcopatus primi anni) persoluam. Hoc audito Princeps lætior factus, hanc quidem ob caussam nihil est, inquit, quod detrectes. Hodie ante quam sol occumbat quatuor ducatorũ millia tibi mittam; qua summa istuc nomen dissoluere queas. Annuit. Promissor promissa præstat: iamque voti compos, vt credebat, gradum ad regem fert; quid egerit, quid profecerit exponit. Cui rex, quam vereor tibi verba data? Interea Monachus num, & quibus pecuniam Princeps debeat, sedulò inuestigat: creditores ad se vocat, ijsque pro Principe illo illa 4. ducatorum millia dispertit. Die festo in regiam, munus suũ obiturus veniens, quibusdam proceribus, quanto Principis illius studio teneatur significat: addítque se ipsi singulari modo gratificatum esse, vt ex hoc & illo (creditores nominabat) sit intellecturus. Rumore per aulam diuulgato, cum iam satis constaret Concionatorem hunc ab omni dignitate penitus abhorrere, & hac donatione sibi facta Principis conscientiam pridem

conuulneratam sanauisse, omnes eum vt germanum,& probatum IESV CHRISTI concionatorem exclamarũt: siquidem cum concionibus eius facta ipsa præclare cõgruerent. Ex Francisci de Ossuna libro Germanico ex Hispanico, cui titulus Solatium pauperum.

VIII. *Principum duorum in ludo, & hilaritate, alius in ira feruente facta contraria.*

PTolemæus Ægypti Rex aleam ludens caussas capitales cognoscere; & sontes ad mortem cõdemnare consueuerat. Aliquando ei nomina damnandorum, cum criminibus è libello recitabantur, cum assidens Berenice vxor non passa ad finem perueniri, rapto libello de pueri manibus, regem grauiter, & seriò monuit, non aliud agendo; & quasi per transennam de vita hominis decernendum: inter tesseras, & corpora humana magnum esse discrimen. Admonitione sapienti delectatus rex, nihil tale in posterum commisit. Ælian. lib. 14. cap. 43. Accepi & Reginam quandam vitę liberiori deditam, in maxima lætitia sua, cum nimirum choros duceret, allatis ad se reorum, & ad crucem damnatorum nominibus (si modò reorum, & iure damnatorum) auctoritatem suam subscribere solitam. Vespasianus Imp. contrà solebat, si Suetonio credendum, cap. 21. Nullo tempore facilior, aut indulgentior inueniebatur, quam cum in balneum, tricli-

silcliusumue transiret: eaque momenta domestici ad aliquid petendum magnopere captabãt. Docuit & D. Ambrosius vir magni, & excelsi animi Theodosium M. ex Thessalonicensi facinore frenis,& catenis iracũdiam coercere. Cum enim irasceretur summopere, tum placabatur facillimè, seseque præbebat clementissimum. Socratem quoque ferunt adeò iram dissimulare consuesse, vt tum potissimum renideret, & fracta, ac leni voce vteretur. Quid Antoninus, aliàs Caracallus? Scribit Spartianus, tantæ immanitatis fuisse, vt ijs præcipue blandiretur, quos ad necem destinabat. Itaque magis eius blandimentum, quam ira timebatur.

AVCTARIVM SECVNDVM.

Ad Ritus.

I. *Sacra abstemia.*

ATheniensees, teste Polemone, sobria, siue abstemia potius sacra (νηφαλίους σπονδὰς vocabant) Memoriæ, Musis, Nymphisque, quę sacrosancta illius erant numina, offerenda esse putarũt, nullo vini vsu. Sic eius meraciore potu memoriam obnubilari, ingenij aciem obtundi, virginitatis secreta tentari demonstratione symbolica ostenderunt. Iun. cent. 5. prouerb. 1.

II. *Ventriculus mortuis exemptus.*

Aegyptij

Ægyptij quantopere propter ventris saginam inquinetur anima, mystico quodam symbolo significare voluerunt. Quoties namque medicatum aliquod funus apparabatur è prima nobilitate, mortuum condientes, seorsum eximebant ventriculum, eumque in arculam seponebant. Deinde cum pollinctor elato funere cadauer ad solem obuertisset, defuncti nomine Solem, cælitesque omnes insigni elogio contestabatur, inquiens. Sol, rerum domine, vosque cælites, qui mortalibus lucis vsuram largimini, me accipite, & cælestibus contubernalem addite. Equidem piè, ac religiosè numina à maiorib⁹ mihi commonstrata semper, dum vixi, excolui: geniturae meæ auctores semper honoraui: hominem occidi neminem, aut deposito fraudaui; nec aliud quidquam infandum patraui. Quod si quid à me peccatum est edendo, bibendoúe, quod non oportuerit, id omne non mea, sed huius caussa commissum est: simulque cum dicto arcam, in qua ventriculus iacebat conditus, digito commonstrabat, mox in profluentem sublatam porriciebat, corpusque reliquum, vt purum, labisque immune condebat. Tanta cum religione excusandam esse apud deum putarunt illi contractam è cibo, potuque maculam animæ. Idem ibid.

III. *Effugium, seu auersio mali ominis.*

Pvtarunt stulti veteres, cum aliquot triste signum apparuisset, posse id facile eludi, & quod

quod ostendebat periculum effugi, si vel verbis, vel aliquo facto indicarent, se omen non accipere, sed abominari. Verbis quidem, cum dicerent, εἰς κεφαλήν σοι in caput tuum: quæ abominandi formula frequens est apud vtriusque linguæ scriptores. Re verò, aut facto aliquo detestabantur, id quod portendebat sinistrum aliquid insectantes. Cum enim vel auis inebra, vel aliud infaustum animal occurrisset, periculo se defunctos putabant, si id lapidibus perijssent, & contigissent. Augus. lib. 2. de Doct. Christiana. Plerumq; tam superstitiosi sunt quidam, vt etiã canem, qui medius interuenerit ferire audeant. Planissimè verò Dio Chrysost. orat. XXXIV. Apul. Milesia 3. Quid quod istas nocturnas aues, cum penetrauerint larem quempiam sollicite prehensas foribus videmus affigi: vt quod infaustis volatibus familiæ minantur exitium, luant cruciatibus? Simili ratione iste superstitiosus conspecta fele tres lapides in eam iacit: vt nimirum quod malum videbatur protendi, id in ipsius felis caput reijcere se hoc facto testaretur. Casaub. in charact. Theoph.

IV. *Præceptorum honos*

PRæceptores, seu duces, quos in doctrina sequebantur, ἄνακτες, & βασιλεῖς, & dominos appellabant. Euripid. Ὀρφέα τ' ἄνακτ' ἔχων. Ian. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap 9.

V. *Aures lympha pura expiatæ.*

SI qui impuriora verba funditabant corã ſan-ctorum morum verecundia præditis, eorum aures polluiſſe dicebantur. Tacit. Annal. 3. Si P.C. vnum id ſpectamus, quam nefaria voce Laturius Priſcus mentem ſuam, & aures hominum polluerit; neque carcer, neque laqueus, nec ſeruiles quidem cruciatus in eum ſuffecerint. Rufin. lib. 3. cap. 6. Beatos diceres eos, quibus contigit interijſſe priusquam talium malorum polluerentur auditu. Itaque quemadmodum corpus contaminatum, ſic δι' ὤτων μεταλαβόντες τῆς ἀτοπίας τὸν λόγον, tanquam ex adhærente, ac reſidua impuritate infectas, ac profanatas aures puris lymphis expiabant, non quauis aqua, inquam, ſed ῥευστικῇ fluente, vtpote minus participe ſordium; ſicque ἀφοσιώσει maximè idonea, ac deniq; lucida. Idem cap. 10. in quo veterum verecundiam in verborum obſcœnitate vitanda ex auctorum locis probat.

VI. *Monſtra, prodigia, ſomnia, fulmina procurabant.*

SOlebant monſtra, & prodigia hoſtijs procurare, idque ex conſilio, & præſcripto augurum, & aruſpicum, Quindecimque virorum, qui libros Sibyllinos ſuper hac re adibant, & inſpiciebant: vt ſcilicet auerruncaretur malum quod minabantur. Neque tantum in portentis ac prodigijs, ſed etiam in ſomnijs paulo triſtioribus procurandis, expiandisque mirè ſuperſtitioſi erant. Tibull. lib. 3. eleg. 3.

Et vanum metuens hominũ genus omina noctis
Farre pio placant, & saliente sale.
Et libr. 1. eleg. 5.
Ipse procuraui, ne possent saua nocere
Somnia ter salsa deueneranda mola.

Et fulmen procurabant. Ritershuſ. in Phædri fabulas.

VII. *Festis dedicationis, & natalibus SS. martyrum epulationes.*

DEdicationis festo Gẽtiles, & Christiani epulabantur. Plin. ep. 1. li. 4. Templum pecunia mea extruxi; cuius dedicationem, cum sit paratum, differre longius, irreligiosum est. Erimus ergo ibi dedicationis die, quem epulo celebrare constitui. Greg. Mag. lib. 10. ep. 71. Nam vt die dedicationis, vel natalis SS. Martyrum religiosis conuiuijs solemnitatem celebrent. Attamen cum postea licentius grçcarentur in honorem Sanctorum, & huiusmodi compotationibus se illorum gratiam demereri crederent, ea conuiuandi licẽtia publicis legibus coercita est. Plura Sauaro in epist. Sidonij 15. lib. 4.

VIII. *Sine sacris hæreditas*

APud Plaut. in Capt. est solida, sine detrimento, atque imminutione vlla hæreditas. Mos enim fuit maioribus, vt quisquis in bona succederet, is quoque sacra gentilitia celebrare teneretur, quæ non exiguis constabant impendijs. Calcag. de verb. & rer. signif.

IX. *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.*

VEtustissimi Hebræi deum nominantes addebant mentionem Patrum, vocabantque deum Abraham, &c. vt cauerent ne posteritas acciperet peregrinas religiones, sine testimonio eius verbi, quod Patres minimè ambiguis signis acceptum de cælo posteris per manus tradidissent. Philipp. Memorabile quod retulit Origenes lib. 1. contra Celsum Epicureum philosophum, religionis Christianæ calumniatorem. Abrahami nomen non in solius Mosis scriptura legitur, vt Deo familiaris; verum etiam multi ex ijs, qui excantant dæmonia, verbis suis inferunt illud DEVS Abrahami, indicantes hoc nomine familiaritatem eius cum Deo. Quapropter assumunt verbum hoc, etiamsi nesciant quis fuerit ille Abraham. Idem dicendum de Isaac, & Iacob, & Israel, quæ cum ex confesso Hebræa sint vocabula, frequenter sunt interspersa Ægyptiorum disciplinis efficacioribus. Eadem repetit lib. 4.

X. *Verbum* VIDETVR *in iudiciis.*

FOrmula sollemnis, qua iudices non esse aliquid, sed videri dicebant. Consideratissimũ verbum Cic. appellat pro Flacco, cui opponit, compertum habere. Eadem formula vsi etiam in iudicijs domesticis, & inter priuatos parietes.

Plin.

Plin lib. V. epist. 1. Ex consilij sententia pronuntiat, VIDETVR. Etiam in religione, & augurum decretis, teste Cic. 2. de Diuinat. Scip. Gentil. in Apol. Apuleij.

XI. *Mos veterum Oratorum.*

CVm litteras aduersariorum, vel aliorum in iudicio, vel in concione legi iuberent, ad singula prope verba interloquebantur, refellendi, vel exagitandi causa. Exemplum pulcherrimum Philipp. XII. Scip. in Apul.

XII. *Ad sacra attrectanda lauabant manus.*

PLaut. Aulul. *Ego, nisi quid me vis, eo lauatum vt sacruficem.* Liuius lib. 45. Cum omnis sacrorum præfatio eos, quibus non sunt puræ manus, sacris arceat. Seneca Hercul. Fur. *Nate, manantes prius Manus cruenta cæde, & hostili expia.* Hesiod. in Erg. vetat ne quis manè aut Ioui, aut alijs dijs libet χερσὶν ἀνίπτοισι, illotis manibus. Sed aqua quæ ex ritu erat huic ablutioni necessaria, aqua iugis, perennis, non pluuia, aut stagnans, aut torrens. Virgil. 2. Aeneid.

Tu, genitor, cape sacra manu, patriosq; penates.
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Viuo rore dixit Ouid. 4. Fast. viua lympha Valer. Flaccus. Apud Liuium lib. 1. Antistes Romanus

Sabinum illotis manibus bouem Dianæ immolare parantē ita alloquitur. Quid iam tu hospes paras inceste Dianæ facere? quin tu ante viuo perfunderis flumine? infima valle præfluit Tibris, &c. Lud. Cerdius in 2. Aeneid.

XIII. *Præda vnum in locum congerebatur.*

SOllemnis mos militaris. Solebant enim victores vnum in locum coniungere omnem prædam, quò militibus gratum quoddam spectaculum præberent. Liuius lib. 45. Spectaculo fuit ei, quæ venerat, turbæ, non scenicum magis ludicrum, non certamina hominum, aut curriculā equorum, quam præda Macedonica omnis, vt viseretur, exposita: statuarum, tabularumq́; textilium, & vasorum ex auro, & argento, & ære, & ebore factorum. Idem lib. 40. eo loci, quo Chalcis à Romanis capitur, & diripitur. Præda omnis primùm in forum collata; deinde in naues imposita, &c. Idem ibid. ad locum Virgilij. *Et iam porticibus vacuis Iunonis asylo, &c.*

XIV. *Grammatici qui dicti.*

GRammaticorum nomine olim significabāt non puluere scholastico sordidos, aut syllabarum minutias aucupantes: sed illustres viros, doctos, atque omni genere eruditionis excellētes. Rectè Cassiodor, Grammaticorum schola glo-

gloriosa mater facundiæ. Ex Dempstero in Corippum.

XV. *Custodia virginum.*

VIrginibus ædiculis suis, seu thalamis conclusis neque licitum, neque fas fuit sine venia matris, sine comitatu nutricis pedem efferre, nisi illas communis festiuitas, lætitiaque euocasset. Stat. Achilleide raram vocat licentiam.

Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum
Forte diem, placidoq́; sata Lycomede sorores
Luce sacra patriis (quæ rara licentia) muris
Exierant.

Idem affirmat Claudian. lib. 2. in Eutropium.

Qualis pauperibus nutrix inuisa puellis
Assidet, & tela communem quærere victum
Rauca monet, festis illæ lusisse diebus
Orant, & positis æquæuas visere pensis,
Irataq́; operi iam lasso pollice fila
Turbant, & teneros detergunt stamine fletus.

Machab. 2. cap. 3. κατάκλειστοι, domi conclusæ dicuntur. Non solum autem foras prodeuntes sectabantur, & custodiebant nutrices, verum etiam senes sancti, ac seueri, vt videre est Phœniss. Euripidis, &c. Ian. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 15.

XVI. *Trabes, & lacunaria inaurata, & cælata.*

Non tantum inaurata erant lacunaria, sed etiam insigni artificio variè cælata, ac distincta, vt ars pretium superaret. Ennius Andromeda.

Septum altisono cardine templum,
Vidi ego, astante ope barbarica,
Tect... cælatis, laqueatis, ebore atque auro
Instructum regificè.

Horat. Ode 18. lib. 2.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Papin. Lacrymis Hetrusci. *Quod domuum celsis niteat laquearibus aurum.* Vide eundem cap. 24. à quo miror prætermissũ Virgilij locũ 2. Æneid. vbi de expugnata regia Priami, *Auratasq; trabes veterum decora alta parentum Deuoluunt.*

XVII. *Quomodo prensarent Romani.*

Romæ candidati magistratum ambientes prensabant, cum dexteram obuijs porrigerent, multosque prensarent, ac nominatim appellarent, adhibito etiam seruo Nomenclatore hinc dicto, qui latus interdum foderet, & Quiritium nomina suggereret. Vilibus adhæc hominibus interdum prehensa manu etiam callosa, ac sordida blandiebātur. Hunc quidem fratrem appellando, illum natum, alium parentem, ac pro singulorum ætate, ac dignitate præter decorum cunctis adulantes ineptissimè faciebant

eiebant. Andr. Schott. Nodor. Ciceron. lib. 4. cap. 1.

XVIII. *Scæua verba fugiebant.*

NEfas erat prisca superstitione scæua verba proferre, ne vitiarentur sacra. Hinc mactare pro occidere, adolere pro incendere, fuisse, abijsse, vixisse pro morte obijsse. Mactare enim κυρίως pro augere: & macte magis aucte. Hinc illud eorum, qui sacris operantes vinum libabant, Macte hocce vino inferio esto, &c. Idem cap. 4.

XIX. *Numinis reuerentes cum improbis non nauigabant.*

SEmper vectores aduersa tempestate timidi ac perterriti, causam procellæ soliti adscribere impietati alicuius eorum qui in naui. Exemplũ nobile in Iona, & item alterum in Diagora, ac similibus. Propterea qui erant numinis reuerentiores, haud temere cum notæ impietatis hominibus nauigabant. Horat. Ode 2. lib. 3.

Est & fideli tuta silentio
Merces. vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcana, sub ijsdem
Sit trabibus, fragilemq; mecum
Soluat faselum. sæpe Diespiter
Neglectus, incesto addidit integrum.

Casaub. in Charact. Theoph.

XX. *Sannæ tres modi.*

HOs describit Persius sat. 1. Primus, cum indice digito in eum deiecto quem ridebãt, crebra eiusdem curuati motatione ciconiam rostro pinsentem imitabantur. Hanc sannam vocabant ciconiam: vel propter longum huius auis rostrum: vel quia symbolum est non solum grati animi, verum etiam prudentiæ. Hanc eandem sannam aliter paulo exprimit D. Hieron. ep. ad Rusticum monachum, & præfat. in Sophon. prophet. Alter modus erat, cum eis quos asinos esse significare volebant, apposito temporibus pollice, & manu commota sannam faciebant. Ratio huius est, quia solus fere ex animalibus homo aures à natura accepit immobiles, asinus contra maximè mobiles. Tertius modus linguã exertare ad contumeliam alicuius, mos vetustissimus, vt apparet ex historia illius Galli, qui cum Manlio Torquato pugnauit apud Liuium lib. 7. & Gell. lib. 9. cap. 13. Idem Comment. in Persium, sat. 1.

XXI. *Picturæ in iudicijs adhibitæ. Tabellæ votiuæ.*

QVia magis afficiunt quæ oculis, quam quæ auribus percipiuntur, ideo picturam adhibebant ad mouendam misericordiam, non naufragi solum, quod multi testantur, (& Persius, *cum fracta te in trabe pictum Ex humero portes*)

sed

sed etiam patroni quidam in foro. Auctor Quintil. lib. 7. Sed non video, inquit, probauerim quod factum & lego, & ipse aliquando vidi, depictam tabulam supra Iouem (is locus in foro) in imaginem rei, cuius atrocitate iudex erat commouendus. Argumentum tabularum huiusmodi habes apud Lucian. initio lib. de mercenarijs conuictoribus. Similes erant tabulæ quas dijs dedicabant & qui naufragio euaserant, & quicunque alio insigni periculo fuerant liberati: quocirca dicit Iuuenal. sat. 12. *pictores quis nescit ab Iside pasci?* Hinc ortus ille mos veterum Christianorum, vt qui è morbo conualuerant, illi sancto, cuius ope & precibus se credebant sanatos, donaria suspenderent ex auro, vel argento, vel viliore materia, imaginem habentia partis quæ fuerat affecta. Narrat Theodoret. octaua Therapeutica. Idem Casaub. ibid.

XXII. *Statuæ tyrannorum, & damnatorum.*

Lamprid. in Elagabalo. Statuarum eius titulos luto tegerent, vt fieri solet de tyrannis. Euseb. lib. 9. in extremo de Maxentij imaginibus. Cum erant fusiles statuæ, ijs conflatis, vasa ad obscœnos vsus interdum inde conficiebant: vt Athenienses olim matulas è statuis Demetrij Phalerei, teste Laertio. Mos luto inquinandi antiquissimus est, & qui, si credimus Græcis Grammaticis, ab Atheniensium institutis habet

origi

originem. Nam scribunt illi, solitos Athenienses damnatos alicuius criminis lutulare, & ita traducere, quod πεȝπηλακίζειν dixerunt. Idem Notis in Lamprid.

XXIII. *Miniata, quæ populo exhibebantur.*

QVecunque à magistratu populo exhibebãtur, ea miniari solita esse ex veterum monimentis cognoscimus. Non solum enim conti, aut perticæ, quibus imponebantur aues raræ, & peregrinæ miniabantur, sed & aues ipsæ. In vita Gordianorũ ita legimus, Struthiocameli Mauri miniati exhibiti munere Circensi. Varro 3. de re rust. cap. 9. emendante Iosepho Scalig. Gallinæ rusticæ sunt in vrbe raræ: nec ferè mansuetæ sine cauea videntur Romæ: similes facie non his villaticis gallinis nostris, sed Africanis. In conto miniato in ornatibus publicis solent poni cũ psittacis, ac merulis albis, item alijs id genus rebus inusitatis. Sic plerique apparatus ædilitij miniabantur. Sic triumphantes Imp. minio illinebantur, vt essent magis conspicui. Sic triumphãs camelus vrbem ingressus est. Ex Coniectan. in Varron. Ioseph. Scalig.

XXIV. *Honorarium Consulibus.*

COnsulibus in prouincias aduenientibus dabatur donum, quod honorarium dicitur: qualia hodie Principibus suas primùm vrbes ingressis

greſſis porrigi, velut bene ominandi gratia ſolet. Honoris enim cauſſa dabatur, non tanquam debitum exigebatur. Budæus in Pandect.

XXV. *Tria pronuntiandi genera in iudicijs.*

TRia fuerunt apud antiquos pronuntiandi genera in iudicijs. Aut enim dies diffundebatur, id eſt, res in poſterum diem reijciebatur: aut comperendinabatur, id eſt, in tertium diem differebatur, aut iudex non liquere pronuntiabat, quod & amplius pronuntiare dicebatur: vnde ampliatio in publicis iudicijs. Idem ibid.

XXVI. *Interficientes ſe quando haberent hæredem.*

POſtulati capitalis criminis, vel in crimine capitali deprehenſi, ſi metu criminis ſe interficiant, hæredem ordinarium non habent, nec eis funus ducitur, nec lugeri ſolent: nam pro confeſſis habentur ex Conſtitutionibus. Quod tamen Reipub. temporibus non obtinuiſſe, exẽplum C. Licinij à Valer. Max. relatum lib. 9. cap. 12. indicat. Diuerſum eſt, ſi aut tædio vitæ, aut pudore æris alieni, aut doloris alicuius impatientia, aut furore interimant ſe. Hi namq; hæredem ordinarium habent, vt Tacit. ait lib. 5. humantur corpora, & manent teſtamenta. Cuiac. ad lib. 5. Sent. Pauli, cuius hæc verba ſunt: Eius bona, qui ſibi ob aliquod admiſſum flagitium

mortem consciuit, fisco vindicentur. Quod si id tædio vitæ, aut æris alieni, vel valetudinis alicuius impatientia admisit, non inquietabuntur, sed ordinariæ successioni relinquentur.

XXVII. *Sportularum origo, & notiones.*

SPortularum nominis origo prima ex prãdio, vel cœna est; quæ in panariolos, vel sportellas coniecta dabantur clientibus, vice cœnæ rectæ. Modò enim dabatur cœna recta, modo in sportula, & ad extremum C. quadrantes, quæ summa etiam sportula dicta est: ac deinde latius porrecta sportularum appellatio est, ad salaria, congiaria, diaria, honoraria, & omnia quæ vel sacerdotibus dantur, vt in ep. Cypriani, vel à Coss. sparguntur in vulgus, vt cuilibet fit accipiendi potestas: vt nõ malè Suidas sportulas definierit δῶρα ἐπὶ πάντων δεδομένα παῤῥησίᾳ, &c. Cuiacius Paratit. in lib. 3. Cod. Iustin. tit. 2. Vide Brisson. de verbor. significat.

XXVIII. *Quæ gemmæ in baltheis priuatorum prohibitæ.*

IN baltheis priuatorum smaragdi, & hyacinthi non ferebantur. Imp. Leo A. Leontico. Nulli prorsus liceat in frænis, & equestribus sellis, vel in baltheis suis margaritas, & smaragdos, & hyacinthos aptare posthac, vel inserere. Alijs autem gemmis fræna, & equestres sellas, & baltheos

suos

suas priuatos exornare permittimus. Cuic, Paratit. in Cod. Iustin.

XXIX. *Sacramentum militare.*

LEgiones singulæ iurabant, & apud suos quęque Tribunos: ita vt vnus ex tota legione eligeretur, qui singula iuramenti verba conciperet, & præiret: alij deinde sequentes hoc saltem dicerent, Iurare se idem. Polyb. Finita iam, inquit, conscriptione ad modum dictum, Tribuni militum suæ cuiusque legionis eos congregatos, & vnum ex omnibus maxime idoneum eligentes sacramento adigunt, Obtemperaturum, & facturũ quidquid mandabitur ab Imp. iuxta vires. Reliqui autem omnes adiurant, sigillatim prodeuntes, hoc ipsum affirmantes, se facturos vt ille primus. Vide Lips. Dial. 6. lib. 1. de milit. Rom. Veget. lib. 2. cap. 5. & ibid. Steuech.

XXX. *Tabulæ debitorum concrematæ.*

OPtimi Principes ferè tabulas veterum fisci debitorum in foro concremarunt. Auson. Panegyr. ad Gratian. Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere iussisti. Videre in suis quæque foris omnes ciuitates conflagrationem salubris incendij. Spartian. in Hadriano. Ex reliquis ingentes summas remisit, syngraphas in foro Traiani, quò magis securitas omnis roboraretur, incendit. Ante hos id quoque Caligula factita-

Christiani appellabant natales dies ordinationis, vt in Martyrolog. Rom. ordinationis Ambrosij: & apud Ambros. ep. 5. Natalis Fælicis Comensis: quo ille susceperat gubernacula summi sacerdotis. Et dies τῆς τελειώσεως cuiusque martyrum, qui & depositionis dies appellabatur. Appellationis caussam explicat fusè D. Ambros. serm. 70. Casaub. Notis in Spartian.

XXXIII. *Pax redempta à barbaris Regibus.*

ROmani Impp. pacem à Regibus barbaris pensione, siue stippendio redimebant: quod illi tamen, vt existimationi suæ consulerent, donum, aut munus appellabant. Primus id Domitianus introduxit. De Traiano, & Hadriano Spartian. Saluian. de Prouidentia dei lib. 6. Procopius de rebus Iustiniani. Synesius & ipse indignatur Barbaros audere à Rom. Imp. exigere μισθὸν εἰρήνης, mercedem pacis. Idem ibid.

XXXIV. *Lauacra, & θερμολουσίαι.*

INter voluptates censebatur lauari, calida præsertim. Sueton. in Aug. raritatem lauandi cõmendat. Macrianus tyrannus cum ad imperium vocaretur, hac quasi legitima excusatione est vsus, lauandum est mihi frequentius. Seueriores quoque duces lauacra militibus ademerunt sæpe, vt de Scip. Aemiliano, Metello Numidico, alijsque memoriæ proditum est. Alexander Se-

uerus apud Lamprid. indignabundus ait. Milites Romani vestri socij, mei contubernales, & commilitones amant, potant, lauant. Idem ibid.

XXXV. *Ædes marmore incrustatæ.*

VT nimirum frigidiores essent, & ita æstum temperarent. Quis enim nescit marmora communibus, & vulgaribus saxis frigidiora esse? Inter marmora vero Spartanũ, seu Laconicum commendabatur. Pallad. l. 1. tit. 9. Martial. ad Frontonem lib. 1. *Quisquam picta colit Spartani frigora saxi.* Sidon. Propempt.

Seu contra rabidos leonis æstus
Vestit frigore marmorum penates.

Sauaro ad ep. 2. lib. 2.

XXXVI. *Classicum ciui canebatur.*

NOn cuilibet è plebe doctorum notus mos. Cum ciui rei capitalis dies dicta esset, Plutarch. in Gracchis. Patrius nobis mos est, si quis capitis accusatur, neque obaudit, ad eius fores mane tubicinem ire, & classicum canere, nec ante iudices sententiam de eo ferre, &c. Lipsius in II. Annal. Taciti. Mos inde ortus, quod in funeribus honoratorum tuba, sicut in plebeiorum tibia canebatur.

AVCTARIVM TERTIVM.

Ad Mira mirorum.

I. Ægy-

I. *Ægyptiorum vestigia in mari Erythræo.*

TEmporibus Iustini martyris, & Origenis in mari Erythræo littori cernebantur impressa Ægyptiorum vestigia, reliquiæ curruum in aqua, species natantium, actus siue via, qua perrexerant Israelitæ. Laur. Renat. annotat. in Tertull. aduersus Iudæos.

II. Ἀδιψία *exercitati.*

REx Ægypti Psammetichus, teste Athenæo, cum scrutari arenas Libyæ statuisset, iuuenes aliquot ἀδιψίᾳ exercuit, qui aridis in locis sine noxa possent carere potione, & sitim non sentire.

III. *Erasmi statio* εἰκοσιετίς.

ORiginem morbi (calculi) diuino. Iam annis plusquam viginti consueui stans scribere: nec vnquam ferè sedere, nisi vel prandens, vel cœnans, vel à prandio dormitans: quod interdum soleo, præsertim lassus negotijs. Ita ipsemet de se epist. lib. 22.

IV. *Scipionis Africani admiratio.*

CVm Cyripædiam Xenophontis animo pênitus haberet comprehensam, ex eaque omnes omnium virtutum, ac laudum cumulos collegisset, tantus vir euasit, vt non modò bellũ

ingens in Hiſpania (ſic enim Liuius ſcribit) non alia de cauſa exarſerit, quam ex admiratione Scipionis: verùmetiam latronibus ipſis ſanctus, & inuiolatus, extiterit. Cum enim piratæ ad eius ædes ruſticas adijſſent, eosque ab aditu, quaſi Scipioni vim illaturos ſerui obſeſſi ſtrenuè propulſarent, illi ſupplices à ſeruis petierunt, vt ſibi diuinum illum hominem contueri, ac venerari liceret: quod ille re intellecta permiſit, vt latronum barbariem (tametſi ne barbari eſſent iam ſua virtute perfecerat) ad humanitatem reuocaret. Bodin. in procem. Method. hiſt.

V. *Simiæ ſimulacrum adoratum.*

THeophilus Epiſcopus Alexandriæ pietatis zelo incenſus, cum idola Alexandrina omnia de medio remouiſſet, materiamq; illorum in Eccleſiarum, & pauperum vtilitatem conuertiſſet, poſtremò voluit, vt ſimiæ ſimulacrum ex tam multis ſupereſſet, & publico loco relinqueretur, eo conſilio, vt pagani negare nunquam poſſent, ſe deos tales adoraſſe: & quam grauiter errarint, tandem aliquando intelligerent. Socrates lib. 5. cap. 16.

EX LIB. I. THESAVRI RERVM INDICARVM.

VI. *Supplicium maleficorum.*

COngenſes Indi maleficos rariſſimè morti adiudi-

adiudicant: sed vel in seruitutem abripiunt: vel solum vertere cogunt. Satius enim, & æquius putant homines ad officium, & delicti agnitionem calamitate, & ærumna doctrice, quam hîc perpetiuntur deducere, quam sine vlla facti pœnitentia è vita tollere. cap. 3.

VII. *Canina in pretio.*

ETsi Angola regio bobus, vaccis, alijs animantibus, & rebus ad victum necessarijs abundat, incolæ tamen nullum genus carnis caninæ anteponunt. In hunc vsum canum greges domi educant, epulisq; ceu cibũ sapidissimum adhibent. Tradunt, venditum hîc canem Anglicano molosso non maiorem ducẽtis & viginti aureis, cum XXII. scilicet mancipijs permutatum: singula enim mancipia vix 10. quis aureis compareț. cap. 6.

VIII. *Signum fidelitatis.*

REx Monomotapæ quotannis ad omnes Reges, & Principes sibi subditos, qui aliqua potentia pollent Legatos mittit ad ignem nouum, vt apud illos moris est, accendendum, qui ritus ad fidei experimentum hîc in vsu est, atque hoc modo peragitur. Quando Legatus regius in domum Reguli alicuius, aut Principis appulit, omnis mox qui ibidem reperitur ignis extinguitur: nec prius alius extruitur, quam Legatus ignem excitarit, è quo omnes eiusdem Reguli,

seu Principis subiecti suum accendunt, & mutuantur. Qui secus fuisse compertus fuerit, violatæ fidei reus est. cap.8.

IX. *Ouium caudæ, & gallinæ nigræ.*

IN regno Monomotapa oues tantam caudam habent, vt quartæ ouis parti magnitudine, & pondere respondeat: adeo vt si in quinas partes oues constituantur, vna sit reliquarum cauda. Gallinæ non plumas modo nigras habent, sed & carnem, & ossa, quamuis alioqui sapidissimæ. Ibid.

X. *Pigritia animal.*

VAlde inusitata & effigie, & natura in Brasilia reperitur animal, quod ab ipsa re Lusitani Pigritiã appellant, quod tam tarde moueatur, vt quindecim ipsis diebus ad lapidis ictum continuo tractu vix prodeat: neque vero adhortationibus tantum, aut minis, sed ne plagis quidem, fustibúsue bestiam vel tantillum de insita tarditate dimoueas. Propterea ab Hispanis Perrulloligero, id est, catellus celer antiphrasticè dicitur. Victitat arborum folijs, & in earum cacuminibus degit plerumque: quarum in ascẽsu biduum circiter, tantundem in descensũ ponit, &c. cap.22.

XI. *Cælum Congianum.*

REgio Congi quamuis zonæ torridæ subdita,

ta, non tanto quanto credidere veteres æstuat calore. Frigus tamen durius non habet, quam nostrates autumni tempore: adeo vt ignis ad calefaciendum, aut vestium pellitarum, aliarumque rerum ad frigus arcendum commodarum nullus hîc sit vsus. Hyemis & æstatis exiguum norunt discrimen; nisi quod brumali tempore aer ob assiduos imbres sit frigidiusculus: at vbi illi deciderint, calor tam hyemis, quam æstatis, duabus ante, ac post meridiem horis pæne intolerabilis est. Perpetuum propemodum æquinoctium habent, id est, pares dies, & nox habent horas: nisi forte quadrantis, aut circiter discrimen statui possit. Hyems Congiana tum incipit, cum Europæi vere gaudent, & sol signa septentrionalia subit: hæc ab Aprili in Septembrem vsque extenditur: tunc quotidie aer aut pluuius, aut nubilosus. Tanta porrò imbrium copia est, vt quamuis terra maximè arescat (tota enim æstate, quæ à Septembri vsque ad Aprilem durat, non pluit) breui penitus madescat: atque inde tanta fluminibus aquarum copia accedit, vt latè per agros stagnantia exundent. cap. 1.

XII. *Regni Lusitani insignia.*

CVm Alphonsus huius nominis primus aduersus V. Saracenorum Regulos, qui infinitam hominum multitudinem secum trahebant, conflictum in Lusitania esset initurus, suis ipse oculis Iesv Christi imaginem, quinque volne-

ribus insignitam in cælo, vnde auxilium sperabat, conspexit. Tantum hinc illi animi, ac roboris contigit, vt magnam hostium stragem mox ediderit: cuius singularis beneficij memoriam vt ad posteros transmitteret, quinque scutula instar crucis disposita clypeo insculpi curauit, quæ quina à Redemptore nostro pro humano genere liberando in Cruce accepta vulnera repræsentarent. cap.3.

XIII. *Insignia Regis Monomotapæ.*

SVnt exiguus ligo cum manubrio eburneo, & binæ sagittæ. Ligone subditos ad terram colendam adhortatur: altera sagittarum designat, habere se potestatem rebelles, ac nefarios comprimendi: altera, arma sibi ad inimicorum impetum reprimendum, ac propulsandum suppetere. cap. 8.

XIV. *Linguæ consortium.*

HOmo natus est ad hominum societatem, quoniam solus ex omnibus animantibus compos est sermonis. Societatis huius, & concordiæ vinculum maximum, & arctissimum est sermo, & linguæ communio. Vnde sequitur, quod docet Augustin. lib. 19. cap.7. Ciuitat. di-uersa orationis vi, dissimiliq; sermone hominem ab homine abalienari: ita vt libentius homo sit cum cane suo, quam cum homine alieno. [Plin. lib.7.cap.1. Tot gentium sermones, tot linguæ, tan-

tantaq; loquendi varietas, vt externus alieno pæne non sit hominis vice. Petrus Galesinius Notis in histor. sacram Sulpitij.

XV. *Mortes insperatæ, & repentinæ.*

SAnus erat, & hilaris Tarquinius Priscus, cum pisciculi spina suffocatus est. Sanus quoque Fabius, cum ei tenuis pilus, quem cum lacte hauserat, vitæ rescidit filum. Mustela Aristidem momordit, & momento temporis extinxit. Cæsaris Dictatoris pater hilariter surgebat è lectulo, & dum calceatur, egit animam. Alius Cæsar, dum pede impingit in limen, properantem spiritum excutit. Legatus Rhodiorum caussam in Senatu magna cum admiratione orauerat, in limine curiæ protinus expirauit. Cn. Bæbius Pamphilus, prætura & ipse functus, cum à puero quæsisset horas, sensit illico vltimam horam sibi adesse. Denique mors infinitos habet aditus, quibus in ædes nostras irrumpat, & irrepat. In Iustis anniuersarijs Henrici IV. Gallorum Regis Richeomius ex Plinij cap. 53. lib. 7.

AVCTARIVM QVARTVM.

Ad Sales.

I. *In aures asini canere.*

PRouerb. cum quis indocto recitat poëma omnibus numeris absolutum: aut orationem præclaram, in qua nihil reliquũ fecerit ars rheto

rica: aut si quis apud crassas, & Musices ignaras aures artem omnem ostentet. Occasio prouerbij hæc fuit. Ægyptio Musico insigni astans in somnis genius prædixisse visus erat, quòd in asini aures cantaturus esset. Quo neglecto somnio vt vano, ac friuolo, accidit vt Syrorum rex Memphin qui venerat, ipsum accerseret, quod audisset à cunctis laudari summopere. Accessit itaq;, & omni industria adhibita, artis suæ præstantiá ostentare adnixus est: qui tacere ignominiosè iussus à rege Musices ignaro, recordatus somnij, hoc ipsum, inquit, erat in aures asini canere. Iun. ex Dione orat. 32. cent. 3. prouerb. 52.

II. *In auaritiam Tiberij.*

CVm mortuus efferretur, ac forte per forum funus procederet, quidam in aurem mortui insusurauit: rogatusque ab ijs qui aderant, quid ei dixisset, respondit: se mandasse, Augusto (iam defuncto) vt diceret, populum legatam pecuniá nondum accepisse. Hunc Tiberius statim occidi iussit, vt ipsemet de ijsdem rebus nuntium ferret Augusto, illudens ei, & ad illud Virgilij respiciens 2. Æneid. *referes ergo hæc, & nuntius ibis Pelidæ genitori*, &c. Dio in Tiberio. Xiphilin.

III. *In Iureconsult.* ὀψιμαθῆ.

FRanciscus Aretinus iam quadragenarius tyrocinium iurisprudentiæ cœpisse fertur: qué quidam hoc scommate aspersit, Videri in altero sæculo Aduocatum fore.

Pom-

IV. *Pompeij vana ſecuritas.*

CVm aduerſus Cæſarem comparaſſet maximum exercitum, eique non modò par, ſed etiam ſuperior viribus videretur ſibi fore, ac ſecurus proinde animo quieſceret, monentibus formidandam Cæſaris potentiam, reſpondit: timorem ponite. Nam cum primum terram Italiam pede pulſabo, ſcatebunt vndique pedeſtres, & equeſtres in Cæſarem copiæ. Verùm vbi eum ſpes fefellit, & miſeranda clade apud Pharſalum accepta profugit, multi per ludibrium dicebant: inſtauret nunc exercitum Pompeius, & accipiat quas pede pulſata ſubminiſtrabit Itala terra copias. Fr. Patricius de regis inſtitut. lib. 10. tit. 10.

V. *Romanorum in exercitu reparando celeritas.*

PYrrhus Epirotarum rex inſpecta in reparandis copijs Romanorum quos vicerat celeritate; planè, inquit, video me Herculeo ſidere prognatum, cui etiam cum lernæa hydra pugnare neceſſum ſit. Idem tit. 13.

VI. *Ciuitas adempta.*

CLaud. Imp. latina lingua vnum ex legatis Lycium olim, tum Romanum interrogauit, eique non planè intelligenti quid ipſe dixiſſet, ciuitatem ademit, dixitque, eum qui non haberet Romanæ linguæ ſcientiam, non oportere ciuem Romanum eſſe. Xiphilin.

VII

VII. *Viſcata, & hamata munera.*

QVidam ijs potiſſimùm donant, qui donare maximè poſſunt. Hoc ego viſcatis, hamatisq́ue muneribus non ſua promere puto, ſed aliena corripere. Plin. lib. 9. epiſt. 30.

VIII. *Diogenis tranſitiones.*

DIogenes ſuam Athenis Corinthum, Corinthoq́ue Thebas tranſitionem, regis Perſarum migrationibus comparabat, vere Suſis, hyeme Babylone, æſtate in Media commorantis. Plut. de prof. virtut.

IX. *Sacerdotes, & templa.*

BOnifacius Epiſcopus & martyr dicere ſolitus eſt, olim ſacerdotes aurei vtebantur calicibus ligneis: nunc lignei ſacerdotes vtuntur calicibus aureis. Non ita diſſimile eſt, quod aliquando audiui de templis recentibus, & antiquis prędicari. Quondam erant templa Chriſtianorum obſcura, & corda lucida: nunc templa ſunt lucida, corda vero obſcura.

X. *Tonſor ornatus.*

CVm tonſorem quæreret Iulian. & ad eum Conſtantij tonſor ſumptuosè ornatus acceſſiſſet, tonſorem, ſe, non ſenatorem quæſiuiſſe dicens, hominem dimiſit. Zonaras Tom. III.

XI. *Salutator excluſus.*

Tiberius

Tiberius Imp. Diogenem Grammaticum, à quo Rhodi iuſſus erat per ſeruulum redire die ſeptimo, aſtantem præ foribus palatij vt ſalutaret eum, iuſſit poſt VII. annos redire. Sueton. cap. 32.

XII. *Vinoſus Tiberius.*

IN caſtris tiro etiam tum propter nimiam vini auditatem pro Tiberio Biberius, pro Claudio Calidius, pro Nerone Mero, id eſt, Calidius Biberius Mero vocabatur. Idem cap. 42.

XIII. *Naſus ſimus, & erectus.*

IN conuiuio Xenophontis præter alias quæſtiones Critobulus de naſo hanc proponit. Vter inquit, naſus, meus ne an tuus formoſior eſt? Equidem, ait Callias, meum arbitror, ſi modo odorandi cauſſa dij nobis naſum fabricati ſunt: tuus enim in terram intuetur, meus autem erectus eſt, vt vndiq; odores recipiat. At ſimus naſus, qui poteſt eſſe recto pulchrior? Quia, occurrit Critobulus, non obturat, ſed ſtatim ſinit vt oculi, quæ volunt aſpiciant. At editus naſus, tanquam vim adferens, oculos quaſi muro interſepit.

XIV. *Carni detrahentes, & carnaliter viuentes.*

D Hieronymus epiſt. 65. accuſatores ſuos feſtiuè tangit. Peluſiotas, inquit, nos appellant, & luteos, animaleſque, & carneos, quòd non recipimus ea quæ ſpiritus ſunt. Illi ſcilicet

licet Hierosolymitæ, quorum mater in cælo est. (Galat. 4.) Miror cur carni detrahentes viuant carnaliter, & inimicum suum foueant, & nutriant delicatè. Nisi forte implere volunt scripturam dicentem : *diligite inimicos vestros : & bene facite ijs, qui vos persequuntur.*

XV. *Anseres Capitolij defensores.*

S. Ambrosius lib. 5. in Hexaem. tangens historiam de Capitolio anserum vigilum clamore à Gallis seruato, qui id occupaturi erant; Meritò, inquit, illis debes, Roma, quod regnas. Dij tui dormiebant, & vigilabant anseres. Ideo illis diebus anseri sacrificas, non Ioui. Cedunt enim dij vestri anseribus, à quibus se sciunt esse defensos, ne & ipsi ab hoste caperentur.

EX PLAVTI AVLVLARIA.

Eunomia suasura Megadoro fratri de ducenda vxore, super loquacitate mulierum.

Velim te arbitrari me hæc verba, frater,
Mea fidei, tuæq; rei caussa
Facere, ita vt æquum est germanam sororem.
Quanquam haud falsa sum, nos odiosas haberi.
Nam multum loquaces meritò omnes habemur.
Nec mutam profectò repertam vllam esse
Hodie dicunt mulierem vllo in sæculo.

Eadem de nequitia sui sexus.

MEG.

Mer. *Da mihi optima fœmina manum.* Ev. *ubi ea est? quis ea*
Est nam optima? M. *tu,* E. *tu ne ais?* M. *si negas*
Nego. E. *Decet te quidem vera proloqui.*
Nam optuma nulla potest eligi: alia alia
Peior, frater est. M. *idem ego arbitror, nec tibi*
Aduersari certum est de istac re vnquam, soror.

EX CAPTIVIS.

Exultatio parasitica.

CVm Ergasilus parasitus seni Hegioni faustissimum attulisset nuntium de reditu eius filij Philopolemi, qui apud Alidenses captiuus tenebatur, quemque in portu iam conspexerat, perquam lætus ille hoc nuntio, iusserat eum domum suam ire, sumere, poscere, promere quidquid vellet, addens, te facio cellarium. *Æternũ tibi dapinato cibum, si vera autumas, à me, meoq́; gnato.* Tum esuritor ille secum in via lætitia gestiens.

ILle hinc abijt, mihi rem summam credidit cibariam.
Dij immortales, iam vt ego collos prætruncabo tergoribus?
Quanta pernis pestis veniet, quanta labes laridc?
Quanta sumini absumedo? quanta callo calamitas?

Quanta lanijs lassitudo? quanta porcinarijs?
Nam si alia memorem, quæ ad ventris victum conducunt, mora est.
Nunc ibo ad meam præfecturam, vt ius dicam larido,
Et quæ pendent indemnatæ pernæ, eis auxilium vt feram.

EX MENÆCHMIS.

Errores, & frustrationes ob summam fratrum geminorum similitudinem facetissimæ.

ANtequam scenas ipsas, & ex scenis versus adducam, in rem lectoris fore opinor, si prius fabulæ totius argumentum verbis meis, quam potero paucissimis exposuero. Syracusanus in Sicilia mercato rduos filios, & geminos sustulerat, forma adeo similes, vt neque mater, neque nutrix eos posset discernere. Cum ad septennium peruenissent, pater nauem mercibus onerat: alterum gemellum imponit, secumque Tarentum peruehit. Tarenti ludos magna, vt assolet, celebritate inuenit. Ibi puerum à patre in multitudine aberrantem mercator quidem Epidamnius surripit. Pater ex ægritudine ob amissum filiolum paucis diebus Tarenti extinguitur. Auus re Syracusas renuntiata nepoti domi relicto surrepti (quem magis amabat, & mortuũ credebat) adeoque sui ipsius nomen imponit, Menæ-

Menæchmum appellat : nam alioqui Soſicles audiebat. Epidamnius ille plagiarius cum careret liberis : Menæchmum adoptat, dotatam ei vxorem committit: hæredem moriens inſtituit. Multo poſt tempore Menæchmus Soſicles reperiendi, videndique fratris percupidus, eum ſeruo comitatus per varias oras terra marique totis ſex annis laborioſè quæritat, Epidamnum deuenit. A coquo, à ſocero ipſiſſimus ſurrepticius, & ciuis Epidamnius creditur : ita omnes ſimilitudine vultus deluduntur mirum in modum. Appellatus pro notiſſimo, accuſatus etiam apud patrem à muliere, vt qui eius pallam neſcio quò furtim detulerit (id quod maritus Menæchmus fecerat) miratur, & iraſcitur, atque vt ſe moleſtijs eximat, inſaniam ſimulat. Aduocatur medicus, qui cum ſene, mulieris parente in Menæchmum ſurreptum incidit. Ibi lepores, & ludi ex opinionis falſitate exiſtunt iucundiſſimi, ſi vlli vſpiam in officina huius leporum, & facetiarum fabri peritiſſimi. Nam & Meſſenio ſeruus pro hero agnoſcit qui non eſt. Tandem ſe fratres inuicem gratulabundi cognoſcunt.

Poſtquam igitur mulier vxor aduenam Menæchmum præſentem, pro viro ſuo, vt rebatur, de ſurrepta ſibi palla, & aliò delata apud patrem accuſauit, & ille, vt peregrinus planè, & rei neſcius factum pernegauit, ait accuſatrix patri.

Mv. *Viden' tu illi oculos virere? vt viridis exoritur color*

Ex temporibus atque fronte; vt oculi scintillant, vide.

ME. *Quid mihi melius est, quàm quando illi me insanire prædicant,*

Ego me assimulem insanire, vt illos à me absterream?

MV. *Vt pandiculans, oscitans, quid nunc faciam mi pater?*

SE. *Concede huc mea nata ab istoc quàm potes longissimè.*

ME. *Euoe, atque heu Bromie, quò me in syluam venatum vocas?*

Audio, sed non abire possum ab his regionibus.

Ita me illa ab læua rabiosa fœmina obseruat canis.

Post autem illic hircus alius, qui sæpe ætate in sua

Perdidit ciuẽ innocentem falso testimonio.

SE. *Væ capiti tuo.* ME. *ecce Appollo mihi ex oraculo imperat,*

Vt ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus.

MV. *Perij, mi pater: minatur mihi oculos exurere.*

ME. *Hei mihi, insanire me aiunt, vltrò cum ipsi insaniunt.*

SE. *Filia.* MV. *heu, quid est? quid agimus?* SE. *quid si ego huc seruos cito?*

Ibo, adducam, qui hunc hinc tollant, & domi deuinciant,

Priusquam turbarum quid faciat. ME. *amplius enim hæreo, ni* Occu-

Occupo aliquod mihi consilium, hi domum
me ad se auferent, pugnis caesum.

MV. *Notas in huius ore quidquam pater?*
Ne iam his oculis abscedat in malam magnā
crucem.

ME. *Faciam quod iubes Appollo.* SE. *fuge domum*
quantum potes,
Ne hic te obtundat. MV. *fugio: amabo, obserua*
ua istunc, mi pater,
Ne quo hinc abeat. sumne ego mulier misera,
quae illac audio?

ME. *Haud malè illanc amoui: nunc hunc ego im-*
purissimum,
Barbatum, tremulum, Titanum, Cygno pro-
gnatum patre,
Ita mihi imperas, vt ego huius membra atq;
ossa, atque artua
Comminuam illo scipione, quem ipse habet.
SE. *dabitur malum,*
Me quidem si attigeris, aut si propius ad mē
accesseris.

ME. *Faciam quod iubes, securim capiam ancipi-*
tem, atque hunc senem
Exossabo; dein dedolabo assulatim viscera.

SE. *Enimuerò illud praecauendum est, atque accu-*
randum mihi,
Sanè ego illum metuo, vt minatur, ne quid
malè faxit mihi.

ME. *Multa mihi imperas Apollo: nunc equos iun-*
ctos iubes

Capere me indomitos feroces, atque currum inscendere,
Vt ego hunc proteram leonem Getulum, olentem, edentulum.
Iam ascendo in currum, iam lora teneo, iam stimulus in manu est.
Agite equi, facitote sonitus vngularum appareant
Cursu celeri. facite in flexu sit pedum pernicitas.

SE. *Mihin' tu equis iunctis minare?* ME. *ecce Apollo denuo*
Me iubes facere impetum in eum qui stat, atque occidere:
Sed quis hic est, qui me capillo hinc de curru deripit?
Imperium tuum demutat, atque edictum Apollinis.

SE. *Heu hercle morbum acrem ac durum: dij vostram fidem.*
Vel hic qui insanit, quàm valuit paulò prius?
Ei ecce derepentè morbus incidit.
Ibo atque accersam medicum, iam quantum potest:

SENEX, MEDICVS, MENÆCHMVS surreptus.

SE. *Audin' quæ loquitur?* MED. *Se miserum prædicat.* SE. *adeas velim.*

MED. *Saluus sis, Menæchme. Quæso, cur apertas brachium?*

Non

Non tu scis, quantum isti morbo nunc tute facias mali?

MEN. *Quin tu te suspendis?* MED. *ecquid sentis?* MEN. *quid ni sentiam?*

MED. *Non potest hæc res ellebori iugere obtinerier. Sed quid ais Menechme?* MEN. *quid vis?* MED. *dic mihi hoc quod te rogo. Album an atrum vinum potas?* MEN. *quin tu is in malam crucem.*

S. *Iam herclè occoeptat insanire primulùm.* MEN. *quin tu interrogas,*

Purpureum panem, an puniceum soleam ego esse, an luteum?

Soleámne esse aues squamosas, pisces pennatos? S. *papæ,*

Audin' tu, vt deliramenta loquitur? quid cessas dare

Potionis aliquid, priusquam percitus insania?

MED. *Mane modò, etiam percontabor.* S. *aliam occipis fabulam.*

MED. *Dic mihi hoc etiam, solent tibi unquam oculi duri fieri?*

MEN. *Quid? tu me locustam censes esse? homo ignauissime.*

MED. *Dic mihi, an unquam tibi intestina crepitāt, quod sentias?*

MEN. *Vbi satur sum, nulla crepitant: quando esurio, tum crepitant.*

MED. *Hoc quidem ædepol haud pro insano verbum respondit, mihi.*

Perdormiscin' usque ad lucem? MEN. *Facile̋n' tu dormis cubans?*

Perdormisco, si resolui argentum cui debeo.

Quin te Iuppiter, diiq́ omnes percontator perduint.

MED. *Nunc homo insanire incœptat. de illis verbis caue tibi.*

SE. *Imò modestior nunc quidem est de verbis, praeut dudum fuit.*

Nam dudum vxorem suam esse aiebat rabiosam canem.

MEN. *Quid ego dixi?* S. *insanis, inquam.* MEN. *egone?* S. *tu istic, qui mihi.*

Etiam me iunctis quadrigis minitatus prosternere.

Egomet hæc te vidi facere, egomet ecce te arguo.

MEN. *At ego te sacram coronam surripuisse Ioui scio,*

Et ob eam rem in carcerem te esse compactum scio.

Et postquam es emissus, cæsum virgis sub furca scio.

Tum patrem occidisse, & matrem vendidisse etiam scio.

Satin' hoc pro sano maledicta maledictis respondeo?

S. *Obsecro hercle, medice, properè, quidquid facturus, face.*

Non vides hominem insanire? MED. *scin' quid facias optimum?*

Ad

Ad me face, vt deferatur. S. *itan' censes?* MED. *quippini?*
Ibi meo arbitratu potero curare hominem. S. *age ut lubet.*
MED. *Elleborum potabis faxo aliquos viginti dies.*
MEN. *At ego te pendentem fodiam stimulis triginta dies.*
MED. *Accerse homines, qui illunc ad me deferant.* S. *quot sunt satis?*
MED. *Proinde, ut insanire video, quatuor, nihilo minus.* S. *Iam hic erunt, asserua tu istunc, medice.* MED. *imò ego ibo domum,*
Vt parentur, quibus paratis opus est. tu seruos iube,
Hunc ad me ferant. S. *iam ego illic faxo erit.*
MEN. *Abijt socer, abiit medicus, nunc solus sum. proh Iuppiter;*
Quid istuc est, quod me me hi homines insanire prædicant?
Neque ego insanio, neque ego pugnas, neque lites capio.
Saluus, saluos alios video: noui homines, alloquor.
An qui perperam insanire me aiunt, ipsi insaniunt?
Quid ego nunc faciam? domum ire cupio. at uxor non sinit.
Huc autem intromittit nemo: nimis prouentum est nequiter.
Hic ero usque ad noctem, saltem credo intromittar domum;

 Habe-

XVII. *Habere in utero.*

ATHenæus lib.10. de Iſchomacho mimo. Cũ pauperculę cuidam doleret vterus, ac medicus interrogaſſet, utrum in utero haberet (quomodo de conceptione loquuntur Græci) qui poſſit, inquit, cum triduo nihil comederit? Ex ambiguo ſumpſit occaſionem ioci.

XVIII. *Ianus quadrifrons.*

AVguſtin. Ciuitat. lib. 7. cap. 4. irridens eos, qui non modo bifrontem, ſed & quadrifrõtem effingebant Ianum (quod mundi ſcilicet quatuor partes aſpiceret) An forte voluerunt, inquit, vt quoniam plurimi dij ſelecti erubeſcẽda perpetrando amiſerant frontem, quanto iſte innocentior eſſet, tanto frontoſior appareret?

AVCTARIVM QVINTVM.

Ad Miſcella.

I. *Epitaphium Scipionis Africani, apud Caietam.*

DEuicto Annibale, capta Carthagine, & & aucto
Imperio, hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europa, non obſtitit Africa quondam, (Reſpice res hominum) quam breuis vrna premit?

APOPHTHEGMATA.

II. *Verborum profluentia.*

1. ANaxandridas quendam reprehendit, quod apud Ephoros recta quidem locutus esset, & utilia, sed pluribus quam oportuisset. Hospes, inquit, re opportuna nõ opportunè uteris. Nam vt scitè Nazianzenus orat. in sancta lumina, sermonis satietas non minus auribus inimica est, quam immodicus cibus corpori.

III. *Institutio Gubernatorum.*

2. ANtipho interrogabat Socratem, cur cum putaret se idoneos ad rempub. gubernandam alios efficere, ipse ciuitatis gubernationi non vacaret, siquidem hoc præstare sciret? Respondit. Vtro modo, Antipho, magis rempub. gubernem; an si solus eã gubernem; an vt operam dem, vt plurimi ab eam gubernandam sint idonei? Xenoph. lib. 1. de dict. & fact. Socrat.

IV. *Virginitas, & viduitas comparatæ.*

LIcet in virginibus integritas solida, & tota sanctitas de proximo visura sit faciem Dei, tamen vidua habet aliquid operosius: quia facile est nõ appetere quod nescias: & auersari quod desideraueris nunquam. Gloriosior continentia quæ ius suum sentit: quæ quid viderit, nouit. Poterit virgo fælicior haberi, at vidua laborio-

fior. Illa quod bonum semper habuit, ista quod bonum sibi inuenit. In illa gratia, in ista virtus coronatur. Ex Tertullian. ad vxorem lib. 1. Viduam, inquit Clem. Alex. Stromat. lib.3.cap.9. nonnulli præferunt virgini, quod ad continentiam: vt quæ quam experta est voluptaté, magno, & excelso animo contempserit. Hieronym. lib. 1. contra Iouin. Ideo plus amat Christus virgines, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum: maiorisque gratiæ est offerre quod non debeas, quam reddere quod non exigaris. Plura de virginitate Syntagmate VIII. in extremo.

V. *Prudentiæ vis.*

INterrogauit quidam reprehendendi animo Iphicratem, quis esset, quum neq; arma, neq; arcum, neque cetrás ferentium in ordine consequetur. Respondit, eum se esse, qui hisce omnib. imperaret, atque vteretur. Ita prudentia neque aurum est, neque argentum, neque, gloria, neq; valetudo, neque diuitiæ, neque pulchritudo. Quid ergo ea est? id quod recte vti his omnibus potest, ac singula horum iucunda facit, laudabilia, vtilia: quum sine hac inutilia, sterilia, damnosaque sint, ac molestiam, & dedecus ea possidenti afferant. Plin.lib. XVIII.

Magistratus nihil inhonestum concedat.

VI.Po-

VI. Petenti ab se Simonidi, quod minus videretur honestum, Themistocles, nec poëtam, inquit, sibi videri bonum, qui inconcinnum quippiam, & absonum caneret: nec magistratum frugi, qui contra ius, fasque cuipiam inseruiret. Plut. de ciuili institut.

VII. *Ratio M. Ant. Mureti, cur vacationibus domi doceat, cum graui querimonia, ex orat.* V. *Volum. 11.*

Ac quoniam scio esse nonnullos qui mirentur, quòd ipse mihi, cum vacationes dantur, voluntarios labores iniungere soleo, cur non hoc ipso potius publicè nobis constituto ad docendum loco, quam intra domesticos parietes obeam, eius quoque rei quæ caussa sit aperiam: ne consiliorum meorum pars vlla vobis ignota sit. Officij enim mei rationem omnibus quam notissimam esse cupio, ne quis cuipiam pateat ad calumniandum locus. Primùm igitur si dicam id facere me, vt aliqua pars laboris minuatur mihi, nemo me, vt opinor, meritò reprehendat, quod vobis à me sponte tribuitur, si in eo etiam commodi mei rationem habendam esse aliquam putem: præsertim cum vobis ex eo nihil oriatur incommodi. Sed sunt alia grauiora, quæ me magis commoueant. Huc quoties venimus, pendendum nobis est ex aliquot Abiectissimorum Nebulonum libidine, qui sibi pro oblectamento habent, obstrependo, exsibilando

lau-

laudabiles aliorum cōatus, quoties collibuit impedire. Domi ab illa fæce, ac colluuie nihil periculi est. Vbi si quid tale attētare auderent, extruderentur: &, si redire postridie vellent, excluderentur. Hîc vix vnquam mihi horam integram docere permittitur. Domi me sæpe horas duas summo silentio, summa omnium voluntate auditum esse meministis. Illic si quis quid minus intellexit, licet rogare, licet colloqui, licet placide ac comiter, si quid sit, de quo dubitetur, exquirere. Hæ me caussæ adducunt, vt quoties à pubico munere cessatio est, libentius doceam domi. Neque dubito quin hoc consilium meum omnes æqui, & harum rerum intelligentes existimatores probent.

VIII. *Dei prouidentia ab effectis mundi diserte, & eleganter demonstrata, ex Octauio Minutij Falicis.*

QVo magis mihi videntur qui hunc mundi totius ornatum non diuina ratione perfectum volunt: sed frustis quibusdam cohærentibus conglobatum, mentem, sensum, oculos denique ipsos non habere. Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in cælum sustuleris, & quæ sunt infra, citraq; lustraueris, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moueatur, alatur, gubernetur? Cælum ipsum vide quàm latè tenditur, quàm rapidè

rapidè voluitur, vel quòd in noctem astris distinguitur, vel quòd in diem sole lustratur: iam scies quàm sit in eo summi moderatoris mira & diuina libratio. Vide & annum vt solis ambitus faciat: & mensem vide vt luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum, & luminis dicam recursantes vices, vt sit nobis operis, & quietis alterna reparatio? Relinquenda verò astrologis prolixior de sideribus oratio, vel quæ regant cursum nauigandi, vel quæ arandi metendique tempus inducant: quæ singula non modò vt crearentur, fierent, disponerētur, summi opificis, & perfectæ rationis eguerunt: verum etiā sentiri, perspici, intelligi, sine summa sollertia & ratione non possunt. Quid cum ordo temporū hac frugum stabili varietate distinguitur? nonne auctorem suum, parentemque testatur? Ver æquè cum suis floribus, & æstas cum suis messibus, & autumni maturitas grata, & hyberna oliuitas necessaria: qui ordo facilè turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Iam prouidentiæ quantæ, ne hyems sola glacie vreret, aut sola æstas ardore torreret, autumni & veris inserere medium temperamentum, vt per vestigia sua anni reuertentis occulti, & innoxij transitus laberentur? Mari intende, lege littoris stringitur: quidquid arborum est, vide, quàm è terræ visceribus animatur? Aspice Oceanum, refluit reciprocis æstibus: vide fontes, manant venis perennibus: fluuios intuere, eunt semper exer-

laudabiles aliorum cōatus, quoties collibuit impedire. Domi ab illa fæce, ac colluuie nihil periculi est. Vbi si quid tale attẽtare auderent, extruderentur: &, si redire postridie vellent, excluderentur. Hîc vix vnquam mihi horam integram docere permittitur. Domi me sæpe horas duas summo silentio, summa omnium voluntate auditum esse meministis. Illic si quis quid minus intellexit, licet rogare, licet colloqui, licet placide ac comiter, si quid sit, de quo dubitetur, exquirere. Hæ me caussæ adducunt, vt quoties à pubico munere cessatio est, libentius doceam domi. Neque dubito quin hoc consilium meum omnes æqui, & harum rerum intelligentes existimatores probent.

VIII. *Dei prouidentia ab effectis mundi disertè, & eleganter demonstrata, ex Octauio Minutij Fælicis.*

QVo magis mihi videntur qui hunc mundi totius ornatum non diuina ratione perfectum volunt: sed frustis quibusdam cohærentibus conglobatum, mentem, sensum, oculos denique ipsos non habere. Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in cælum sustuleris, & quæ sunt infra, citraq; lustraueris, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moueatur, alatur, gubernetur? Cælum ipsum vide quàm latè tenditur, quàm rapidè

rapidè voluitur, vel quòd in noctem astris distinguitur, vel quòd in diem sole lustratur: iam scies quàm sit in eo summi moderatoris mira & diuina libratio. Vide & annum vt solis ambitus faciat: & mensem vide vt luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum, & luminis dicam recursantes vices, vt sit nobis operis, & quietis alterna reparatio? Relinquenda verò astrologis prolixior de sideribus oratio, vel quæ regant cursum nauigandi, vel quæ arandi metendique tempus inducant: quæ singula non modò vt crearentur, fierent, disponerétur, summi opificis, & perfectæ rationis eguerunt; verum etiã sentiri, perspici, intelligi, sine summa sollertia & ratione non possunt. Quid cum ordo temporũ hac frugum stabili varietate distinguitur? nonne auctorem suum, parentemque testatur? Ver æquè cum suis floribus, & æstas cum suis messibus, & autumni maturitas grata, & hyberna oliuitas necessaria; qui ordo facilè turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Iam prouidentiæ quantæ, ne hyems sola glacie vreret, aut sola æstas ardore torreret, autumni & veris inserere medium temperamentum, vt per vestigia sua anni reuertentis occulti, & innoxij transitus laberentur? Mari intende, lege littoris stringitur: quidquid arborum est, vide, quàm è terræ visceribus animatur? Aspice Oceanum, refluit reciprocis æstibus: vide fontes, manant venis perennibus: fluuios intuere, eunt semper exer-

ciiti

etris lapsibus. Quid loquar aptè dispositâ rectâ montium, collium flexa, porrecta camporum? Quidúe animantium loquar aduersus sese tutelá multiformem? alias armatas carnibus, alias dentibus septas, & fundatas vngulis, & spicatas aculeis: aut pedum celeritate liberas, aut elatione pinnarum. Ipsa præcipuæ formę nostræ pulchritudo Deum fatetur artificem, status rigidus, vultus erectus, oculi in summo velut in specula cōstituti, & omnes cæteri sensus velut in arce compositi. Longum est ire per singula: nihil in homine membrorum est, quod non & necessitatis caussa sit, & decoris: & quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quædam vnicuique lineamenta deflexa: sic & similes vniuersi videmur, & inter se singuli dissimiles inuenimur. Quid nascendi ratio, quid cupido generandi? Nonne à Deo data est, & vt vbera partu maturescente lactescant, & vt tener fœtus vbertate lactei roris adolescat? Nec vniuersitati solummodò Deus, sed & partibus consulit. Britannia sole deficitur, sed circumfluentis maris tepore recreatur: Ægypti siccitatē temperat Nilus amnis: colit Euphrates Mesopotamiam, pro imbribus pensat: Indus flumen & serere Orientem dicitur, & rigare. Quod si ingressus aliquam domū, omnia exculta, disposita, ornata vidisses: vtiq; præesse ei crederes dominum, & illis bonis rebus multo esse meliorem. Ita in hac mundi domo, cum cælum terramque perspicias, proui-

denti-

[...]ntiam, ordinem, legem: crede esse vniuersitatis dominum, parentemque, ipsis sideribus & totius mundi partibus pulchriorem.

IX. *Aquarum species.*

VNa nempe atque eadem est aqua, & in diuersas plerumque se mutat species. Aut inter arenas flaua: aut inter cautes spumea: aut inter nemora viridantior: aut inter floruléta discolor: aut in gramine liquidior: aut in palude turbidior: aut in fonte perspicacior: aut in mari obscurior, assumpto locorum quibus influit colore decurrit. Rigorem quoque pari ratione commutat, vt inter vaporantia ferueat, inter vmbrosa frigescat, sole repercussa exæstuet, niuibus irrigata glaciali humore canescat: quemadmodũ sapor ipse eius conuertitur, vt nunc amarior, nunc vehementior, nunc austerior, nunc dulcior, pro specierum qualitate, quibus infusa fuerit aqua, varietur, &c. Ambros. in Hexaëm. lib. 3. cap. 15.

X. *Codex pro nomine proprio.*

CVm ciuis quidam omnes filios suos præstãtes Iureconsultos euadere cuperet, vni nomen Bartholus, alteri Baldus imposuit; tertium, quod sæpe nomen Codicis in foro citari audiret, arbitratus & hoc maximi iuris interpretis vocabulum esse, Codicem appellauit.

XI. *Senex sexies cibum sumpsit, & esuriit.*

Quidam

QVidam seniorum cùm reficientem me, vt adhuc paululum quid ederem hortaretur, iamque me dixissem non posse: respondit. Ego iam sexies diuersis aduenientibus fratribus mensam posui, hortansque singulos cum omnibus cibum sumpsi, & adhuc esurio: & tu primitus nunc reficiens, iam te dicis non posse? Cassian. de Instit. cœnob. lib. 5. cap. 25.

XII. *Rauennæ, picturæ phœnicis subscriptum.*

SEcurus moritur, qui scit se morte renasci.
Mors ea non dici, sed noua vita potest.

Tertullian. lib. de resurrect. carnis plenissimum ac firmissimum specimen huius spei (resurrectionis) ex hoc alite sumendum ait. Idem B. Ambrosius & Epiphanius in Physiologo asserunt. De eadem aue Lactantius in poëmatio, si modo est γνήσιον.

Ipsa sibi proles, suus est pater, & suus hæres,
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.


XIII. *Meretricum ornatus.*

ORnamentorum, ac vestium insignia, ac lenocinia formarum, non nisi prostitutis, & impudicis fæminis congruunt: & nullarum ferè pretiosior cultus est, quam quorum pudor vilis est. Fugiant castæ virgines, & pudicæ incestarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia

gnia, ornamenta meretricum. Cyprian. de discipl.n. & habitu Virginum. Plaut. Mostellar. de muliere:

Nequidquam exornata est bene, si morata est male.
Pulchrum ornatum turpes mores cœno peius colliunt.

Quanquam, vt Nazianzenus ait (Aduersus mulieres ambitiosius se ornantes, & excolentes) sunt quoque interdum in sordidis vestibus deliciæ: contra in mollibus grauitas nonnunquam inuenitur, quemadmodum multi norunt.



SYNTAGMA OCTAVVM.

EX PATRIBVS LATINIS, ET GRÆCIS BREVIS ANthologia.

HOc quoq; Syntagma proposito nobis scopo peraccommodatum lectoriq; non ἀμυήτῳ, ac profano, id est, non in externas tantummodo litteras abdito, ac penitus penitusq; immerso: sed sacrorum quoq; librorum, & religionis Christianæ ἱεροφαντῶν, atque Doctorum, vt Christiano homini pulchrum est, studioso, haud ingratum fore censuimus: quando cum summa & Scriptorum grauissimorum, &

tæ quoque sanctimonia, & orationis ad dominum Iesum frequentia, scientiam consecuti sunt, frigeat sapientia, quæ in plerisque senibus ætate marcescit: sed quod adolescentia multa corporis bella sustineat; & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus suffocetur, vt suum non possit explicare fulgorem. Senectus vero rursus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit. *Enumerat deinde Theophrastum (sic enim legendum pro Themistocle opinor) Platonem, Isocratem, Pythagoram, Democritum, Xenocratem, Zenonem, Cleanthem, qui omnes iam ætate longæua in studiis sapientiæ floruerunt. Et poetas Homerum, Hesiodum, Simonidem, Stesichorum, qui grandes natu, cygneum nescio quid, & solito dulcius vicina morte cecinerunt.* Ad Nepotian. ep. 2.

III. *Præceptum de tradenda elementorum notitia, ductuque filiæ paruulæ.*

Fiant ei litteræ vel buxeæ, vel eburneæ, & suis nominibus appellentur. Ludat in eis, vt & lusus ipse eruditio sit. Et non solum ordinem teneat litterarum, vt memoria nominum in canticum transeat; sed & ipse inter se crebrò ordo turbetur, & medijs vltima, primis media

 miscean-

misceantur: vt eas non sono tantum, sed & visu nouerit. Cum verò cœperit trementi manu stilum ducere; vel alterius superposita manu teneri regantur articuli: vel in tabula sculpantur elementa: vt per eosdem sulcos inclusa marginibus trahantur vestigia, vt foras non queant vagari. Ad Lætam viduam, epist. 7.

IV. *De Nebridij paruis liberis* ἠδυλόγως.

Saluina mulier amplißimo genere prognata in iuuenili adhuc ætate virum amiserat Nebridium; è sorore Placidæ Augustæ natum, nutritum in palatio, & Augg. Arcadij atque Honorij filiorum Theodosij condiscipulum, & contubernalem. Huic par liberorum, filium ac filiam genuerat: de quibus etiamnum teneris, ac pæne infantibus, operæ pretium est audire, quam dulcibus, ac blandis verbis sermonem contexat vir sanctus epist. 9. qua defunctum laudibus prosequitur, ipsamq; Saluinam cum consiliis salutaribus ad viduitatem retinendam cohortatur.

Tenemus pro eo (Nebridio defuncto) dulcissimos liberos. Vxor hæres pudicitiæ pretium est. Nebridius pusio patrem quærentibus exhibet. *Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.* Scintilla vigoris paterni lucet in filijs: & similitudo morum per speculum carnis erumpens, *ingentes animos angusto in pectore versat.* Iungitur ei germana, rosarum, & liliorum calathus, eboris ostriq;

ostriq; commercium. Sic refert ore patrem, vt ad venustatem propensior sit: sic matrem mixta similitudine pingit, vt in vno corpore vtrunq; agnoscas: ita suauis est, & mellitula, vt honor sit omnium propinquorum. Hanc tenere non dedignatur Augustus (Theodosius) hanc fouere in sinu Regina (Placidia) lętatur. Certatim ad se omnes rapiunt. Pendet ex collo: hæret in brachijs singulorum: garrula atque balbutiens, linguæ offensione fit dulcior. Habes igitur, Saluina, quos nutrias, in quibus virum absentem tenere tę credas. Pro vno homine duos filios recępisti; auctus est numerus charitatis. Quidquid debebas marito, redde filijs. Amore præsentiũ absentis desiderium tempera. Non est parui apud Deum meriti, bene filios educare.

V. *Quare cautio adhibenda aduersus delicta, quamuis leuia?*

PRodest ad cautionem etiam minima pro maximis cauere. Tanto enim facilius abstinemus à quocunque delicto, quanto illud magis metuimus. Nec citò ad maiora progreditur, qui etiam parua formidat. Et sanè nescio an possimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Estque ille prudentissimus, qui non tam considerat quod iussum sit, quàm illum qui iusserit: nec quantitatem imperij, sed imperantis cogitat dignitatem. Ad Celantiam, epist. 14.

VI. *Detractio.*

PAuci admodum sunt, qui huic vitio renuntient: raroque inuenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam. Tantaque huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab alijs vitijs recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant. Tu verò hoc malum ita effuge, vt non modò ipsa non detrahas: sed ne alij quidem detrahenti aliquando credas. Nihil tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem, ac leuem faciat, quam facile totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia nascuntur. Hoc est quod sæpe de amicissimis etiam inimicos facit. Beatus qui ita se contra hoc vitium armauit, vt apud eum detrahere nemo audeat. Quod si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus, iam omnes detrahere timerent: ne non tam alios, quam seipsos viles detrahendo facerent. Sed hoc ideò malum celebre est, idcirco in multis feruet hoc vitium, quia pæne ab omnibus libenter auditur. Ibidem.

VII. *Paulæ matris, & Eustochij filiæ laus.*

ET cum omnia quæ dixi feceris, ab Eustochio

tua,

tua, Paulaque vinceris, si non opere, certe sexu. Ego quidem Romæ non eram, quando socero tuo viuente Toxotio (*marito Paulæ, cuius filiam Paulinam hic Pammachius uxorem habuerat, qua mortua totum se Deo dicauerat*) sæculo seruiebant: sed tamen audio, quæ immunditias platearum ferre non poterant; quæ eunuchorũ manibus portabantur, & inæquale solum molestius transcendebant: quibus serica vestis oneri erat, & solis calor incendium: nunc sordidatę, & lugubres, & sui comparatione forticulæ, vel lucernas concinnant: vel succendunt focum: pauimenta verrunt: mundant legumina: olerum fasciculos inferuentem ollam deijciunt: apponunt mensas: calices porrigunt: effundunt cibos: huc illucque discurrunt. Et certe magnus virginum chorus cum illis habitat. Num huiuscemodi ministeria alijs imperare non poterant? Sed nolunt vinci ab his labore corporum, quas ipsæ superant virtute animi. Ad Pammachium, epist. 26.

VIII. *Monachi, & Clerici.*

NOnnulli sunt ditiores monachi, quàm fuerunt sæculares; & Clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallace diabolo non habuerunt: vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos. Ad Nepotian. epist. 2. Facile contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium non recusat. Ibid.

Monachus non doctoris, sed plangentis habet officium: qui vel se, vel mundum lugeat, & domini pauidus præstoletur aduentum: qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile, quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat, atque frangatur. Vnde & mulierum, maximeq; adolescentularum vitat aspectum, & in tantum castigator sui est, vt etiam quæ tuta sint pertimescat. Ad Riparium presbyterum, ep.53.

IX. *Breuium sententiarum Chaos ex iisdem.*

I. NEscio quomodo etiam ipse qui deprecatur vt tribuat, cum acceperis, viliorem te iudicat; & mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur. Epist. 2. II. Romanorum ducum virtutibus quasi quibusdam stellis Romanæ micant historiæ. epist. 3. III. Homines sumus; & interdum contra annorum maturitatem puerorum vitijs labimur. Epist. 4. IV. Christianæ animæ pabulum in lege domini meditari die, ac nocte. Epist. 6. V. Procliuis est malorum æmulatio, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia. Epist. 7. VI. Mihi omnino in adulta virgine lauacra displicent, quæ seipsam debet erubescere, & nudam videre nô posse. Ibid. VII. Equorum cursus fauore pernicior fit. Pugilum fortitudo clamoribus incitatur. Paratas ad prælium acies, strictosque mucrones sermo Imperatoris accendit. Epist.

Epist.8. VIII. Nec diuiti obsunt opes, si eis bene vtatur: nec pauperem egestas commendabiliorem facit, si inter sordes, & inopiam peccata non caueat. Epist. 9. IX. Tenera res in fœminis fama pudicitiæ est: quasi flos pulcherrimus citò ad leuem marescit auram, leuiq; flatu corrumpitur: maximè vbi & ætas consentit ad vitium; & maritalis deest auctoritas, cuius vmbra tutamen vxoris est. Ibid. X. In serico, & in pannis eadem libido dominatur; nec regum purpuras timet; nec mendicantium spernit squalorem. Ibid. XI. Nec statim nobis pœnitentiæ subsidia blandiantur, quæ sunt infælicium remedia. Cauendum est vulnus quod dolore curatur. Aliud est integra naue, & saluis mercibus portum salutis intrare: aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuũ recursibus ad asperrima saxa collidi. Ibid. XII. Parcus cibus, & venter semper esuriens triduanis ieiunijs præfertur. Et multo melius est quotidie parum, quam raró satis. Epist. 10. XIII. De Blæsilla sorore Eustochij, quæ post 7. menses perdidit virum. O infælix humana conditio. Et virginitatis coronam, & nuptiarum perdidit voluptatem. Et quanquam secundum pudicitiæ gradum teneat viduitas: tamen quas illam per momenta sustinere existimas cruces, spectantem quotidie in sorore quod ipsa perdiderit: & cum difficilius experta careat voluptate, minorẽ continentiæ habere mercedem? Epist. 22.

EX S. AMBROSIO.

I. *Allium.*

QVid dicam allio homines delectari, & illud ad escam sumere, quod & leopardus fugit? Denique sicubi allium aliquis confricandum putauerit, leopardus inde exilit, nec resistit. Cuius venenata fera odorem non potest sustinere, id tu pro cibo sumis, & visceribus infundis internis? Sed medicatur interdum doloribus. Sumatur pro medicamento, non pro cibo. Sumatur ab ægrotantibus, non ab epulantibus. Lib. 6. Hexaëm. cap. 4. *Detestatur Allium Horat. Ode 3. Epod. venenum vocans, & cicutis nocentius. Eo vtuntur plurimo messores; & rustici, milites, & nautæ, alliato scilicet, qui est cibus allio conditus. Odoris eius grauitas hominibus delicatioribus est prorsus intolerabilis.*

II. *Castimonia Iosephi.*

VIdit hunc ignem Ioseph quando eum adulterij cupida mulier allocuta est. Voluit eum capere sermone, emisit laqueos labiorum suorum; sed pudicum virum ligare non potuit. Soluit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo grauitatis, habena cautelæ, fidei custodia, castimoniæ disciplina. Reliquit tanquã non sua quæ adultera suis manib⁹ detinebat: & aliena iudicauit, quæ tactu impudicæ potuerunt cõprehendi. Magnus quippe vir, qui venditus seruile nesciuit inge-

Ingeniũ. Adamatus nõ redamauit, rogatus non acquieuit, comprehensus aufugit. Ac ne ipsa verba quidem diu passus est. Contagium enim iudicauit, si diutius moraretur ; ne per manus adulteræ libidinis incentiua transirent. Lib. 1. de Pœnit. cap. 13. & lib. de Ioseph. cap. 5.

III. *Humani capitis, & capillorum decus.*

VT cælum eminet aeri, terris maria, quæ velut quædam membra sunt mundi; ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis, quod instar mundi fabricatum est, cernimus eminere, præstantissimumque esse omnium, tanquam inter elementa cælum, tanquam arcem inter reliqua vrbis mœnia. Ex hoc aut destituuntur vniuersa, aut omnia fulciuntur. Ipse autem vertex capitis quàm suauis, & gratus? Quàm speciosa cæsaries, quam reuerenda in senibus, quàm veneranda in sacerdotibus, in bellatoribus, quam decora in adolescentibus, quàm compta in mulieribus, quam dulcis in pueris? Alium sexum crinita, alium tonsa non decet. Ex arboribus licet, quæ humani sit gratia capitis æstimare. In capite arboris omnis est fructus, ibi omnis est pulchritudo. Illius coma nos aut à pluuijs tegit, aut à sole defendit. Tolle arbori comam, tota arbor ingrata est. Quanto ergo maior humani capitis ornatus est, qui cerebrum nostrum, hoc est, sedem, originemque nostrorum sensuum, capillis

SAnè negare non possumus quod errauerit mulier. Quid miraris tamen si infirmior lapsus est sexus, cum sit lapsus etiam fortior? Mulier excusationem habet in peccato, vir non habet. Illa, vt scriptura asserit, à sapientissimo omnium serpente decepta est, tu à muliere; id est, illam superior creatura decepit, te inferior. Te quippe mulier decepit, illam malus licet, tamen angelus. Si tu inferiori non potuisti resistere, quomodo illa potuit superiori? culpa tua illam absoluit. Si de merito culpæ dubitas, interrogemus sententiam, qua illi dictum est: in tristitia paries filios, & ad virum tuum conuersio tua, & ipse tibi dominabitur. Viro autem dicitur, Terra es, & in terram ibis. Si Adam quod à domino deo audiuerat seruare non potuit, quomodo potuit seruare mulier quod audiuerat à viro? Si illum dei vox non confirmauit, quomodo istam vox firmaret humana? Denique Adam conuentus quòd contra diuina quæ audierat præcepta gustasset, nihil habuit quod diceret, nisi quod sibi mulier dedisset, & comedisset: mulier autem ait, serpens me traduxit, & manducaui. Quanto maior mulieris absolutio? Ille arguitur, hæc interrogatur. Adde illud, quod & prior culpam fatetur. Etenim quæ se dicit esse seductam, testatur errorem. Erroris igitur medicina confessio est. In iudicio ipso quanto clementior mulier viro? Ille mulierem suam accusauit, ista serpentem: hoc est, nec accusata crimen suũ retorsit, sed

ipsum

ipsum accusatorē suum maluit, si posset, absoluere, quam ligare. &c. Lib. de laude Mariæ virg.

VI. *Hæretici.*

HÆretici ij sunt, qui per verba legis legem impugnant. Proprium enim sensum verbis legis astruunt, vt prauitatem mentis suæ legis auctoritate commendent. Sciens enim impietas multum valere auctoritatem legis, fallaciam sub nomine eius componit: vt quia res mala per semetipsam acceptabilis esse non potest, bono nomine commendetur. Idcirco huiusmodi homines vt inexcusabiles sint, semel corripi oportet. Frequentius enim correpti, exercitatiores fient in malo. Cogere autem illos videtur, qui sæpe corripit, vt sollicitiores fiant ad perditionem multorum, ideo dimittendi, vt negligentiores effecti, soli forte depereant. Super epist. ad Titum, cap. 3.

VII. *Ingenium coërcendum.*

CAuendum est, ne mens nostra pluribus occupata, non solum bonos non generet partus, sed etiam inutilibus plerisque degeneret: simul & vitis ne non putata facile syluescat, dissoluatur cito, sed posteritati reseruetur. Nam & ingeniosi multa pariunt, quæ vtile est circumcidere: & qui doctrinam diligentia assecuti sunt, videre in se debent inscientiam. Lib. 2. de Abraham.

VIII.

VIII. *Adolescentia prona in vitium.*

PVlchre Iob id ætatis arripuit ad querelam, quæ magis ad vitium lubrica esse consueuit. Habet enim pueritia innocentiam: senectus prudentiam: ipsa vicina adolescentiæ iuuenta bonæ existimationis intuitum, & verecundiam delinquendi. Adolescentia sola est inualida viribus, infirma consilijs, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa delicijs. In tam igitur confragoso, & scopuloso mundi istius turbine cur tam crebra naufragia improuidæ adscribuntur ætati? (vnde præclarè Dauid totius eius temporis veniã sibi à domino postulauit dicens, *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*) quia tunc maximè calor corporis feruet, & æstu sanguinis vaporantis ignescit. In Iob. cap. 7.

I X. *Mors non est malum, ideo nec fugienda.*

NOn habemus quod in morte metuamus, si nihil quod timendum sit vita nostra commisit. Etenim prudentibus delictorum supplicia terrori sunt; delicta autem non mortuorum actus sunt, sed viuentium. Vita igitur ad nos refertur, cuius actus in nostra potestate est: mors autem nihil ad nos. Est enim separatio animæ, & corporis. Absoluitur anima, resoluitur corpus. Quæ absoluitur, gaudet; quod resoluitur in terram suam, nihil sentit. Quod nihil

sentit

sentit, nihil agnoscit. Tamen si mors malum; quomodo iuuenes non timent fieri senes, nec finitimam mortis verentur ætatem? patientiusq; deficit, qui præsumpta morte deficit, quam qui inopinata. His quoque qu malum putant mortem, aptum responsum arbitror, quia per vitam ad mortem est transitus, per mortem ad vitam reditus. Neq; enim nisi qui mortui fuerint possunt resurgere. Insipientes autem mortem quasi somnum malorum reformidant: sapientes quasi requiem post labores, & finem malorum expetunt. De bono mortis lib. 1. cap. 8.

X. *Vsura.*

NEscit ergo quid poscat infælix, qui peccuniã petit mutuam; quid accipiat ignorat. Non nouit pecunia fœneratoris vno diutius loco stare, solita transire per plurimos, vno teneri sacculo: versari, ac numerari expetit, vsu requirit vsuram. Fluctus quidam est maioris, non fructus. Pecunia nunquam quiescit. Labitur velut scopulo illisa: ita gremium debitoris percutit, & cõtinuo relabitur eò vnde processit. Cum murmure venit, cum gemitu reuertitur. Frequenter tamen placidum ventis stat mare: semper fœnoris vnda iactatur: mergit naufragos, expuit nudos, vestitos exuit, insepultos relinquit. Nummum ergo petis, & naufragium suscipis. Lib. de Tobia, cap. 5.

EX

EX S. AVGVSTINO.

I. *Deus saltem redamandus.*

SI amare Deum pigebit, saltem redamare nē pigeat. Nulla enim maior ad amorem inuitatio; quàm præuenire amando. Et nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere. Quod si in ipsis flagitiosis, & sordidis amoribus videmus eos nihil aliud agere, qui amari inuicem volunt, nisi vt documentis quibus valent, aperiant, & ostendant quantum ament, eamq; imaginem iustitiæ prætendere affectant, vt vicem sibi reddi quodammodo flagitent ab eis animis, quos illecebrare moliuntur: ipsique ardentius æstuant, cum iam moueri eodem igne etiam illas mentes quas appetunt, sentiunt: si ergo & animus qui torpebat, cum se amari senserit excitatur: & qui iam feruebat, cum se redamari didicerit magis accenditur; manifestum est nullam esse maiorem caussam, qua vel inchoetur, vel augeatur amor, quā cum amari se agnoscit, qui nondum amat; & redamari se vel posse sperat, vel iam probat, qui prior amat. Et si hoc etiam in turpibus amoribus, quanto plus in amicitia Dei? De catechizand. rudibus.

II. *Verus Christianus.*

HOc nomen frustra sortitur, qui Christum minimè imitatur. Quid enim tibi prodest

vocari quod non es,&nomen vſurpare alienum? Sed ſi te Chriſtianum eſſe delectat, quæ Chriſti ſunt gere, & meritò tibi Chriſtianum nomen aſſume. Aut forſitan non eſſe, ſed vocari deſideras: hoc ſatis fœdum,& miſerum eſt,te velle vocari quod nō ſis. Nemo enim ita tranſit ad Chriſtum, vt Chriſtianus appelletur, & non ſit. Qui Chriſtianus dicitur, Chriſtum ſe habere dominum profitetur. Et verè habet, ſi ei in omnibus obſequatur, & ſeruiat. Si quo minus: Chriſti ille non famulus eſt: ſed ſubſannator, & irriſor, qui eius ſe ſeruum dicit, cui ſeruire diſſimulat. Huic ergo geminum iudicium ſeruatur: pro Dei ſubſannatione, quem ſine cauſa dominum appellauit: & pro qualitate peccati. De vita Chriſtiana.

III. Θεολογούμενα.

EXcedit ſupereminentia Deitatis non ſolum vſitati eloquij noſtri, ſed etiam intelligentiæ facultatem. Verius enim cogitatur Deus, quā dicitur: & verius eſt, quam cogitetur. Non parua autem notitiæ pars eſt, ſi, antequam ſcire poſſimus quid ſit Deus, poſſimus ſcire quid non ſit. Quid tamen eſt Deus? Quod nulla attingit opinio. Plus enim eſt quam quidquid dici poteſt, aut cogitari. Sed dicamus aliquid, quod quāuis impar ſit, tamen ex aliqua conueniat ratione ijs, quæ digna Deo videntur. Nam vnaquæque natura pro capacitate ſui ſuſpicatur de Deo, vt quan-

quantum distat natura à natura, tantum distet sententia à sententia quid Deus sit. Quia enim super omnia est, necesse est, vt hominum mentes exсedat. Homines enim quantum possunt aciem mentis extendere aspiciunt quid Deus sit, opinione, non definitione. Angeli autem qui superiores sunt hominibus, quin plus aliquid de Deo sentiant, non est dubium. Archangeli verò eo ipso amplius. Cherubin autem, & Seraphin, quæ potentiæ iuxta Deum esse dicuntur, maiora de Deo sentiunt, non tamen comprehendunt penitus quid Deus sit, *quia nemo nouit patrem, nisi filius: nec filium quis nouit, nisi pater.* Igitur Deus est, sicut hominibus videtur, spiritus, natura simplex, lux inaccessibilis, inuisibilis, inæstimabilis, infinitus, perfectus, nullius egens, immortalis omnimodè, à quo omnia initium consecuta sunt, venerandus, diligendus, metuendus, extra quem nihil est, immò in quo sunt omnia quæcunque sunt sursum & deorsum, summa & ima: omnipotens, omnitenens, verè in omnibus diues, quia nihil est, quod non eius sit, bonus, iustus, misericors. Lib. de vera innocentia, & lib. 1. Quæst. vet. & noui testam. q. 1.

IV. *Sancta ebrietas.*

Qvemadmodum accipere vinum immoderatè, & ingurgitare se in ebrietate est mentem perdere: ita erit cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, peribit quodammodo humana

mens, & fiet diui... Ideo dixit Propheta: *Inebriabuntur ab vbertate domus Dei*, cui dixerat, *Calix tuus inebrians quam praeclarus est?* Hoc iam calice inebriati erant martyres, quando ad passionem euntes suos non agnoscebant. Quid tam ebrium, quam non agnoscere vxorem flentem, non filios, non parentes? Non eos agnoscebant; & non eos ante oculos esse arbitrabantur. Omnes propinqui sui, qui eos à spe cælestium præmiorum terrenis blandimétis auertere moliti sunt, non sunt agniti, non sunt audíti ab ebrijs. Non erant tamen ebrij, sed mutatum eis erat cor, & alienata mens ab hoc sæculo. Super Psalm. XXXV. & LXXIV.

V. *Encomium mulieris.*

Reuera iter mali ad hominem mulier ab initio fuit. Mortis porta, discipula serpentis, diaboli consiliaria, fur arboris, fons deceptionis, canicula operum diuinorum, rubigo sanctorum: vultu sanctissimos elisit, & homines iam pæne angelos factos, facie periculosa deiecit; cuius latrocinia peruenerunt ad sidera, facies in terris posita in alto emisit scandala, inurendo multitudiné virorum: quæ tanta calamitas paradisum compilauit, & cœlum. Quid aliud mulier, quam fornicum decipulę, quam peruersa & amarissima pestis: quæ laqueo blando incautos semper elisit, & toxico, aut veneno innume-

merabiles lethaliter cruciauit? *Adiungamus simile præconium ex Tertulliano de Habitu mulie-bri.* Tu es diaboli ianua, tu es arboris illius resignatrix, tu es diuinæ legis prima desertrix, tu es quæ eum suasisti, quem diabolus aggredi non voluit. Tu imaginem Dei hominem tam facile elusisti. Propter tuum meritum, id est, mortem, etiam filius Dei mori habuit: & adornari tibi in mente est, super pelliceas tunicas? Vide, si lubet, Præfat. Ioannis Passeratij in orationes Catonis, & Valerij de lege Oppia.

VI. *In Domino laudabitur anima mea.*

Difficile est oculo cordis mundato non surrepere sordes aliquas de ijs rebus, quæ ipsas nostras bonas actiones comitari solent, velut est laus humana. Siquidem non rectè viuere perniciosum est: rectè autem viuere, & nolle laudari, quid aliud est, quam inimicum esse rebus humanis? quæ vtique tanto sunt miseriores, quanto minus placet recta vita hominum. Si ergo inter quos viuis, te rectè viuentem non laudauerint, illi in errore sunt: si autem laudauerint, tu in periculo es: nisi tam simplex cor habueris, & mundum, vt ea quæ rectè facis, non propter laudes hominum facias: magisque illis recta laudantibus gratuleris, quibus id quod bonum est placet, quam tibi: nisi quia rectè viuis, etiamsi nemo laudaret: ipsamque laudem tuam tunc in-

telligas vtilem esse laudantibus, si non teipsum in tua bona vita, sed Deum honorent, cuius sanctissimum templum est quisquis bene viuit: vt illud impleatur quod dicit Dauid. *In Domino laudabitur anima mea. Audiant mansueti, & lætentur.* Lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 1.

VII. *Sobrietatis preconium.*

SObrietas est castitas sensus, & mentis, & membrorum omnium corporis, tutela castitatis, pudicitiæ munimen, pudori proxima, amicitiæ pacisque serua, honestati semper coniuncta, criminum, vitiorumq; omnium fugatrix, recti iudicij, memoriæ, recordationisq; inseparabilis amica, secretorum custos, arcani velamen, lectionum, & doctrinæ capax, studiorum, & artium bonarum discipula pariter, & magistra, ingeniorum instituendorum pedisequa, bonæ famæ semper auida, in cogitationibus salubria, atque vtilia causans, virtutis singulare auxilium, cuncta cum ratione disponens, in congregatione honestorum seipsam semper ingerens. Sobrietas temeritatem fugit, pericula cuncta declinat, mutuis officijs obtemperat, superbiam detestatur, domum, familiamq; cum moderatione gubernat, fidem sibi committentibus seruat, omnes causat virtutes, & omnes laudum tituli semper eam concupiscunt, quia sine ipsa ornari, aut placere non possunt. Ad sacras virgines. Vide, si placet, & Philonem De verbis Resipuit Noe, pag. 181.

VIII.

VIII. *Duplex vita.*

DVas vitas sibi diuinitus prædicatas, & commendatas nouit Ecclesia: quarum vna est in fide, altera in specie: vna in tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis: vna in labore, altera in requie: vna in via, altera in patria: vna in opere actionis, altera in mercede contemplationis: vna declinat à malo, & facit bonum, altera nullum habet, à quo declinet malum, & magnum habet quo perfruatur bonum: vna cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat: vna fortis est in aduersis, altera nihil sentit aduersi: vna carnales libidines frænat, altera spiritalibus delectationibus vacat: vna est vincendi cura sollicita, altera victoriæ pace secura: vna in tentationibus adiuuatur, altera sine vlla tentatione in ipso adiutore lætatur: vna subuenit indigenti, altera ibi est, vbi nullum inuenit indigentem: vna aliena peccata, vt sua sibi ignoscantur, ignoscit, altera nec patitur quod ignoscat, nec facit quod sibi poscat ignosci: vna flagellatur malis, vt non extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo, vt sine vlla tentatione superbiæ cohæreat summo bono: vna bona & mala discernit, altera sola quæ bona sunt cernit. Ergo vna bona est, sed adhuc misera: altera melior, & beata, Super Ioann.

IX. *Spicilegium Sententiarum ex libris de Ciuitate Dei.*

EX lib. 1. cap. 7. Quod autem more nouo factum est, quod inusitata rerum facie immanitas barbara tam mitis apparuit, vt amplissimæ basilicæ implendæ populo cui parceretur, eligerentur, & decernerentur (de Roma à Gotthis rege Alarico capta loquitur) vbi nemo feriretur, vnde nemo raperetur, quò liberandi multi à miserantibus hostibus deducerentur, vnde captiuandi nulli necà crudelibus hostibus abducerétur: hoc Christi nomini, hoc Christiano tempori tribuendum, quisquis non videt, cæcus: quisquis videt, nec laudat, ingratus: quisquis laudanti reluctatur, insanus est. 2. Quicunque boni malique pariter afflicti sunt, non ideo distincti non sunt, quia distinctum non est, quod vtrique perpessi sunt. Confirmatur similitudine, lib. eodem cap. 3. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patitur. Nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum. Ibid. 4. Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit. Neque enim facit malam mortem nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum est, qui necessario morituri sunt, quid accidat, vt moriantur, sed moriendo quò ire cogantur. cap. 11. 5. Alienam libidiné inuitò patientis nec corporis sanctitas, nec animi pudicitia sine consen-

ſu amittitur. cap. 18. Ex lib. 11. cap. 7. Ad vitia pro nos magis mouebat quod dij feciſſent, quam quod philoſophi diſputaſſent. 2. Romani veteres auferendo poetis licentiam in homines, permittendo in deos, melius de ſe, quam de illis ſenſerunt. cap. 12. Ex lib. IV. 1. Remota iuſtitia quid ſunt regna, niſi latrocinia? Quia & ipſa latrocinia quid ſunt niſi parua regna? cap. 4. 2. Fortuna poteſt eſſe mala: fœlicitas autem ſi mala fuerit, fœlicitas non erit. cap. 18. Ex lib. VIII. Philoſophorum nomen ſi latinè interpretemur, amorem ſapientiæ profitetur. Porrò ſi ſapientiam profitemur, & ſapientia deus eſt, per quem facta ſunt omnia, ſicut diuina auctoritas, veritasque monſtrauit, philoſophus eſt amator dei ca. 1. 2. Deo non aliud eſt eſſe, aliud viuere, quaſi poſſit eſſe non viuens: nec aliud illi eſt viuere, aliud intelligere; quaſi poſſit viuere non intelligens: nec aliud illi eſt intelligere, aliud beatum eſſe: quaſi poſſit intelligere, & non beatus eſſe; ſed quod eſt illi viuere, intelligere, beatum eſſe, hoc eſt illi eſſe, cap. 6. 3. Ego ſum qui ſum, vehementer Plato tenuit, & diligentiſſimè commendauit. cap. 11. in fine. 4. Platonici quanto melius de vno deo ſenſerunt, tanto cæteris philoſophis glorioſiores, illuſtrioresque habentur c. 12.

EX S. GREGORIO MAGNO.

I. *Vitæ cæleſtis cupido: rerum fluxarum contemptio.*

QVI cælestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfectè cognouerit, ea quæ in terris amauerat libenter cuncta derelinquit. In eius comparatione vilescunt omnia; deserit habita, congregata dispergit, inardescit in cælestibus animus, nil in terrenis libet, deforme conspicitur quidquid de terrenę rei placebat specie: quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mēte. De cuius dilectione rectè Salomon, *Fortis est vt mors dilectio*: quia videlicet sicut mors corpus interimit: sic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ charitas occidit. Nam quē perfectè absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit. Homil. 11. in Euangel.

II. *Temperamentum Prælati in subditis castigandis.*

TAnta debet esse discretio Prælati, vt nec disciplina nimia, nec ipsa quoque misericordia sit remissa; ne si inordinatè culpa dimittitur, is, qui est culpabilis, in reatu grauis adstringatur. Et rursus, si culpa immoderatè retinetur, tanto qui corrigitur deterior fiat, quanto erga se nihil benignitatis gratia agi considerat. Exhibenda itaque prauis est asperitas in ostensione, charitas in mente: vt & dura ostensio delinquentem coërceat, & charitatis custodia mercedem mansuetudinis non amittat. Homil. 21. sup. Ezech. lib. 2.

III. *Aduersus delectationem carnis.*

CArnalis dulcedo delectationis in conscientia nutrit vermem doloris. Quid namq; caro nisi putredo, ac vermis est? Et quisquis carnalibus desiderijs anhelat, quid aliud quam vermem amat? Quæ enim sit carnis substantia, testantur sepulchra. Quis parentum, quis amicorum fidelium, quamlibet dilecti sui tangere carnem scaturientem vermibus potest? Caro itaque cum concupiscitur, pensetur quis sit exanimis, & intelligitur quid ametur. Nihil quippe sic ad edomandum desiderium carnalium valet, quam vt vnusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum, penset. Considerata enim corruptione carnali citius cognoscitur, quia cum illicite caro concupiscitur, tabes desideratur. Bene ergo de luxuriosi mente dicitur, *Dulcedo illius vermis:* quia is, qui in desiderio carnalis corruptionis æstuat, ad fœtorem putredinis anhelat. Lib. 6 Moral. cap. vlt.

IV. *Placandus deus ante supremum iudicium.*

OMnis qui peruersa agit, eo ipso quo hoc despicit, esse dei iudicium nescit. Si enim hoc timendum sciret, quæ in illo sunt punienda non ageret. Nam sunt plerique, qui extremum esse iudicium verbo tenus sciunt, sed peruersè agendo testantur quia nesciunt, Si enim pensare pon-

dus tremendi examinis nosset, iræ diem vtique timendo præcaueret. Vitari autem terror iudicis non nisi ante iudicium potest. Modò nō cernitur, sed precibus placatur. Cum verò in illo tremendo examine sederit, & videri potest, & iam placari non potest: quia facto prauorum quę diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus. Vnde necesse est nunc timere iudicem: ne cum semel manum in retributione vltionis excusserit, tanto in iudicio districtius feriat, quanto ante iudicium diutius exspectat. Lib. Moral. 14. cap. vlt.

V. *Extra Ecclesiam Catholicam non est martyrium.*

QVisquis extra vnitatem Ecclesiæ patitur, pœnas pati potest, martyr fieri non potest: quia auro locus est, in quo conflatur. Quid itaque ad ista hæretici dicitis? Conflari per afflictionem carnis, vel etiam per martyrium vultis? sed locum, in quo debeatis conflari nescitis. Audite quod sancti prædicatoris voce dicitur: *Auro locus est, in quo conflatur.* Hunc ergo conflationis locum quærite: hanc fornacem, qua aurum aptè purgari valeat, inuenite. Vna est Ecclesia, in qua qui conflari voluerit, ab omni etiam poterit peccatorum sorde purgari. Si quid pro deo amaritudinis, si quid tribulationis extra hanc positi sustinetis, incendi potestis tantummodo, nō purgari. Non clarescet anima in fulgore æternę pulchritu-

chritudinis, nisi (vt ita dicam) prius hic arserit in officina charitatis. Lib. Moral. 18. cap. 14.

VI. *Ingratum deo sacrificium.*

Ilotum sacrificium Deus non accipit, qui lacrymis quidem se compunctionis abluunt, sed ijsdem, à quibus ante mundati videntur, peccatorũ maculis in idipsum reuertentes sordescunt. De talibus scriptum est. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodest lauatio eius? Ille quippe lauatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, qui per pœnitentiam mũdatur à peccato: quem si contigerit eadem quæ punierat iterando peccata committere, nihil cõtulisse videtur adhibita satisfactionis lauatio; quem maculauit inhonestius iterata facinoris turpitudo. In explanat. 4. psal. pœnit.

EX S. GREGORIO NAZIANzeno.

I. *Laus vitæ solitariæ.*

Deinde quidam me cepit amor boni, quod in quiete positum est, atque in solitudine: cuius quidẽ cum ab initio tam cupidus fuissem, quam nescio an alius quisquam eorum, qui litteratum studia coluerint, quamque in maximis, ac difficilimis periculis deo cum vouissem, & verò attigissem etiam primo tantum aditu; ita, vt gustu maius mihi sui desiderium iniecisset, non sum passus me in seruitutem adduci, atq; in me-

dios

dios tumultus impelli, & quasi à sacro quodam huius vitæ asylo per vim abstrahi. Nihil enim mihi quidem videbatur optatius, quam clausis sensibus, domita carne, spreto mundo, mente ad se reuocata, omnibus rebus hominis, quantum patitur necessitas, planè posthabitis, seipso, ac deo in consilium adhibito, supra ea, quæ videntur, viuere, ac diuinas species semper puras in se ferre, cum his inferioribus formis atque errantibus minimè mistas, verè immaculatum dei, diuinarumque rerũ speculum existentẽ, & continenter fieri pergentẽ, lumine lumen accipientem, obscuriore clarius, iamque summo illo futuri sæculi bono spe fruentem, &, dum adhuc in terra sis, terram relinquentem, & à spiritu ad superiora elatũ, cum angelis vitam degere. Si quis vestrum hoc tenetur amore, nouit quod dico.

II. *Vitiorum procliuitas.*

CItius quis exigui vitij magnam hauserit copiam, quam paululum immensæ virtutis: siquidem & melli vel modicum absinthium suam illico impertit amaritudinem: mel autem ne si duplo quidem amplius fuerit, suam absinthio impartiatur dulcedinem: & paruus lapillus auulsus flumen vniuersum decliuia in loca traxerit: reprimere verò, aut retrahere vix possit vel firmissima munitio, ac moles. Ibid.

III. *In-*

III. *Incarnatio filij Dei ex antithetis illustrata.*

PRodiens autem deus vnà cum eo quod assumpserat, vnum ex duobus contrarijs, carne & spiritu, quorum hic quidem deificauit, illa verò deificata est. O noua mixtio. ô incredibilis temperatio. Is qui est fit, increatus creatus, is qui capi non potest capitur per mediam animam rationalem, intercedentem inter diuinitatem, & carnis crassitudinem. Qui ditat, mendicat: mendicat enim meam carnem, vt ego diter ipsius diuinitate. Qui plenus est exinanitur: exinanitur enim sua gloria paululum, vt ego illius particeps fiam plenitudinis. Quæ diuitiæ bonitatis? quodnam hoc est, quod circa me fit mysterium? Ipsius ego imaginem suscepi, & non custodiui: meam ipse suscepit carnem, vt & imaginem seruet, & carnem immortalem reddat. Secundam communicat communionem, multo admirabiliorem priore, quanto tunc quidem rem nobis præstantiorem impertiuit: nunc vero deterioris ipse fit particeps. Hoc sanè quam illud, diuinius. Hoc his, qui recta sapiunt, longe excellentius. Orat. in Natal. D.

IV. *Ad vitæ sanctimoniam hortatiuncula.*

QVo circa bonum dominum sequamur, terrenas cupiditates fugiamus, impostorem mun-

mundi, & mundi principem. Creatori nostotos addicamus, imaginem honore prosequamur, nomen nostrum reuereamur, vitam in melius commutemus. Quid nosmetipsos sponte deijcimus, cum sublimes, & excelsi creati simus? Quid rebus in aspectum cadentibus inhęremus? Vnusquisque deo quod poterit offerat, quouis tempore, quouis genere vitæ, & fortunæ, pro præsentis facultatis modulo, pro gratia sibi concessa: vt per omnes virtutis modulos omnes regni cælestis mansiones impleamus, tantum scilicet metentes, quantum seuerimus, vel, vt exactius loquar, tantum in diuinis horreis conditum habétes, quantum arauerimus, &c. Orat. ad Iulian. Exæquatorem.

V. *S. Basilii simioli.*

RES laudandas ac præclaras partim ipse inuenit, partim æmulatus est, partim superauit. In quantum autem omne virtutis genus excoluit, omnibus nostræ memoriæ hominibus palmam præripuit. Tanta ipsius virtus fuit, gloriæque affluentia, vt multa ex paruis ipsius rebus, atque adeo ex corporis vitijs ab alijs ad gloriam, nominisq; claritatem parandam excogitata sint. Cuius generis sunt pallor, barba, certus incedendi modus, tum etiam non admodum cupidè, prompteque loqui: sed vt plurimum cogitabundum, atque intrò ad se conuersum esse (id quod multi non rectè imitantes, nec animaduertentes

in tristitiam, atque inamœnam quandam austeritatem inciderunt) vestis etiam genus, & lectuli forma, & esitandi ratio: quorum ille nihil studio, & de industria, sed simpliciter, temereque faciebat. Ac multos iam Basilios specie tenus videre licet, quasi statuas in vmbris: nimium enim illis dedero, si eos resonabili Echus voci similes esse dixero. Nam illa quamuis postremam duntaxat sermonis partem, expressius tamen refert, atque exprimit: hi autem longius ab eo distant, quam quantum accedere concupiscunt. In laudat. Basilij.

VI. *Miscellæ sententiæ ex eodem Gregorio.*

I. Is est optimus ordo in omni tum sermone, tum opere instituendo, vt à deo incipias, & in deum pariter desinas. Apologet. 1. II. Nihil æque iucundum accidit hominibus, atque de alienis rebus temerè loqui: & maximè si quo forte amore, aut odio rapiantur, à quibus supprimi plerumque solet veritas. Ibid. III. Pastores & doctores in Ecclesia cum populo collati rationem animæ ad corpus, & mentis ad animam obtinēt. Ibid. IV. Opinio propriæ sapientiæ de ipsa sapientia detrahit plurimum; & inanis gloria magnum affert hominibus impedimentum ad virtutem. Ibid. V. Virtutum quæ excellat, cuiue primæ deferendæ, ac palma danda, non facile est reperire. De amore pauperum. VI. Præstan-

tissima pars charitatis est amor erga pauperes, misericordia & miseratio erga proximum. Ibid. VII. Corpus cum bene se habet, oppugnat, cum oppugnatur angit, & cruciat; quod, & tanquam conseruum, diligo, & vt hostem auersor: quod quasi vinculum fugio, & vt cohæredem vereor: liquefacere illud ac labefactare contendo, ac præter ipsum quo adiutore ad res præclarissimas vtar, non habeo. Ibid. VIII. Terra, & mare honoratum nobis stercus largiuntur: sic enim ego didici honorare delicias. In natal. D. IX. Intemperantia mea quidem sententia dici potest, quidquid est superuacaneum, ac minus necessarium, præsertim cum esuriant, atque egeant alij, ex eodem luto, eademque temperatione facti. Ibid. X. Ita natura comparatum videmus, vt circa rei cuiusque primordia acriora sint, & feruentiora omnium mortalium studia Apologet. 2. X. Minus periculosum est audire quam loqui: ac proinde libentius de deo quippiam discendum, quam docendum. Ibid. XII. Demus operam, ne sancta impurè, & sublimia demissè, & honore digna turpiter, &, vt vno verbo complectar, spiritalia terrenè celebremus. Apologet. 3. XIII. Anima & corpus bellum inter se vt plurimum gerunt. Et corpus quidem ægrotante anima bellè habet: anima autem floret, atque erectos in cælum oculos habet, cum voluptates decidunt, atque vnà cum corpore marcescunt. Orat. ad patrem. XIV. Non facilè

de

de alio malum suspicatur, qui non facilè ad malum impellitur. Ibid. XV. Laudabilis auaritia, in hac vita paulum quiddam dare pauperibus, vt in altero æuo diuitijs affluamus. Ad Iulian. tribut. Exactor. X V I. Magnum pharmacum, quod ab ijs qui eodem dolore affecti sunt porrigitur: & qui in eadem calamitate versantur, eorum in consolandis calamitosis maior est auctoritas. In laud. Cæsarij fratris.

EX S. ATHANASIO.

I. *In bonum Latronem.*

O Latro, Petri commilito, Iudæorum accusator, regni emptor, paradisi custos. O latro Adamo aduersus creaturam constantior, progenitore nostro in paradiso securior. Ille dum importunè manum ad lignum porrigit, mortem in genus hominum inuexit. Tu opportunè in cruce manus extendens, paradisum amissum recepisti. O latro qui principum parentum hæreditatem perditam per vnam precem rursum acquisisti. Qui ex confessione regni primus fructũ percepisti. O latro noster Præceptor, martyrum æmulator, qui paucis verbis cælum aperuisti: iustitiæ aduocate, legitimi latrocinij magister. O latro præclarum confessionis emolumentum ostendens: serò credens, & citò confitens, postremus veniens, & primus coronam adipiscẽs, promptissimam fidei efficientiam demonstrans.

O latro acer Iudæ accusator, proditori ipso suspendio acerbior: qui diaboli fallaciam contra eundem mirificè vsurpasti. O latro qui Christum iustè mercatus es, atque huius tuæ possessionis testimonium crucem adhibuisti. O Apostolorum symmista. *Diximus strictim, quæ auctor fusius. Quæ tamen in vulgatis latinis codicibus non reperiuntur.*

II. *In sepulchrum Christi, & sepulturam.*

O Sepulchrum immortalitatis receptaculum. O sepulchrum resurrectionis officina. O sepulchrum sepulchrorum destructio. O sepulchrum, in quo mors ipsa emoritur. O sepulchrũ, in quo vita finem nesciens exoritur. *Adiunge his de sepultura Christi ex Amphilochio Episcopo Iconii in sanctum Sabbatum.*

Sepulchro coërcent (Iudæi) quem continere, & coërcere nulla res queat. Custodiendæ saluti nostræ signa apponunt, timentque ne in vitam redeat, monumento custodes adhibent. Quis vnquam vidit custodiri mortuum? Quis audiuit cuipiam allatam necem, quæ timorem fecisset necantibus? Quis, cum inimico ademisset animam, non quieuit? Quis inimici morte contentus nõ posuit inimicitiam? Cur, ô Iudæe, quem perdidisti extimescis? Cur quem occidisti formidas? Cur è medio remotum tremis? Quare interfectum metuis? Quare ob actum abs te

in

in crucem sic cruciaris? Ipsa cædes securitatem tibi dat. Bonum habeto animum. Si tantùm est homo ille mortuus, non existet à mortuis. Si tantùm homo, rectè ei crucem fixisti. Si tantùm homo, falsum est prolocutus cum dixit: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Si tantùm homo, mors eum detinebit. Si tantùm homo quid tu, stolide, sepulchrũ obsignas? &c.

III. *Vnde cultus imaginum pro dijs.*

NOn modò priscis, sed & nostris temporibus, vbi amisere quos charissimos habent fratres, cognatos, vxores: multæ item viduæ maritos extinctos, quum omnibus constet eos ex natura homines fuisse, istos tamen, inquam, ob ingentem luctum, desideriumq;, fictis, depictisque figuris expressos dedicauerunt. Posteri deinde admirati elegantiam, artificiumque operis, eosdem pro dijs habuere, idque præter omnem rationem naturæ, quum eos colant, quos ipsi parentes, vt neutiquam deos, complorauere; quippe sine luctu futuri, si deos illos esse certum habuissent. Ideo enim quod eos non modo non crederent deos, sed planè nullos reputarent, imaginibus eos effigurari voluerunt, vt, eos non vlterius superstites, per effigiei similitudinem obtuentes, hoc genere repræsentationis dolorem suum mitigarent. His tamen simulacris stulti vota faciunt, & veri numinis cærimonijs prosequuntur. Orat. contra idola.

IV. *Quamobrem Christus non honestiorem mortem elegerit.*

SI hoc fecisset, plenam suspicionem de se præbuisset, quod non in omne genus mortis, sed duntaxat in eam, quam ipse excogitasset, vim suam integram, efficacemque haberet: ac rursus nihilo minor occasio fuisset non credendæ resurrectionis. Quapropter non sua opera, sed aliorum insidijs mortem corpori suo infligi voluit, vt mortem quamcunque illi intulissent Seruatori, eam ipse demoliretur. Veluti generosus athleta, cui ingens animi, & corporis robur, non ipse quidem sibi aduersarios deligit, ne alijs timiditatis suspicionem afferat: sed spectatorum arbitrio hoc ipsum permittit, quantumcunque eos sibi infestos sciat, vt humi prostrato quocunque antagonista, omnium robustissimus habeatur. Ita genus moriendi, quod inimici pro sua opinione vt ignominiosum ei intulere, conuersum est in trophæum deuictæ mortis. Præterea, si ideo venerat, vt nostra piacula, execrationesque portaret, quomodo alia ratione execratio, aut piaculum fuisset, nisi execrabilem mortem in se reciperet? Est autem hoc ipsum Crux, quemadmodum scriptum est, *Execrabilis qui pendet in ligno.* De incarnat. Verbi.

V. *Lectio S. Scripturæ quid exigat.*

AD scripturarum indaginem, verumque intellectum opus est vita proba, animo puro, & virtute quæ secundum Christum est, vt mens per eius tramitem decurrens, ea quæ expetit adipisci possit, quatenus fas est humanam naturam diuina intelligere. Nam sine pura mente, & sanctorum imitatione nemo comprehenderit Sanctorum verba. Quemadmodum si quis intueri velit solis iubar, oculos planè detergit, & in splendorem redigit, quantum potest ad eius similitudinem, cuius conspiciendi desiderio tenetur sese purificans, vt ita oculus iam lumen redditus lumen solis contempletur: aut quemadmodum si quis ciuitatem, aut prouinciam perlustrare velit, planè ad ipsum locum spectandi causa procedit: ita quoque qui volet mentem virorum cælestia loquentium intelligere, prius detergere, & abluere viuendi disciplina animam debet, & ad sanctos accedere cum studiorum factorumque similitudine: vt ijs consuetudine pares vitæ familiaris redditus, quæ ipsis à Deo reuelata sunt cognoscat, & vnà cum illis inflammatus peccatorum quidem pericula, eorumque ignem in die iudicij effugiat, ea vero percipiat, quæ sanctis sunt reposita in regno cælorum. Ibidem.

EX S. BASILIO.

I. *Ieiunium.*

IEiunium lætitiæ quædam occasio est. Sicut enim sitis dulcem subministrat potum, ac fames dulcem omnino præparat mensam: sic ciborum degustationem ieiunium suauissimam reddit. Interpositum namque, & deliciarum continuationem intercidens, & abscindens, desiderabilem, suauemq; longè ciborum repetitionem, et peregrinam, ac restitutam reddet. Ex quo, si volueris iucundam tibi mensam preparare, sume ex ieiunio mutationem, atque interuallum. Tu verò ob copiam superuacuam, affluentesque nimium delicias, veras gulæ delicias ac voluptatem amittis: dum nimium delicias sectaris, voluptatem deliciarum perdis. Nihil enim tam desiderabile, quam voluptas interrupta, ac minimè continuata. Nam ea quorum rarus est vsus, longè melius, dulciusque sapiunt. Sic & ille qui nos creauit, per vicissitudinem rerum, eorum quæ nobis dedit gratiam nobis præstantiorem tribuit. Nonne vides solem post noctem clariorem apparere? Et vigilantia post somnum dulcior, & sanitas post morborum experientiam longè est charior. Ita & mensa post ieiunium optatior est pariter diuitibus, lauteque victitantibus, atque illis qui tenui, frugaliq; mensa vtuntur. Serm. 2. de ieiun.

II. *Inuidus descriptus.*

MOrbum interrogatus manifestare, seque vt inuidum ac maliguum accusare omnino

veretur:

veretur: sed eum in imo cordis recessu, eius abrodentem, atque absumentem viscera mœstus retinet. Igitur nec medicum mali huius, neque medicinam ad id fugandum aptam inuenire potest: quanquam curandorum ægrorum tot referti sunt libri. Sed vnam tantum mali requiem exspectat, si quando cui inuidet ruentem forte, & ex beato miserum aspiciat. Tunc demùm fœdus cum eo iungit, amicus efficitur, quando lacrymantem viderit, aut suos querentem casus; libentiusque lugentem miseratur, & plorat, quam gaudenti collætetur, aut applaudat. Fortunæ commutationem se dolere ostendit, non humanitate, seu charitate commotus: verbis priora collaudans, sed grauiorem proximo calamitatem ex horum memoria, ac desiderio faciens. Puerum filium post mortem extollit, verbis ornat, quam fuerit formosus, quam ingeniosus, quamque ad omnia accommodus, cum viuo ne linguæ quidem vsum rectum dedisset. Quod si plures in eandem concurrentes laudem conspexerit, rursus sententiam mutans mortuo inuidet. Demũ præsentibus rebus ac saluis inimicus, pereuntibus verò amicus, ac misericos. Quid igitur hoc morbo perniciosius? Interitus vitæ, pestis naturæ, aduersa omnibus bonis ex deo venientibus, demum ipsi deo contraria. Serm. in inuidiam.

III. *De his qui filijs thesaurizant.*

NE filios tuos auaritiæ caussam facias. Filios habes? eis thesaurum sempiternum thesauriza. Relinque bonam filijs memoriam magis quam diuitias multas. Fac omnes filio tuo ratione pietatis, ac beneficentiæ patres. Necesse enim est te aliquando è vita discedere. Deinde filium relinques paruum, tutorum auxilio egentem. Si bonus, honestusque fueris, quilibet ex te descendentem vti suum nutriet. Reminiscetur quòd & tu quoque orphanorum pater, dum licuit, fuisti. Si verò in malitia vixeris, ac multos in vita læseris, & omni fera truculentior fueris, ijs qui tecum commercium habēt, demum cum hinc emigraueris filium tuum communem omnium hostem relinques. Quemadmodum enim scorpij filium quicunque aspexerit metuet, ne vbi per ætatem licuerit, patris venenū imitetur: sic item ex te descendentes liberos, vt paternæ iniquitatis hæredes futuros, priusquam ad ætatem veniant, omnes cauebunt, illisque insidiabuntur. Serm. in aliquot script. locos.

IV. *Contra immodicam cibi abstinentiam.*

QVod si illud cuius gratia ciborum abstinentiam eligimus, per immoderatam negligimus inediam, contra agimus atque instituimus. Nam fracto, contritoque instrumento neque deo inhærere per lectionis & orationis studium possumus: neque ad fratrum beneficen-

tiam

tiam humanitatis officium obire. Igitur & corporis cura necessariò habenda est, non ipsius gratia, sed vt seruitio illius ad philosophiæ studia vti possimus. Qui enim seruum ita per inediam subijcit, vt non solum ad ministerium domini fiat inutilis, verùm nec sibi ipsi sufficere queat, quid aliud quam serui sui famulum se facit? Necesse est siquidem corpore iam inualido ad seruiendum, ac per infirmitatem tabescente, contra illi seruire dominum, dum semper circa infirmitatis eius curam versatur attonitus: nec iam exercitationis antiquæ meminisse præ huiusmodi occupatione permittitur, sed in serui sui obsequio vitæ tempus omne consumit. De vera virginitat.

V. *Masculorum, fæminarumque contactus.*

FÆmineum corpus masculum attingens, aut contra masculum fæminæ, quamlibet hæc animæ illis insitæ ratione moderentur, ad cōgressum tamen mutuò latenter incitantur. Ac veluti stuppa si stuppā attingat, ignisque rutilans flammantem ignem, fumum ex se minimè excitant: stuppa verò si ignem odorata fuerit, protinus inflammata succenditur, neque opus est vllo adminiculo, vllo ue foris insufflante, vt ex ea ignis effulgeat: sed simul atque illum attigit, mox in apertas flammas erumpit: ita & fæmineum corpus masculum tangens, non multo labore, neq; inflam-

inflammante ad concubitum amore opus habet: ſed cum naturali ad ſe inuicem rapiantur ardore, ſimul ac ſe contingunt, ſcintillam voluptatis fumantem intrinſecus ſentiunt. Ibid.

EX S. CHRYSOSTOMO.

I. *Similitudines ex Homil. ad pop. Antiochen.*

GEmmæ non in corporis mole, ſed naturæ pulchritudine pretium habent: ſic & ſcripturarum lectio. Ex 1.

Sicut corpora habentibus pinguia, & valida nullum erit valetudinis emolumentum, ſi animus deiectus fuerit, & ſegnis & degener: ſic & confectis nullum erit ex imbecillitate nocumētum, ſi animus generoſus, & expergefactus fuerit. Ibid.

Quemadmodum latrones non vbi fœnum, & paleæ, & calamus, ſed vbi aurum, & argētum, ibi fodiunt: ſic & diabolus his maximè inſtat, qui ſpiritualia attingunt negotia.

Sicut citharœdus neq; neruum intendit ne abrumpat: nec remittit vltra modum, ne harmoniæ concentum lædat: ſic & deus agit. Nec in remiſſione continua, nec in longa tribulatione noſtram conſtituit animam, ſecundum ſuam prudentiam vtrumque faciens. Non ſinit enim nos continua potiri remiſſione, ne ſegniores fiamus: non autem rurſus ſinit in continua verſari tribu-

tribulatione, ne concidamus, neue desperemus. Ex 4.

Aureum vestimentum pulchrum quidem est etiam cum videtur solùm: multo pulchrius autem apparet circumpositum corpori: sic & dei mandata pulchra quidem sunt etiam cum leguntur; multo etiam pulchriora apparent cum explentur. Ex 5.

Sicut si gubernatorem à naui separaueris, scapham submersisti: &, si ducem ab exercitu abducas, victos hostibus tradidisti milites: ita si Principes seu magistratus de ciuitate abstuleris, feris irrationabilibus magis irrationabilem degemus vitam, inter nos mordentes, & nos deuorantes, pauperiorem potentior, mansuetiorem audacior. Ex 6.

Sicut in virtute viuentes, & tribulati duplex habebunt præmium: sic & in vitio viuens, & gaudens duplicem habebit pœnam. Ibid.

Iuxta præcipitium vadens, quamuis non decidat, tremit, & sæpenumero ab ipso subuersus tremore decidit: ita & non procul peccata fugiens, sed secus ipsa vadens, cum timore viuit, & in ipsa labitur sæpius. Ex 15.

Sicut in nequitia viuens & ante gehennam punitur conscientia stimulatus: sic meritis abundans & ante regnum magna fruitur lætitia, spe bona pascens animum. Ex 16.

Sicut in mare decidens immensum scintilla breuis facile extinguitur: sic quantacunq; deum

timenti

timenti illidantur, velut in vastum incidentia pelagus extinguuntur, atque perduntur. Ex 18.

II. *Dissimilitudines.*

IN hominibus deposita suscipientes gratiam se nobis præstare putant, si custodiant quæ susceperunt: in Christo autem contrarium. Non enim gratiam se præstitisse, sed accepisse dicit, cum deposita susceperit tua: & pro ipsa custodia, quam circa pecunias tuas exhibet, non te mercedem repetit: sed ipse tibi dat mercedem. Ex 2.

Iudices cum latrones ceperint, & sacrilegos, non quomodo ipsos reddant meliores considerant; sed quomodo ab ipsis peccatorum pœnas exigant. Deus autem contrà, cum aliquem ceperit peccantē, non considerat quomodo sumat supplicium; sed quomodo ipsum corrigat, & meliorem faciat, & in futurum inexpugnabilem. Itaque & iudex pariter, & medicus, & magister est deus. Etenim tanquam iudex examinat, & tāquam medicus corrigit, & tanquam magister docet, præuaricatos in omnem disciplinam inducens. Ex 7.

Hostes, & qui volunt supplicium infligere, non modò id non dicunt; sed etiam id celantes inuadunt: ne qui puniendi sunt, si id resciuerint, euadant. Non sic deus, sed contra omnino, prædicit, differt, terret, nihil non facit, vt quæ minatur non inferat. Sic Niniuitis arcum intendit, gladium vibrauit, iacula parauit, ictum non inflixit:

dixit, ne telum quidem immisit. Homil. in Genes.

Multi qui donant præcipiunt ne alijs dicant, ne facta vni gratia multos excitet petaces; quòd minus excusare, aut subterfugium inuenire possint qui vni dederunt, quò minus dent & alijs. Hoc quidem meritò curant homines, vt qui dãdo fiant pauperiores: deus contrà clamat, & quę alijs dat prædicat, vt alijs rursus petendi à se occasionem præbeat. Dando enim maiores ostendit diuitias, diues in, & super omnes eum inuocantes. In Genes.

Hirundines alimenta suis pullis ab ore in os tradunt: nostra autem non sic, sed ab ore in aurẽ. Illa quippe in corruptionẽ, nostra vero in incorruptionem procedunt. Illa corpus, nostra autem animam impinguant. In Ioan.

III. *Virginitas.*

Ex lib. eiusdem περὶ παρθενίας.

PRæclara est virginitas? idem ego sentio. An & coniugio præclarior? & hoc vnà fateor, ac, si lubet, addam quoque illud, tanto præclarior ac præstantior: quantum cælum terra, quantum angeli hominibus; quin si quiddam dicendum est liberius, etiam plusquam angeli. Hi enim etsi non nubunt, neque nubuntur, tamen carni, & sanguini non tenentur implicit, nec in terris commorantur, neque cupiditatibus varijs agitantur, nec cibo, aut potu indigent, nec dulces

cant u

cantus eos emollire queunt, nec visu quopiam insigni, nec alia re huiusmodi vlla inflecti possunt: sed quemadmodum solem medio meridie, nulla nube obiecta purum cernimus: ita & illorum mentes nulla libidine perturbatas, pellucidas, & nitidas manere necesse est.

Coniugium.

Ex Amphilochio Episcopo Iconij in Occursum Christi, &c.


CÆterum venerabile coniugiũ inter omnia dona terrena eminet. Vt arbor fertilis. Vt vetustissima stirps. Vt virginitatis radix. Vt anima, & ratione præditorum ramorum colonus. Vt mundi crescentis benedictio. Vt humani generis solatium. Vt diuinæ imaginis depictor. Quod dominum sibi bene precantem habet. Quod totum mundum sustentandum suscepit. Quod ei ministrat, quem & ad humanam naturam in se capessendam flexit. Quod libere potest dicere, *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi deus.* Aufer è medio honorabile coniugium, vbi quæso virginitatis florem inuenies? Inde siquidem, non aliunde flos virginitatis decerpitur.

Christi generatio ex virgine, & regeneratio ex sepulchro comparatæ.

Ex Epiphan. orat. de sepult. Christi, & descensu ad inferos.

Et

ET accipe quæ circa duplicem Christi ortum contigerunt, & applaude miraculis. Angelus sanè maternam generationem annunciauit: angelus quoque Mariæ Magdalenæ eiusdem è sepulchro regenerationis fælicem nuntium apportauit. Noctu Christus Bethleemi nascitur: noctu similiter (cum adhuc tenebræ essent) in Sion renascitur. Dum gignitur fascijs, & hîc quoque linteis, tanquam fascijs inuoluitur. Natus myrrham, in sepultura quoque myrrham, & aloën suscipit. Ibi adest Ioseph Mariæ maritus nec maritus: hic Ioseph Arimathæus. Bethleemi partus iacet in præsepi: hîc in sepulchro velut in præsepi eius est locus. Pastores primi omnium natum prædicarunt: sic principes omnium pastores discipuli Christi eum ex mortuis renatum diuulgarunt. Ibi Angelus clara voce Virgini Aue dixit; hîc magni consilij Angelus Christus ad mulieres Auete exclamauit. In prima generatione sua Christus expletis quadraginta diebus in terrestrem Hierusalem, in templum introiuit, atque vt primogenitus par turturum obtulit Deo: at verò rediuiuus post diem quadragesimum in supernam Hierusalem ascendit, vnde non discesserat, ac verè in sancta sanctorum, vt primogenitus ex mortuis, iam immortalis ascēdit; Deoque & patri ceu duos turtures animam, & carnem nostram exhibuit: quem & ille antiquus dierū, perinde vt Simeon quidā, tanquā in vlnas, in sinum suum immensum recepit.



SYNTAGMA NONVM.

DIALOGI VIII.

I. *Expostulatio.*

DIDO, VIRGILIVS.

D. QVid hominis es tu, qui aduersum lento procedis gradu, coopertus palla purpurea, & crines laurea circundatus, ac nescio quid altum spirans, & suspirans? V. Ego sum P. Virgilius Maro. D. Eho, tu ne Maro ille, poëta mendaciloquus, qui calamo tuo probas, & castas nosti infamare mulieres? Iam pridem Mercurius, deorum superûm, inferûmque nuntius exposuit mihi, quàm non ita pridem probrosa, & vanitatis plena de me in ora vulgi disseminaris, in tua diuinissima scilicet Æneide. V. Scripsi ego vt poëtis mos antiquus, & sollemnis est. D. Dij, deæque eradicent poëtas istos cum suo more pessimo. Quis vobis hanc fingendi, & mentiendi dedit licentiam? V. Fingere nos, & affingere etiam veris verisimilia, id est, quæ fieri potuerunt, quamuis nec facta sint vnquam, nec futura sint, omnino necesse est, si nomen nostrum tueri volumus. Ea tu mendacia per calumniam appelles licet: multum tamen à commentis vulgaribus, & anicularum fabulis discre-

pant: vtpote ingenij, prudentiæ, ac doctrinæ referta: dum genus aliquod & vniuersum in specie: immò in vno quodam singulari, atque indiuiduo considerandum, & contemplandum proponimus: secus atque historici, qui singolaria vt singularia, seu particularia persequuntur. διὸ καὶ φιλοσοφώτερον, καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν. Idcirco magis quiddam philosophicum, & grauius est poesis, quam historia, vt perhibuit Aristoteles. D. Istuc sophisma tuum haud equidem dispicio: ac despicio, ac me grandi iniuria mactatam, nominique meo notam sempiternam abs te inustam iure summo irascor. V. In quo tandem? D. In quo? Ah, in eo, quod me reginam, cuiusdam Æneæ Troiani exulis amoribus irretitam blaterasti: qui ad me Carthaginem iam tum condi cœptam, cum classe vndeuiginti nauium appulsus, atque à me hospitio liberali, quin & cubili exceptus sit: cum is homo trecentis, & amplius annis ante me natus fuerit; & è Phrygia non in Libyam, sed in Italiam venerit; vbi eius posteri demum LXXII. annis post me Romam ædificarunt. Veráne proloquor? V. Vera. D. Cur adeo commaculasti famam meam, qua tangebam sidera? V. Aperiam tibi mysterium. Quia cum magnitudinem Romanã ab origine vetustissima celebrare instituissem, & Romulidas de stirpe Troiana oriundos, olim Africæ imperio potituros, sicut hodie potiuntur, per ambagem significare vellem, hæc mihi fictio

peropportuna est visa, cuius auctorem, & Principem habeo nominare patrem Latinorum poëtarum Ennium. D. Furciferi, sciebatis me perpetuam viduitatem Sichęo meo pollicitam, & ne cum Iarba Mauritaniæ rege matrimonium inire cogerer, qui id vel precibus impetrare, vel minis extorquere à me nitebatur, in gladium incubuisse: nihilominus, quæ vestra fingendi libido est, Æneam peregrinum me in cõplexum admisisse, eiusq; discessu ægram animi in ensem illius irruisse, fabulari ad posteritatem voluistis. Nulla ne alia tota Africa reperta est fœmina nobilis, in qua delicias faceretis? V. Tu potissimùm propter dignitatem summam habita idonea. Et de mortuis abhinc aliquot sæculis quid refert quid dicas, aut scribas? Silent mortui. D. Sed contrà veritas cum tacet clamat; cuius vocem negligere haud est ingenui. Non ergo te facti pœnitet? V. Pol neutiquam. D. Hem impudentiam. Nec quod me ceu oestro percussam, & velut Mænadem totam vrbem concursantem introduxeris? V. Nec huius. Quin de tota Æneide mea nulla pars nec libentius, nec frequentiùs legitur, quàm quæ amores tuos in hospitem continet: adeò illic Apollo, & Musę omnes mihi affuerunt, & in illis carminibus Gratiæ manus lauerunt. D. Adhuc in crimine tuo places tibi? Cur non item boni quippiam, & cum virtute coniunctũ de me cecinisti? V. Ego verò istuc prçstiti largiter. D. Quomodo? V. Ostendi te

reginam optimam, humanissimam, prudentissimam, benignissimam, liberalissimam, quæ summa æquitate ius diceres, supplices ac peregrinos beneuolè audires: egentes rebus omnibus iuuares. Audi paulisper. Cum Troiani in littus tempestate eiecti, ab indigenis vexarentur, & agmine facto aliquot in templum, vbi tum forte considebas, tibi supplicatum venirent, sic te respondentem feci.

Soluite corde metum, Teucri, secludite curas.
Res dura, & regni nouitas me talia cogunt
Moliri, & late fines custode tueri.
Quis genus Æneadûm, quis Troiæ nesciat vrbem,
Virtutesq́, virosq́, aut tanti incendia belli?
Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni,
Nec tam auersus equos Tyria sol iungit ab vrbe.
Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaq́, arua,
Siue Erycis fines, regemq́, optatis Acesten,
Auxilio tutos dimittam, opibusq́, iuuabo.
Vultis & his mecum pariter considere regnis?
Vrbem quam statuo vestra est: subducite naues.
Tros, Tyriusq́, mihi nullo discrimine agetur.

Quid ad istam lenitatem, & affabilitatem addi potest? Inuitas eosdem ad regiam in hospitium. Ibi epulæ regali luxu instruuntur. Iis quoque, qui ad naues remanserant in victum mittis

Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, centum pingues cum matribus agnos:

Munera lætitiamq́ Dei.

Quàm insignis hæc beneficentia? vt obstupescens Æneas meritò exclamet:

Dii tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Vsquam iustitiæ est, & mens sibi conscia recti
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluuii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt, conuexa polus dum sidera pascet,
Semper honos, nomenq́ tuum, laudesq́ manebunt.

D. Surda sum. Apage. Malus tu mihi dedecus conflauisti, quàm honorem habuisti. Quare opto, vt quidquid est in tartaro pœnarum, ad te sceleris tui vindicandi confluat. V. Haud malè agis gratias.

Conscribendi huius Dialogi nos admonuit Macrob. 5. Saturnal. cap. 17. vbi lasciuiam Maronis notat in fabula Aeneæ, & Didonis confingenda. Item Auson. epigram. LXI. In imaginem Didonis, quo de hac tam insigni iniuria à Marone sibi illata grauem habet querimoniam. Conuertit autem Ausonius quæ dicit ex græco ἀδεσπότῳ, de lib. 4. Anthologiæ.

II. *Lucretij locus explanatus.*

FABIANVS LVCILIVS
Studiosi.

F. Quàm

F. QVàm elegantes, & Suauidici, Lucili, sunt versus illi elegantissimi poëtarum Lucretij lib. 2. de fidium, neruorumque cantibus, qui celeri, & artificioso digitorum motu in musicis instrumentis, ijs videlicet, quæ fidibus siue æneis, siue pelliceis instructa, & adornata sunt, excitantur? L. Quinam illi versus? cedò: haud enim memini, quanquam legi Lucretium: sed non plus semel, & cursim. F. Timuisti, credo, ne si cum mora, & cogitatò legeres, aliquis tè crocodilus, vt canem è Nilo prætercurrendo bibentem inuaderet. L. Ha ha. Vni libro diu affixum manere non est è consuetudine mea. Tibi, homini diligentissimo, & litterarum voracissimo istuc laudis relinquo. Sed ad rem. Profer illos versiculos, amabo. F. Hi sunt.

At Musæa mele, per chordas Organici quæ
Mobilibus digitis expergefacta figurant.

L. Bellissimi versus, per Musas ipsas, & Apollinem. Nunc si quid paratum habes, quod super illis differas, faciam ego me auritum. F. Primùm sonores ipsos harmonicos illos, ex diuersitate quadam in vnum, & compositum redactos, mele vocat, à μέλος, quæ vox propriam sedem accepit in carmine. Cum autem carmina ad lyram, & citharam cani quondam solerent, hinc modos pro ipso cantu cœptum est dici, & μελῳδεῖν cum modulatione canere. L. Rectè. Sed cur Musa mele? F. Quandoquidem Musæ quibusuis cantibus, & instrumentis præsident

 &

& Musica à Musis, non contra Musę à Musica nomen ducunt. L. Placet ratio. Nam si Musica præsideret Musis, nos ἀμουσικοὶ deam parum propitiam sentiremus. Organicos appellare puto, quos vulgò Organistas nominamus. F. Etiam. Et cum ὄργανον sit latinè instrumentum, scito vocem eam non ad illud fistulare duntaxat, verum etiam ad alia posse accommodari, quæ communi vocabulo Instrumenta à Musicis nostris, à quibusdam Virginalia, quasi virginibus conuenientia, seu quibus virgines cantare, & ludere deceat, nuncupantur: immò ad lyras, testudines, citharas, chelas quoque: quibus qui canũt, omnes Organici à Lucretio audirent. Lepidè autem *expergefacta*, velut si consopita cum chordis, & fistulis suis iacerent illa mele, & necesse haberent Organicorum digitis è somno expergefieri, eorumque agitatione, & mobilitate, siue per claues, vt vocant, siue sine clauibus modulos, & figuras certas accipere, quod *figurare* dicit. Vndè sermo vsitatus de simphonia vocum, & artificiosa musica, *figuratè* canere, & germanicè figurieren. L. Vide, hucusque me latuerunt istæ figuræ: dissimiles vtique figuris Grammaticorum atque Rhetorum. F. Potest item dici *figurare*, quod plerique cantores omnes *colorare* appellitant. Colorantes quippe vocem inflectant, & figurant mirabiliter. Et, nisi fallor, colores illi vocales græco etiam vocabulo χρώματα nomen sortiuntur, & sic à Boëthio indigitan-

tantur: voces vinnulatas quidam dici volunt, à vinno, hoc est, cincinno molliter flexo: vt liceat actum ipsum dicere χρωματίζειν. L. Bene disseruisti. Ego doctior quàm veneram discedo.

III. *Amici ex longa peregrinatione reuisentes.*

DOROTHEVS, TIBVRTIVS.

D. Eia, quem ego ad me ingredientem conspicor? T. quem cōspicari, conspicere, & aspicere optares maximè. D. Hem, Tiburtio meo consimilis es. T. Mirum ni possit quisquam sui non esse similis. Ego ipsus sum Tiburtius. Ecquid agnoscis? D. Tiburtius? O dulce caput. Vt ego te post septennium peregrè reuertenté intueor libens? Et præ lætitia lacrymæ prosiliunt mihi. Salue multum, homo mi oculissime, & si quid charius est oculis. T. Salutem ego vicissim tibi propino plenis faucibus, mi desideratissime Dorothee: cuius ego absens tam fui assiduò memor, quàm non sum oblitus mei. Vt vales? valuistin'? D. Et valeo rectè, & valui: sed nunc te reduce bis tanto valeo quàm priùs. Tibi verò, mi optatissime Tiburti, num valetudo semper constitit? T. Quì potest tot terras peragranti, ac toties victum, ac cælum mutanti? Veruntamen emersi, Deo miserante, è commotiunculis, & febriculis, quæ me aliquoties inuaserunt. D. Quìnam à dilecta patria tot annis abesse, & te tanta

iucunditate priuatum ire potuisti? Nullus enim locus domestica sede iucundior. T. *Omne solum forti patria est, vt piscibus aequor.* Et patria est, vbicunque bene est. Et peregrinatio cum laudata, tum vsurpata est etiam à sapientibus. D. Non negarim, habere illam vtilitates suas. Sed eae patent vobis, quos adamantina coniugij vincula nondum constringunt, & domi veluti in custodia adhærescere, vxorique & familiæ seruitutem permolestam seruire cogunt; vt me miserum, cui cum vxore aduenerunt in ædes trecentæ maximæ, malæ cruces. Verè astrictus, & alligatus sum mulieri, & mulieri litigiosæ, & morosæ, & oblatratrici, quam lætius prosequerer ad tumulum, quàm induxi in thalamum. T. Nota mala res optuma. D. Consideamus. Puer, apporta sellas. Narra mihi, Tiburti, quas regiones tanto tempore obieris. T. Hoc agam. E Germania discedens, primùm in Galliam profectus sum, atque adeo in principem illius regni vrbem Parisios. Ibi vixi biennium. Quæris quid egerim? Nomen meum inter Studiosos professus, Iureconsultis audiendis in Academia operam dedi. D. Floret ne ibi hæc disciplina? T. Sanè: nam & Doctores ipsi sunt eruditi, & exercitati; & auditores sedulì, ac frequentes. Excipio noctiuagos, qui, cùm *prima quies mortalibus aegris Incipit, & diuûm dono gratissima serpit*, ipsi foras libenter ambulatū eunt: quales in Academijs nusquā desunt. Lustraui deinde præcipuas vrbes, Rhotomagum,

Aure-

Aurelium, Biturigas, Remos, Burdegalam, Tholosam: linguam didici, mollem planè, & delicatam. Mores gentis, ritus, leges, magistratus, & instituta cognoui. Me tamen omnia haud ita ceperunt, vt me Germanum potius, quàm Gallum esse natum pœniteat. D. Est tamen natio humanissima. T. Et aliæ in orbe Europæo scilicet: nam hæc pars mundi in hoc cæteris antecellit. Incultiores, & agrestiores Asiatici, & Afri. Multa queo narrare, quæ in Gallia memorabilia obseruaui, vt in alijs item prouincijs. Sed ad eorum memoriam recolendam opus est tempore: & ego cum ocreis, & calcaribus, & penulatus, vt cernis, simul ab equo descendi, ad te salutandum, & complectendum festinaui. Regiones nominabo in quibus hoc annorum interuallo vitam degi, id quod scire cupiuisti. D. Probè. Quò ergò ex Gallia discessisti? T. In Belgicam. D. Vidisti, credo, Academiam Louaniensem. T. Et Duacensem, Dorothee. D. Audio Studiosos Louanij sedere scamnis humilibus, ac pæne humi, & excipere magistrorum dictata super genua, nulli pluteo incumbentes, vsque ad Baccalaureatum. T. Ita est, & vidi oculis meis. D. Graue hoc nostris accideret. Sed consuetudo difficultatem leuat. T. Gens candida, lacte, butyro, caseo, cibis frigidis delectatur. Vini vsus apud eam rarus, & carus; nec tamen desiderantur ebrij. Cereuisiam bibunt; verùm nostrà aliquantò meliorem. Amplæ, & præclaræ vrbes in Belgica, vt item in Gal-

la,&, quod poſtmodum vidi, in Hiſpania, & Italia multæ, non, vt apud nos, oppidula plurima. D. Caue ſis vilipendas hac in parte noſtram Germaniam; in qua etſi latæ vrbes nō adeo multæ, multi tamen, & latè patentes principatus, eximiiq; & frequentiſſima nobilitas: multæ Reſpub. ſeu liberæ ciuitates: multi epiſcopatus: & penes Germanos eſt Romanum imperium; vt de alijs eorum laudibus taceam. De peregrinatione Belgica perge porrò dicere, ſi quid reſtat. T. Nihil, hoc quidem tempore tam anguſto. In Hiſpaniam inde nauigaui. Inueni indigenas religioni deditiſſimos; monaſteria vtriuſque ſexus propè innumerabilia: Religioſos, ac ſacratos viros philoſophiæ, & theologiæ ſcientiſſimos: alios vel medicinæ faciendæ, vel iuris tam ciuilis, quàm Pontificij peritiſſimos. Omnium prælectiones, & diſputationum concertationes Salmanticæ, & Compluti potiſſimùm audiui cum voluptate ſæpius. Humanitatis litteræ æquè ſtudiosè illic non coluntur: quia honos videlicet alit artes: etſi proferri poſſunt ex ea gente Patrum memoria etiam harum artium doctiſſimi. Ne hac quidem tempeſtate quoſdam in ijs ſummos, & ſingulares illic reperiri dubito: ſed hi ex monumentis ſuis, ſi quæ forte ediderunt, cogniti mihi, perſpectique nondum ſunt, præter paucos videlicet. D. Vina Hiſpanica fecerunt ne ſtomacho tuo? T. Fecerunt; ſed Neptuno temperata. A nobis enim, quibus infirmior Bacchus pocula miſcet,
pura

pura salutariter propter firmitatem suam vix bibuntur. D. Vidisti ne structuram regiam, quam Escuriale nominant? T. Equidem vidi. Christe sancte, nihil magnificentius, splendidius, ornatius extare puto in terris. Vtique tanto rege, & vel ipso Salomone dignum ædificium. Petrexi & Compostellam, vbi S. Iacobi Apostoli ossa cōduntur, & ab aduenis reuerendissimè cum pretiosis, & innumeris anathematis coluntur. De Hispanica commoratione mea hactenus. Multa illic antiqua monimenta, quorum inspiciendorum facta mihi copia. In Italiam abeamus, Europæ decus, orbis delicias. Hîc ego multis de caussis prope quadriennium exegi, & vniuersas pæne vrbes illustriores contemplando perambulaui: in quibusdam etiam habitaui: vt Veronæ, Florentiæ: præsertim autem Romæ; Romæ; inquam, quæ, vt olim imperij omnium gentium, ita hodie omnium sanctitatum est clarissimum domicilium. Quanta illic Ecclesiæ Catholicæ maiestas? quanta Pont. max. Præsidis religionis Christianæ & Vicarij summi Pastoris, purpuratorumque Patrum veneratio, grauitas, auctoritas? quàm venerabiles, & multi Religiosorum cœtus, sacrarum Virginum Collegia? quanta ciuium humanitas, & affabilitas? quæ piarum actionum quàm ardentia studia? quæ rerum omnium copia? quàm multæ, & insignes vetustatis reliquiæ? Bibliotheca autem Vaticana omnū bibliothecarum caput. Hoc affirmare non verebor

bor: qui in Italia Romam non vidit, nihil vidit. Dies me citiùs relinquat, quàm illius augustissimæ vrbis decora enumerem vniuersa. D. Adolescens Romæ fui, & attentior dictis tuis. T. Hæ sunt prouinciæ quas peragraui. Hierosolymam quoque petiuissem forsitan, si eò nauigandi fuisset occasio: & terram illam à Saluatore calcatam, & eius sanguine irrigatam exosculatus essem. Peregrinationum satis. Iam tempus monet, reliquum ætatis habere in patria, & ei, quo pacto licebit, & potero, inseruire, & ante omnia concolorem fieri mortuis, hoc est, studijs impallescere, & remis velisque fugere nuptiarum voluptates amarissimas. D. Rectè feceris. T. Vale. D. Et tu, mi Tiburti. Cras mecum prandeas volo. T. Promitto. *Bellissima est epistola Iusti Lipsij XXII. Cent. 1. Miscellan. de perigrinatione: quam eatenus commendat, quatenus in ea non voluptas sola, sed cum ea vtilitas etiam quæratur: quam quidē triplici limite, prudentia, scientia, morum designat.*

IV. *Actio ingrati.*

HOMERVS, RHADAMANTVS, VIRGILIVS, CICERO.

H. QVoniam Iupiter opt. max. parens tuus, Rhadamante, propter summā quam inter mortales degens habebas opinionem prudētiæ, & æquitatis, te hîc apud inferos iudicem cōstituit,

ſtitulſt, qui quemq; fateri ſubigas, quibus ſe ſce- leribus apud ſuperos inquinauerit, nec ea ante ſupremum diem eluerit, te etiam atque etiam rogo, vt querimoniam meam iuſtiſſimam benignè, attenteque audias, & me de homine iſto ingratiſſimo pro iuſtitia tua vlciſcare. R. Dicito cauſſam tuam. Auſculto. H. Qui hîc aſtat mecũ, ei nomen eſt P. Virgilio Maroni. R. Teneo. Quid fecit tibi? H. Poëma compoſuit libris XII. de Ænea Troiano, quem vrbe capta, & euerſa per varios caſus in Italiam cum reliquijs Troianorũ deducit. In Italia bellum gerere facit cum Turno quodam Rutulorum rege pro Lauinia Latini regis filia: qua ducta vrbem condit, & per poſteros ſuos tandem Romanæ genti dat initium. Prior huius Æneidos pars pacifica & quieta, poſterior bellici tumultus, & armorum plena eſt. Siccine res habet? Latine Poëta. V. Habet verò. H. Nunc magnam partem fictis narrationibus ſuis quemadmodum ſe geſſerit accipe. Videbat me Iliadem, & Odyſſeam, duo longa poëmata conſcripſiſſe, quæ totus orbis ita admiraretur, vt pænè cæleſtes mihi honores decerneret. In priore Græcorum, Troianorumque pugnas ad Ilium libris XXIV. in altera Vlyſſis, viri ſapientiſſimi, quique Græcis ad victoriam manu, conſilioque plurimum commodauit, reditum in Ithacam inſulam, regnum eius totidem libris exſecutus ſum, exponens quibus periculis, & calamitatibus eſſet in ea nauigatione conflictatus.

Ad

Ad hanc ideam iste bonus pictor picturam suam direxit, & veluti ex grandi imagine mea suam pusillam debitis proportionibus depinxit, totamque oeconomiam ad suam breuitatem accommodauit; & inuentionibus suis, si modò suis, me luculenter est deprædatus, ac tam multa passim à me sumpsit, vt quidam ijs adducendis, ac notandis, posteritatique vtiliter prodendis, volumina inde compleuerint. Redargue me si potes V. Perge accusator, perge. H. Nulla pæne apud eum insignis comparatio reperitur; nullus illustrior locus, quem mihi non surripuerit. Denique adeo à me pendet, vt nisi me monitorem, ducem, inuentorem habuisset, præclarum illud opus suum contexere nunquam potuisset. Esto, fuerit me accuratior, & limatior, adhibueritque plus iudicij, vt ipsius patroni, & Homeromastiges ostendere annituntur; multum tamen mihi debebat, vt filius parenti. Ego Virgilium, vt Iupiter Mineruam de capite, hoc est, de ingenio meo genui; ego eum tantum quantus est feci. R. Quid tu ad hæc? an mutire audebis? V. Scio te patrem poëtarum vocari solitum. Veruntamen nō ex tuis chartis tantummodo, sed ex alijs quoque poëtis veteribus Græcis, ac Latinis, velut apes sedula ex diuersorum florum succis mella mea collegi. Ac proinde non est, quod mihi tātopere plagij crimen intentes. H. Oho ex alijs. Ex Ennio, & Lucretio, & illis alijs genera quædam loquendi, à me totam ædificij tui descri-

ptionem, & omnino plus, quàm alius quisquam subduxisti. V. Aiunt te quoque ex Sibyllinis, & Orphei versibus multa hausisse. H. Quo teste? V. Viris doctis. Extarent modò illorum genuina poëmata, tum te tanquam feram laqueis irretitam teneremus. H. Tu primùm pro te satisfacito; postea me accusato, si voles. V. Vt fecerim quæ tu criminaris, tamen sunt qui id mihi laudi dant, non crimini. H. Nec ego id valde reprehenderem, cum ingeniosè, ac prudenter aliena in tua conuerteris, si non aliam in culpam, & quidem viro probo, ac liberali indignam incidisses. V. Eia in culpam. Quam in culpam? quæso. H. Ingrati animi: quod vitium dij atque homines oderunt. V. Id argumento astruas velim. Nam affirmare cuiuis est facillimum. H. In VI. de beatis in campis Elysijs sic prædicas:

Quiq; sacerdotes casti dum vita manebat,
Quiq; pii vates, & Phœbo digna locuti, &c.
Omnibus his niueâ cinguntur tempora vittâ,
Quos circumfusos sic est affata Sibylla,
(Musæum ante omnes, medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris extantem suspicit altis.)
Dicite fœlices animæ, tuq; optime vates, &c.

Cur hìc Homeri nulla penitus mentio? Cur Musæo potius tantus est tributus honos? Siccine tu bene meritis gratias refers? Nominas tu quidẽ, seu potius circuitione quadam, & figurate designas

gnas in Bucolicis Theocritum, & Hesiodum, à quibus modicum quiddam traxisti: me, à quo ossa, neruos, spiritum, ac sanguinem habes cur præterire omnimodis voluisti, & gloriæ meæ per vocem tuam illustrandæ inuidisti? O te ingratum, ne dicam impium. R. Vix euades infortunium, Virgili. V. Timui, ne si tui honorificè meminissem, occultè, & tacitè admonere viderer legētes, me tibi debere plurimū, cum totū partum meum solius studerem existimari. Et quia Musæus visus est honorabilior, quod antiquior, & theologus, ipsius Orphei aut discipulus, aut filius, & ita Calliopææ nepos. H. Nugaris: arrogantia, & inuidia tibi os obstruxerunt. R. Verisimilia loquitur Homerus. H. Ergo pœnam nocenti impone, domine Rhadamante. R. Sic faciam, si prius Ciceronem, qui aduersus eundem, paratus est dicere, audiuero. Dic M. Tulli, si quid vis. C. Eadem mihi, iuste iudex, conquerendi caussa propemodùm cum Homero. Nam etsi hunc vatem Mantuanum à me transtulisse multa affirmare nequeo, licuisset tamen, cum Catilinam apud inferos minaci pendentē scopulo, & furiarum ora trementem narrat, aliquam mei mentionem inijcere, qui cura, prouidentia, laboribus, vigilijs, periculisque meis, à meorum ciuium ceruicibus exitium certissimū, ab illa Furia meditatum depuli, & rempub. coniuratorum nefando scelere occasuram conseruaui. Ego Catilinæ Catilina fui. Ego illi faces ad

incendium vrbis iam accensas de manibus extorsi, & quos ad optimum quemque iugulandũ cum suis enses distrinxerat, in ipsorum capita cõuerti. Huius meæ laudis obiter commemorandæ nunquid Virgilius iste, poeta celeberrimus opportunitatem non habuit? opportunissimã habuit. R. Quid ais? Cur de hoc viro reipub. tam amante, ob quam & vitam amisit, & pænè Romulo altero tam altè siluisti? V. Constat inter omnes Æneidem meam vltimam manum desiderare, & me inemendatam reliquisse; id quod sub obitum meum testamento testatus sum, quo in ignem vt conijceretur mandaui; alioqui & tui, M. Tulli, & tui Homere, forsitan præclarè meminissé: sed fata me intempestiuè huc in communem locum abire compulerunt. C. Quomodo intempestiuè? Vndecim annos in illud poema impendisti, & tibi, ob exiguitatem scilicet temporis, nostri in mentem venire non potuit. Fallacissime homo, contemptus quidam nostri & inuidia te cohibuit, nihil aliud. V. Oh neutiquam. H. Immò profectò. R. Vincunt argumenta. Pœnas te subire oportebit, velis nolis. V. Rogo te, Rhadamente, ne sæui, quandoquidem de populo Romano, de poësi, de lingua latina, de bonis litteris adeò non malè sum meritus. Vbi plura cernuntur bona, conniuendum est in paucis malis: si tamen hæc mea errata verè mala dici queunt. Si iustus es, at clementiæ aliquid loci dabis. R. Aliquid remittam de

summo iure, & Tisiphone imperabo, vt non plus septem plagas flagello suo tibi pro peccato in vtrumque incutiat. V. Væ væ tergo meo.

Huius Dialogi occasionem, & argumentum nobis porrexit Muretus, Variar. lib. 18. cap. 14. Virgilium in reprehensionem adducens, qui de his duobus, omnium sæculorum viris maximis ex quadã inuidia verbum nullum uspiam fecerit, cum percommode tamen potuisset.

V. *Quid sentiendum de illo S. Hieronymi, Ciceronianus es, non Christianus.*

CALLISTVS, FAVSTINVS, GEORGIVS.

C. Ad Eustochium Romanam, Paulæ filiam, Deo consecratam virginẽ scribens S. Hieronymus de custodia virginitatis, eamque ad sæculi vitia, improborumque consuetudinem fugiendam, & ad externorum librorum, præsertimque Poëtarum nimis sedulam lectionem deuitandam adhortans, narrat, se, postquam desertis domo, parentibus, sorore, cognatis, lautioribus cibis Hierosolymam; Deo militaturus utique, bibliotheca, quam Romæ sibi comparauerat eodem translata migrauerit, Ciceronem & Plautum studiose euoluisse. Laborantem porrò febri grauissimè, & iam propè moribundum, raptum ad tribunal Iudicis, interrogatumq; de conditione, & statu, Christianum esse respondisse.

diſſe. Sed audiſſe viciſſim, Mentiris; Ciceronianus es, non Chriſtianus. Mox plagis diriſſimis coopertum, Iudicis miſericordiam imploraſſe, & deinceps libros ſæculares non lecturum ſpopondiſſe: atque ita, deprecantibus etiam qui circumſtabant, dimiſſum eſſe. Nec ſomnum, aut vanum fuiſſe ſomnium, oculos lacrymarum plenos, & liuentes ſcapulas indicaſſe. Hæc totius narrationis ſumma eſt. Quid vos duo, quid de ea ſentitis? F. Recordor hiſtoriam hanc, à quibusdam doctis leuioris armaturæ, vt ſic loquar, ſæpius cantari ſolitam aduerſus eos, qui ſe Ciceroni lectitando admodùm dedidiſſent, eumque vt germanæ latinitatis parentem, & eloqentiæ perfectum exemplar ſcribendo imitari omni conatu conarentur. G. Hi verò mihi non magis vel accuſandi, vel irridendi videntur, quàm vniuerſè in ſtudijs humanioribus, aut in certis quibusdam, iiſq; non ſacris auctoribus terendis ſeduli atque aſſidui. Quorum, tamen contentionem, & ardorem reprehenſum it nemo; probant omnes. C. Tota ſancti viri expoſitio conſideranda eſt attentius: vnde iudicabitis ideo verbis, & verberibus caſtigatum, non quod illos legeret, quos legebat: ſed quod monachũ iam profeſſus, eos legeret auidius, & maiore cum voluptate, quàm eius ſtatui conueniebat: vt ſacras litteras velut inculto ſermone horridulas, ac ſordidas deſpiceret, easq; faſtidiret, & profanis illis ſcriptoribus, potiſſimumq; Ciceroni ita in-

hæreret, vt sanctis, & melioribus locum non relinqueret, Christianum se oblitus. Hanc, inquam, illius mulctæ caussam afferre non alienam possumus. Sic magnus ille Theologus, & diuinus Orator Greg. Nazianzenus ep. 43. Greg. Nyssenum reprehendit, qui depositis studijs sacris, & libris quos populo prælegebat, rhetoricæ, & eloquentiæ professionem susceperat. G. Probabiliter hæc abs te dicuntur. F. Et plus quam probabiliter: nisi nobis eius exemplo omnium generè profanorum studiorum in perpetuum interdictum censemus; quod nec sanctorum Patrum quidem quisquam aliquando putauit; quorum pro ijs colendis, ac celebrandis & illustria exempla, & præclarissimè dicta memorantur. G. Veruntamen hic scrupulus quidam me angit, quem tu, Calliste, ex animo mihi euellito. C. Si sciam modò, poteroque. G. Qui ad Eustochium soporem, & vanum fuisse somnium negat, quomodo Rufino antagonistæ suo, illud ipsum, & promissum apud tribunal de sæcularibus libris de cætero ab se non legendis obijcienti respondens, metum, & vanū fuisse somnium constantet, nec semel tantùm affirmat? *Hæc diceret*, inquit, *si vigilans promisissem. Nunc autem (nouum impudentiæ genus) obiicit mihi somnium meum: sed qui somnium criminatur, audiat Prophetarum voces, somniis non esse credendum: quia nec adulterii somnium ducit me ad tartarum: nec corona martyrii me ad cælum leuat. Quoties vola-*

re super terras, & montes, ac maria natatu transfretare? Cogat ergò me non viuere, & pennas habere per latera, quia vanis imaginibus mens sæpe delusa est. Quanti in somnis diuites, apertis oculis repente mendici sunt? Sitientes flumina bibunt, & experrecti siccis faucibus æstuant. Tu à me somnii exigis sponsum. Quid hic, amabo, dicemus? Somnium vanum non fuit: somnium vanum fuit? An in dialecticis contradicentia, siue aientia, & negantia simul vera sunt? Haud opinor. C. Neutrobi eum vt falsum redarguere audeo, cum etiam post hoc somnium, siue non somnium Gentilium scripta legisse, ex epistolis eius, & ea inprimis, quæ est ad Magnum Oratorem, de Eloquentiæ laudibus, satis appareat. Quod si dum scriberet, ad profanos scriptores identidem respexit, eosdem & legisse consentaneum est: lectio enim scriptioni alimentum. Nisi quis sentiat, tam excellenti memoria fuisse, vt sententiarum, & locorum quos adducit obliuisci non potuerit. Sed demus ad legendum redijsse, sine controuersia moderationem adhibuit, & sacras lectiones profanis longè antepofuit. Legit autem, vt disertus, & eloquens euaderet, & lucubrationibus suis decus quoddam, & ornamentum adiungeret: quôd Christiano non solum haud nefas, verum etiam honestum, & laudabile est: nisi quæ de externis litteris cum nostra philosophia coniungendis Clemens Alexand. Basilius, Nazianzenus, Theodoretus, ipsemet

cumfusa semper, atque obsita meæ claritati patrem te prædicare non vereberis? In malam rem cum istac arrogantia tua. Nihil nisi vmbra terræ es, quam Sol parens meus, post occasum inferius hemisphærium decurrens, sursum emittit; qua, velut atro quodam velo interiecto, terrarum, cælique aspectus adimitur mortalibus. Et sic te Poetæ nominant. *ruit Oceano nox Inuoluens vmbra magna terramq́, poluq́. Nox & caeruleam terris infuderat vmbrā. Et medium luci, atq, vmbris iā diuidit orbem.* N. Ergo & ego Solem patrem habeo: siquidem eius occubitus me generat, vt tute ais, D. Sicut Principis abitus, & absentia generat mala, quæ ipso absente in repub. oriuntur. Num tu eorum malorum verè patrem, & auctorem dixeris? Me aduentu suo producit quotidie, & effector meus est. Declarat autem vel appellatio tua, nihil esse in te commodi, imò multum incommodi: à nocendo enim Nocti est inditum vocabulum. Quis autem omnia tua nocumenta enumerarit? Mater es otij, & Inertiæ. Nam dum tu vrbes, & pagos obruis, agi tot horis haud quidquam potest; nusquam pes promoueri sine lucerna, ac lumine, cui tu inimica es. Comessantium, compotantium, furum, scortatorum, ac maleficorum denique præses, & patrona es. Nihil propemodum mali facinoris reperitur, quod hortante, & adiuuante nocte non perpetretur. Adeo tempus tuum ad male agendum opportunum, & accommodatum est. Nemo enim

dum scelus aliquod obit, se conspici, & cognosci vult: tenebras quærit, noctem quærit. Lunæ, & stellis gratiæ habendæ sunt, quæ nonnunquam fulgore suo in hominum gratiam horrorem tuũ imminuũt, & quippiam operis fieri sinunt. Non ab Oceano, quod poëtæ fabulantur; sed à caliginosis Erebi specubus videris emergere. Humida cum sis perpetuò, humor tuus infestus est hominibus; ijs maximè, qui aut scabie, aut febribus, aut alio demum morbo sunt impliciti: noctibus enim ingrauescit, & cruciat miseros amplius. Quid dicam de partubus, quos tibi antiquitas tribuit? Amor, dolus, metus, labor, fatum, somnus, rabies, rixa, inuidentia, Parca, mors, senectus, fraus, pertinacia, querela, tenebræ, miseria hæ sunt proles tuæ: de istis quantum voles te iactato. N. Tu quidem mea dedecora, vt credi vis, recensuisti, & in me vituperanda profectò haud mutus fuisti. Ego tibi quæ nescis, aut scire dissimulas regeram de meis laudibus. C. Ohe laudes. N. Prætermitto illa, quæ de Nocte poetæ veteres cecinerunt: esse nimirum deorum antiquissimam, cum ante illorum ortum loca omnia repleuerit. Esse matrem ac nutricem siderum, matrem ætheris, & diei: illi quondam cantatos hymnos, facta sacrificia. Taceo nomina, quibus me honorant: de vno duntaxat pauca dicã. εὐφρόνην, quasi bene sapientem me nuncupant, quod nocturno tempore homines ad considerandum, & consultandum propter summum vndique silentium

flum sint aptiores. Vnde illud, *In nocte consilium.* Lacedæmonij quoque conuentus de rebus grauissimis in noctem reijciebant. Ipsam tuam lucem excipientes meæ tenebræ mortalibus gratiorem, & exspectatiorem efficiunt; quibus & aurora quàm meridies magis in desiderio est. Subit eos lucis fastidium, ad nocturnam quietem anhelantes? Tædet laboris, & diurni operis: fessos artus somno relectare, & ad insequentem laborem per noctis spatium reparare cupiunt. Suauis lux, suauis somnus. Et compellunt tenebræ meæ vel inuitos labori finem imponere, vt vitæ, vt valetudini, vt viribus consulatur. Ego foris versantes domum reuoco; feras è latibulis ad liberè, ac tutò pascendum educo. Et quoniam homines certis temporum spatijs vitam definitam degunt, eos mensuras temporum, & partes scire opus fuit. Quo enim pacto, si absque vlla vicissitudine luxisset, vel annorum orbes, vel mensium numerū discere, & cognoscere potuissent? Vnica, & continens dies totius spatij, quod in hac vita decurrissent, mensura fuisset; nec cuiquā quot dies, menses, annos vixisset scire licuisset. Igitur nox diei succedens temporis mensura est. Quę cum septies diem excepit, hebdomadis moram completam intelligitur. Denique nec sine die nox, nec sine nocte dies: vt spatium temporis inuicem ad vsus hominum mutuemur, & beneuolè reddamus. Ostendi quid prosim mortalibus ægris. Te quid accusem, non habeo. D. Vt

tenebræ tuæ; sic lux mea est propria, qua accedente, rerum quarumcunque varietas cum delectatione agnoscitur: sine qua sepulta iacerent omnia. Non est aliquid luce, hoc est, die (quippe cum lux est, dies est: & cum dies est, lux est) acceptius, optatius, commodius, potentius, fæcundius. Nihil ad mundum exornandum decentius, cum qua, cum luce, inquam, persæpe coniungitur, comparaturque ipsa diuinitas. Quem quis luce, & aspectu diei prohibet, simul ei oculos effodiat. Per diem augescunt, & crescunt omnia. Dies aptus est negotijs. Dies desideratissimus afflictis mentibus, nec somnum capientibus corporibus. Dies est solis supra nos cursus: sol est mundi lampas. Quid multa? dies vna optatior, & melior quàm centum noctes: & breuis lux gratior tenebris longissimis.

VII. *Artes mendicorum.*

SYMPERTVS, OSVALDVS, RICHARDVS.

S. HEu me. Quousque tandem nos mendicabula aut in vijs prætorijs, seu militaribus sessitabimus; aut domos in vrbib. perreptabimus, & stipem cogere cogemur? Spes melioris conditionis prò nulla affulget. Affulgeret fortsitan, si ligonem, aut rastrum, aut securim, aut stiuam in manus sumere liberet. Sed ego iam vetulus sum. Præterea laborare mendicis taurus Phalaridis est. Octennium abijt, cum ex arte quâ

fastitabam molitaria, ad hanc miseram, & inertem artē exercendam, infælici fato adactus sum: quam necdum perfectè dici: quia indocile ingenium nactus sum. O. Sed illam perfectè didiceras, opinor, ob quam vulgò male audiunt molitores. Sapienti pauca. S. Quin taces, furcifer? ni faxis, cōtinuò pugnus in mala hærebit. Oho ohe, bona verba. Remunerabor ego te mox simillimo munere R. Pax sit rebus. O. ego, Symperte, ab adolescentulo mendicaui, parentesque, auos, & atauos mendicos habui: nec mihi mendicitatem adeo molestam vnquam sensi. R. Ergo tu vtroq; nostrum longè es in hac exercitatior: nam ego annum abhinc tertium demum, euersis rebus meis in hunc amplissimum ordinem cooptatus sum. Nec mihi tam esset grauis, & dura ista professio, si onus grande vxoris, & duorum paruorum liberûm adiunctum non haberem. Vos me fæliciores, si quisquam mendicus est fælix, nisi cum moritur. S. Habemur tamen eò fælices, quia de crastino nihil solliciti, in diem viuimus. O. Viuimus nos quidem, sed tantùm viuimus. Nam panis, & aqua victus noster hoc solùm præstat, quod fame, & siti nos mori prohibet. Ad alias necessitates quos accipimus nummulos haud sufficiunt. S. Quid de nummulis tuis facis, Richarde? R. Quid facerem? vbi summulam collegi, emo calceos, aut aliquid rei vestiariæ è foro scrutario, cum ipsis sordibus, & pediculis, mendicorum fidissimis comitibus. O. Ego in

præ

præsens possideo supra nongentos. Vbi nume- rus creuerit, maiore, ac solidiore moneta vt per- mutem tentabo omnia, & mihi de thesauro meo benefaciam occultissimè. Quod reliquum erit, cognatis moriẽs relinquam. Idem vobis suadeo: vt quantumcunque collegeritis, semper vos pro egentissimis, & mendicissimis geratis (nihil quippe in mendico odiosius; quàm suspicio nummi) vt ita miserationem hominum ad tri- buendum alliciatis. R. Oh, non sinunt me mei conuictores thesaurum congerere, & simulare nescio. S. Quod das aliud consilium facilè impe- trandæ stipis? O. vt disertè precemini, non di- midiatis verbis, & hæsitante lingua. Vt formu- las, inquam, varias, pias, bene conceptas flagitan- di in promptu habeatis, cum verbis sanctissimis, & grauissimis. Per patrem misericordiarum. Per vnicum dei filium Saluatorem nostrũ. Per acer- bissimam Christi mortem. Per eiusdem sacrosan- cta, & salutifera vulnera. Per supremum iudicij diem. Per intemeratam Dei matrem. Per meri- ta omnium sanctorum. R. Vtimur quidem nos hisce, & similibus formulis: sed interim plurimi transeuntes non magis respiciunt nos quàm ca- nes. O. vox, & vultus eodem accommodanda, vt ex animo proficisci videantur quæ dicuntur: & eadem cum gemitu iteranda sępius: nec desisten- dum, quamuis prætereant; sed à tergo sequen- dum, & suppliciter instandum, & clamandum; vt saltem propter importunitatem impendant te-

ſutium, quem propter Chriſtũ cruci affixum impendere noluerunt. Opus eſt audacia, & impudentia mendico: pudor, & verecundia nihil ei proſunt. Memini cuiuſdam mendici, qui Alexandriæ Petrum quendam, hominem diuitem & auarum, ſeruum, qui caniſtrum plenum recentiſſimè coctis panibus portans præcedebat, ſequentem ita precibus aceruandis fatigauit, vt moleſtiæ impatiens, ac furibundus, arreptum è caniſtro panem illi impegerit, & faceſſere iuſſerit. Quem ad ſocios apricantes mendicus deferens & oſtentans, admirationem mouit omnibus: nemo enim quidquam ab illo triparco Euchione ſe vnquam retuliſſe dicere poterat: cum alios ciues ab eleemoſynis nominatim laudaret. Plura vultis? S. Vtique. O. vt dent, & libentius dent, bene, & bona ijs quos appellamus precari neceſſe eſt; etiam poſtquam dederint, vt nos gratos experiantur, & dediſſe gaudeant. Quid autem facilius, quàm optare illis clara voce centuplum, millecuplum, bonaque cum huius vitæ, tum futuræ omnia? Hæc qui diſertius, & clamoſius fecerit, crebriorem, & maiorem eleemoſynam merebitur. R. Vix ſolent tamen hi dando vltra obolos procedere, quo minus in numiſmatis nihil eſt. O. Immo nonnunquam ad trientes, & cruciferos. Nec iſtuc mirum, quando impertiendum eſt alijs quoque; & mendicorum eſt infinitas: nec vnquam deficiens viſa eſt illa natio, ſecundùm illud, *Pauperes ſemper habebitis*

vobiscum. Non parum inuitat etiam ad benefaciendum mendicis cantus, quo natura nostra delectatur. Quare ediscendæ sunt piæ cantilenę. Videmus certè in vrbibus egentes scholasticos ostiatim canentes vel panem accipere, vel pecuniam. Cur nos eorum similes fieri pudeat? Sed restat quoddam artificium, in quo stipis adipiscendæ magna spes. R. Audire auemus istud quidquid est artificij. O. Obligare alterum crus quasi grauiter vitiatum linteolo sordido, ac purulento, interrogatumque mendaciunculo fucum facere. S. Lepidum caput. Ad te mittemus discipulos, qui se ad numerum nostrum aggregare instituerint. O. Feci hoc, & profeci. Et quid tandem in hoc, aut quantum est mali? R. Laudemus, & bonis precationibus prosequamur bene merentes: & detestemur eum qui scripsisse dicitur in comœdia,

De mendico male meretur, qui ei dat quod edat,
aut bibat.
Nam & illud quod dat perdit: & illi producit
vitam ad miseriam.

O. Quid inhumanius hoc dicto? S. Quid immanius? Dignus erat hic veterator, qui ipsus ad saccum iret. Quasi vero mendici vita ipsa indigni, & in ea quamuis infælici, ac misera conseruandi non sint, cum ditioribus virtutis sint materia, illisque æterna in cælo præmia concilient, iuxta illud, *Esurivi, & dedistis mihi manducare, &c.*

VIII.

VIII. *Pro Iesuitis contra obtrectatores.*

FELIX, VRBANVS, MODESTVS.

F. Filium tuum, Vrbane, adolescentem lectissimum, & ornatissimum, mihique charissimum, litteris græcis, & latinis perpolitum, & in scholis Iesuitarum à puero versatum, in eorũ Societatẽ adscriptum audio, & nunc Romæ tirocinium ponere. Siccine res habet? an falsus nuntius aures meas occupauit? V. minimè falsus. M. Te sciente, an insciente? V. Sciente quidem; quanquam haud satis libente. Nam cùm esset egregijs naturæ donis insignitus, & politiore litteratura instructus, &, quod caput est, vnicus, ego eum ad ius ciuile cognoscendum in aliquam Academiam mittere, deinde vxori iungere cogitabam: vt esset qui aliquando gerendis honoribus seruiret patriæ: qui cohonestaret nostram familiam; & ad generis nostri propagationem dulces mihi nepotulos generaret, quibuscum se oblectaret iam in senium flectens ætas mea. M. Expugnauit ergo te, idque vel precibus, vel argumentis. V. vtrisque, Modeste. Et videbam animi feruorem, ac desiderium adeo flagrans; vt quamuis ego non annuerem, ipse tamen quod semel decreuerat, ad exitum constanter perducturus videretur. F. Si mundo valedicere, & Re-


ligiosorum amplecti militiã statuerat, cur hanc potissimùm elegit? Erant enim Sodales Dominicani, erant Franciscani, erant Carmelitæ, Benedictini, Capucini, quorum ordines multò hoc nouitio, & in vulgus odioso antiquiores: Iesuitæ siquidẽ nondum annis abhinc septuaginta, auctore & parente quodam Ignatio Loyola Hispano prodierunt. V. Non ad alium, sed ad hunc Ordinem trahi à Deo, & impelli se affirmabat: qui etsi longè aliis recentior, tamen à Pontificibus Maximis receptus, & confirmatus; à Principibus, Monarchis, ciuitatibus florentissimis expetitus; toto orbe breui temporum spatio dilatatus, & Ecclesiæ Catholicæ ad quoduis pium, & sanctum ministerium perutilis est. M. At isti boni Iesuitæ non præ se ferunt quod vocantur. Iesum enim parum imitantur, & specioso nomine se venditant. V. Quid ita? M. Ille mitis, & humilis corde est: isti duri, & arrogantes. Ille pauper: isti ingentes possident opes, & sunt pecuniosi. Bene vestiunt, bene eduntac bibunt, bene habitant. Ille ignobili plebeculæ docendæ se dabat: isti magnatum, ac Principium familiaritates ambiunt, & culinas consectantur. Reliquas dissimilitudines prætermitto. Nominarent se à duce suo Ignatianos, haud inuidia laborarẽt. Vniuersi enim Christiani, quibus scilicet vita IESV ad imitationem, & exemplum est proposita, Iesuitæ aut sumus: aut vt simus, conari debemus. V. Cur à IESV Societatem suam nuncuparint

parint, caussas graues, & iustas habuerunt illi Patres, quas te docebit Iulius Nigronus, in accuratissimo suo super ipsorum Regulis, quas Communes vocant, Commentario. Scimus quoque à Trinitate, à Spiritu sancto, & Saluatore quosdam Ordines, & Sodalitates nominatas, quæ suo cognomento de reliquorum Christianorum dignitate nihil imminuunt. Quæ dixisti de eorundem duritia, superbia, diuitijs, solent ista ipsis obijci: sed à maleuolis, & maledicis, nullis solidis, ac veris probationibus, verùm impudentissimè confictis mendacijs, quibus tot iã libellos aduersum eos impleuerunt, & in summum eos odium, contemptumque apud Catholicos adducere omni ope, sed incassũ conati sunt. Cum viris principibus nó alio scopo, ac fine versantur, quàm cum olitoribus, & fabris: nempe vt eorum studia ad virtutem, & honestatem dirigant, salutique prospectum eant. Vestitus, & victus eorum ad necessitatem, & commoditatem, non ad luxum, & delicias accommodatur; quod testari possunt, qui eorum prandiis, & cœnis interfuerunt. Si alicubi paulo elegantius habitant, non id ipsi quæsiuerunt; sed Principum liberalitatem, & ergaDei seruos amorem, ac reuerentiam impedire nequiuerunt. Et plurimis locis incommodè, ac malè habitant, in malè materiatis domicilijs. Denique *habitus, & tõsura, vt quidam ait, & externa cætera modicum conferunt: sed mutatio morum, & mortificatio*

tia: adeo, vt si sine offensione vlla diuinæ maiestatis, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati, ac stulti haberi, & existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione) eò quod exoptant assimilare aliquo modo creatorem ac dominum nostrum IESVM *Christum, eiusq́; vestibus, & insignibus indui: quandoquidem illa ipse, propter maiorem profectum nostrum spiritualem induit: vt in omnibus, quoad eius fieri poterit, diuina gratia aspirante, eum imitari, & sequi, cum vera sit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus.* F. Deus magne. Præclarissima, & religiosę perfectionis plenissima sanctio, si seruaretur modò. V. De hoc Deus viderit: tu alienum seruum caue iudices. Quod si in illis quęrimus quæ foris cernuntur, longum faciam si omnia pia, & sancta eorum exercitia enumerare voluero. Quantos illi labores in iuuentute ad pietatem Christianam, & ad bonas litteras erudienda exhauriunt? quantos in habendis tot cōcionibus, in congressibus, in confessionibus audiendis, in conscribendis omne genus, ab ipsorum instituto haud abhorrentibus libris, in consolandis ægrotis, in pauperibus procurandis, in captiuis visendis, in precibus, & sacrificijs pro publicis necessitatibus faciendis, in alijs demum ad animarum salutem spectantibus subeundis? Extra orbem Europæum, qui illis nimium angustus est, vltra mare, in Africa, in Asia, in India quęrunt, quas cum Deo in gratiam

reducant animas: pro quibus nullum incommodum pertimescunt, nullum periculum reformidant, non frigus, non calorem, non famem, non sitim, non nuditatem, non naufragium, non gladium, non vllum mortis, ac tormenti genus. M. Tu quidem eorum causam non ineptè agis. Vnde tibi hęc nota? V. Ex ipsorum historijs, quæ in publicum sunt editæ. Inde eos reuereor, obseruo, colo, valdeque diligo: hostiumque illorum stuporem, & amentiam detestor. F. In quonam? V. Quod de eorum vita domestica, ac disciplina libellos absurdissimorum, & prorsus incredibilium commentorum refertos euulgant, eorumque famam, & nomen omni ignominia deformare nituntur. Qui quanquam bene multi, omnes euanuerunt, manetque illorum honos, & gloria inconcussa. Scimus contigisse familię huic ab ipsis natalibus suis, dum se proferre incipit, vt criminibus, & calumnijs variè appeteretur, incommodis, & iniurijs multis iactaretur, atque etiam ad sanguinem vsque persecutiones ab improbis, ab hæreticis, à gentilibus pateretur. Cuius tamen propugnationem scriptis libris qui vltro susciperent, non defuerunt. Quibus indignissimum est visum, vt quos deus ceu recentes copias vitijs extirpandis, hæresibus profligandis, virtutibus in animos inserendis, litterarũ studiis profitendis, fide Christiana barbaris nationibus promulgandæ submisisset, ij cuiusuis ludibrio essent expositi: ac velut

lut monstra vitarentur; velut inimici humani generis maledictis proscinderētur, fugarentur, mactarentur. F. In posterum obturabo aures aduersum calumniatores huius ordinis, & de eo sentiam melius. M. Idem ego faciam; &, si genuero filios, non aduersabor in eundem transire volentibus: quandoquidem honestissimorum, ac nobilium virorum & principum liberos in eo viuentes comperio. V. Deus vos de hac laudabili voluntate multum amet, charosq; habeat.



SYNTAGMA DECIMVM.

VARIARVM LECTIONVM LIBER ADOPTIVVS.

Lectori.

Quoniam perinde in hoc, vt in priore Volumine quæsita atque uti reor, idoneè distributa est rerum pulcherrimarum ad oblectandum varietas, in qua ipsa nihilominus persæpe cerneretur quod animum erudiret, & emendaret: & ego olim in eo genere commentandi, scribendiq;, quod communiore vocabulo VARIARVM LECTIONVM *appellant, nonnihil pro mediocritate mea experiri volueram, lectorem conatu illo meo, qualis qualis*

dum scelus aliquod obit, se conspici, & cognosci vult: tenebras quærit, noctem quærit. Lunæ, & stellis gratiæ habendæ sunt, quæ nonnunquam fulgore suo in hominum gratiam horrorem tuũ imminuũt, & quippiam operis fieri sinunt. Non ab Oceano, quod poëtæ fabulantur; sed à caliginosis Erebi specubus videris emergere. Humida cum sis perpetuò, humor tuus infestus est hominibus; ijs maximè, qui aut scabie, aut febribus, aut alio demum morbo sunt impliciti: noctibus enim ingrauescit, & cruciat miseros amplius. Quid dicam de partubus, quos tibi antiquitas tribuit? Amor, dolus, metus, labor, fatum, somnus, rabies, rixa, inuidentia, Parca, mors, senectus, fraus, pertinacia, querela, tenebræ, miseria hæ sunt proles tuæ: de istis quantum voles te iactato. N. Tu quidem mea dedecora, vt credi vis, recensuisti, & in me vituperanda profectò haud mutus fuisti. Ego tibi quæ nescis, aut scire dissimulas regeram de meis laudibus. C. Ohe laudes. N. Prætermitto illa, quæ de Nocte poetæ veteres cecinerunt: esse nimirum deorum antiquissimam, cum ante illorum ortum loca omnia repleuerit. Esse matrem ac nutricem siderum, matrem ætheris, & diei: illi quondam cantatos hymnos, facta sacrificia. Taceo nomina, quibus me honorant: de vno duntaxat pauca dicã. εὐφρόνην, quasi bene sapientem me nuncupant, quod nocturno tempore homines ad considerandum, & consultandum propter summum vndique silentium

fluum sint aptiores. Vnde illud, *In nocte consilium.* Lacedæmonij quoque conuentus de rebus grauissimis in noctem reijciebant. Ipsam tuam lucem excipientes meæ tenebræ mortalibus gratiorem, & exspectatiorem efficiunt; quibus & aurora quàm meridies magis in desiderio est. Subit eos lucis fastidium, ad nocturnam quietem anhelantes? Tædet laboris, & diurni operis: fessos artus somno releuare, & ad insequentem laborem per noctis spatium reparare cupiunt. Suauis lux, suauis somnus. Et compellunt tenebræ meæ vel inuitos labori finem imponere, vt vitæ, vt valetudini, vt viribus consulatur. Ego foris versantes domum reuoco; feras è latibulis ad liberè, ac tutò pascendum educo. Et quoniam homines certis temporum spatijs vitam definitam degunt, eos mensuras temporum, & partes scire opus fuit. Quo enim pacto, si absque vlla vicissitudine luxisset, vel annorum orbes, vel mensium numerum discere, & cognoscere potuissent? Vnica, & continens dies totius spatij, quod in hac vita decurrissent, mensura fuisset: nec cuiquã quot dies, menses, annos vixisset scire licuisset. Igitur nox diei succedens temporis mensura est, Quę cum septies diem excepit, hebdomadis moram completam intelligitur. Denique nec sinę die nox, nec sine nocte dies: vt spatium temporis inulcem ad vsus hominum mutuemur, & beneuolè reddamus. Ostendi quid prosim mortalibus ægris. Te quid accusem, non habeo. D. Vt

tenebræ

tenebræ tuæ; sic lux mea est propria, qua accedente, rerum quarumcunque varietas cum delectatione agnoscitur: sine qua sepulta iacerent omnia. Non est aliquid luce, hoc est, die (quippe cum lux est, dies est: & cum dies est, lux est) acceptius, optatius, commodius, potentius, fæcundius. Nihil ad mundum exornandum decentius, cum qua, cum luce, inquam, persæpe coniungitur, comparaturque ipsa diuinitas. Quem quis luce, & aspectu diei prohibet, simul ei oculos effodiat. Per diem augescunt, & crescunt omnia. Dies aptus est negotijs. Dies desideratissimus afflictis mentibus, nec somnum capientibus corporibus. Dies est solis supra nos cursus: sol est mundi lampas. Quid multa? dies vna optatior, & melior quàm centum noctes; & breuis lux gratior tenebris longissimis.

VII. *Artes mendicorum.*

SYMPERTVS, OSVALDVS, RICHARDVS.

S. HEu me. Quousque tandem nos mendicabula aut in vijs prætorijs, seu militaribus sessitabimus; aut domos in vrbib. perreptabimus, & stipem cogere cogemur? Spes melioris conditionis prò nulla affulget. Affulgeret forsitan, si ligonem, aut rastrum, aut securim, aut stiuam in manus sumere liberet. Sed ego iam vetulus sum. Præterea laborare mendicis taurus Phalaridis est. Octennium abijt, cum ex arte quã factita-

factitabam molitaria, ad hanc miseram, & inertem artē exercendam, infælici fato adactus sum: quam necdum perfectè dici: quia indocile ingenium nactus sum. O. Sed illam perfectè didiceras, opinor, ob quam vulgò male audiunt molitores. Sapienti pauca. S. Quin taces, furcifer? ni faxis, cōtinuò pugnus in mala hærebit. Oho ohe, bona verba. Remunerabor ego te mox simillimo munere R. Pax sit rebus. O. ego, Symperte, ab adolescentulo mendicaui, parentesque, auos, & atauos mendicos habui: nec mihi mendicitatem adeo molestam vnquam sensi. R. Ergo tu vtroq; nostrum longè es in hac exercitatior: nam ego annum abhinc tertium demum, euersis rebus meis in hunc amplissimum ordinem cooptatus sum. Nec mihi tam esset grauis, & dura ista professio, si onus grande vxoris, & duorum paruorum liberûm adiunctum non haberem. Vos me fæliciores, si quisquam mendicus est fælix, nisi cum moritur. S. Habemur tamen eò fælices, quia de crastino nihil solliciti, in diem viuimus. O. Viuimus nos quidem, sed tantùm viuimus. Nam panis, & aqua victus noster hoc solùm præstat, quod fame, & siti nos mori prohibet. Ad alias necessitates quos accipimus nummulos haud sufficiunt. S. Quid de nummulis tuis facis, Richarde? R. Quid facerem? vbi summulam collegi, emo calceos, aut aliquid rei vestiariæ è foro scrutario, cum ipsis sordibus, & pediculis, mendicorum fidissimis comitibus. O. Ego in

præ

præsens possideo supra nongentos. Vbi numerus creuerit, maiore, ac solidiore moneta vt permutem tentabo omnia, & mihi de thesauro meo benefaciam occultissimè. Quod reliquum erit, cognatis moriēs relinquam. Idem vobis suadeo: vt quantumcunque collegeritis, semper vos pro egentissimis, & mendicissimis geratis (nihil quippe in mendico odiosius, quàm suspicio nummi) vt ita miserationem hominum ad tribuendum alliciatis. R. Oh, non sinunt me mei conuictores thesaurum congerere, & simulare nescio. S. Quod das aliud consilium facilè impetrandæ stipis? O. vt disertè precemini, non dimidiatis verbis, & hæsitante lingua. Vt formulas, inquam, varias, pias, bene conceptas flagitandi in promptu habeatis, cum verbis sanctissimis, & grauissimis. Per patrem misericordiarum. Per vnicum dei filium Saluatorem nostrū. Per acerbissimam Christi mortem. Per eiusdem sacrosancta, & salutifera vulnera. Per supremum iudicij diem. Per intemeratam Dei matrem. Per merita omnium sanctorum. R. Vtimur quidem nos hisce, & similibus formulis: sed interim plurimi transeuntes non magis respiciunt nos quàm canes. O. vox, & vultus eodem accommodanda, vt ex animo proficisci videantur quæ dicuntur: & eadem cum gemitu iteranda sępius: nec desistendum, quamuis prætereant; sed à tergo sequendum, & suppliciter instandum, & clamandum; vt saltem propter importunitatem impendant ter-

funtlum, quem propter Christū cruci affixum impendere noluerunt. Opus est audacia, & impudentia mendico: pudor, & verecundia nihil ei prosunt. Memini cuiusdam mendici, qui Alexandriæ Petrum quendam, hominem diuitem & auarum, seruum, qui canistrum plenum recētissimè coctis panibus portans præcedebat, sequentem ita precibus aceruandis fatigauit, vt molestiæ impatiens, ac furibundus, arreptum è canistro panem illi impegerit, & facessere iusserit. Quem ad socios apricantes mendicus deferens & ostentans, admirationem mouit omnibus: nemo enim quidquam ab illo triparco Euclione se vnquam retulisse dicere poterat; cum alios ciues ab eleemosynis nominatim laudarēt. Plura vultis? S. Vtique, O. vt dent, & libentius dent, bene, & bona ijs quos appellamus precari necesse est;, etiam postquam dederint, vt nos gratos experiantur, & dedisse gaudeant. Quid autem facilius, quàm optare illis clara voce centuplum, millecuplum, bonaque cum huius vitæ, tum futuræ omnia? Hæc qui disertius, & clamosius fecerit, crebriorem, & maiorem eleemosynam merebitur. R. Vix solent tamen in dando vltra obolos procedere, quo minus in numismatis nihil est. O. Immo nonnunquam ad trientes, & cruciferos. Nec istuc mirum, quando impertiendum est alijs quoque; & mendicorum est infinitas: nec vnquam deficiens visa est illa natio, secundùm illud, *Pauperes semper habebitis*

vobis-

vobiscum. Non parum inuitat etiam ad benefaciendum mendicis cantus, quo natura nostra delectatur. Quare ediscendæ sunt piæ cantilenę. Videmus certè in vrbibus egentes scholasticos ostiatim canentes vel panem accipere, vel pecuniam. Cur nos eorum similes fieri pudeat? Sed restat quoddam artificium, in quo stipis adipiscendæ magna spes. R. Audire auemus istud quidquid est artificij. O. Obligare alterum crus quasi grauiter vitiatum linteolo sordido, ac purulento, interrogatumque mendaciunculo fucum facere. S. Lepidum caput. Ad te mittemus discipulos, qui se ad numerum nostrum aggregare instituerint. O. Feci hoc, & profeci. Et quid tandem in hoc, aut quantum est mali? R. Laudemus, & bonis precationibus prosequamur bene merentes: & detestemur eum qui scripsisse dicitur in comœdia.

De mendico male meretur, qui ei dat quod edat, aut bibat.

Nam & illud quod dat perdit: & illi producit vitam ad miseriam.

O. Quid inhumanius hoc dicto? S. Quid immanius? Dignus erat hic veterator, qui ipsus ad saccum iret. Quasi vero mendici vita ipsa indigni, & in ea quamuis infælici, ac misera conseruandi non sint, cum ditioribus virtutis sint materia, illisque æterna in cælo præmia concilient, iuxta illud, *Esurini, & dedistis mihi manducare,* &c.

VIII.

VIII. *Pro Iesuitis contra obtrectatores.*

FELIX, VRBANVS, MODESTVS.

F. Filium tuum, Vrbane, adolescentem lectissimum, & ornatissimum, mihique charissimum, litteris græcis, & latinis perpolitum, & in scholis Iesuitarum à puero versatum, in eorũ Societaté adscriptum audio, & nunc Romæ tirocinium ponere. Siccine res habet? an falsus nuntius aures meas occupauit? V. minimè falsus. M. Te sciente, an insciente? V. Sciente quidem; quanquam haud satis libente. Nam cum esset egregijs naturæ donis insignitus, & politiore litteratura instructus, &, quod caput est, vnicus, ego eum ad ius ciuile cognoscendum in aliquam Academiam mittere, deinde vxori iungere cogitabam: vt esset qui aliquando gerendis honoribus seruiret patriæ: qui cohonestaret nostram familiam; & ad generis nostri propagationem dulces mihi nepotulos generaret, quibuscum se oblectaret iam in senium flectens ætas mea. M. Expugnauit ergo te, idque vel precibus, vel argumentis. V. vtrisque, Modeste. Et videbam animi feruorem, ac desiderium adeo flagrans; vt quamuis ego non annuerem, ipse tamen quod semel decreuerat, ad exitum constanter perducturus videretur. F. Si mundo valedicere, & Re-

ligiosorum amplecti militiá statuerat, cur hanc potissimùm elegit? Erant enim Sodales Dominicani, erant Franciscani, erant Carmelitæ, Benedictini, Capucini, quorum ordines multò hoc nouitio, & in vulgus odioso antiquiores: Iesuitæ siquidē nondum annis abhinc septuaginta, auctore & parente quodam Ignatio Loyola Hispano prodierunt. V. Non ad alium, sed ad hunc Ordinem trahi à Deo, & impelli se affirmabat: qui etsi longè alijs recentior, tamen à Pontificibus Maximis receptus, & confirmatus; à Principibus, Monarchis, ciuitatibus florentissimis expetitus; toto orbe breui temporum spatio dilatatus, & Ecclesiæ Catholicæ ad quoduis pium, & sánctum ministerium perutilis est. M. At isti boni Iesuitæ non præ se ferunt quod vocantur. Iesum enim parum imitantur, & specioso nomine se venditant. V. Quid ita? M. Ille mitis, & humilis corde est: isti duri, & arrogantes. Ille pauper: isti ingentes possident opes, & sunt pecuniosi. Bene vestiunt, bene eduntac bibunt, bene habitant. Ille ignobili plebeculæ docendæ se dabat: isti magnatum, ac Principium familiaritates ambiunt, & culinas consectantur. Reliquas dissimilitudines prætermitto. Nominarent se à duce suo Ignatianos, haud inuidia laborárét. Vniuersi enim Christiani, quibus scilicet vita IESV ad imitationem, & exemplum est proposita, Iesuitæ aut sumus: aut vt simus, conari debemus. V. Cur à IESV Societatem suam nuncupārint

parint, caussas graues, & iustas habuerunt illi Patres, quas te docebit Iulius Nigronus, in accuratissimo suo super ipsorum Regulis, quas Communes vocant, Commentario. Scimus quoque à Trinitate, à Spiritu sancto, & Saluatore quosdam Ordines, & Sodalitates nominatas, quæ suo cognomento de reliquorum Christianorum dignitate nihil imminuunt. Quæ dixisti de eorundem duritia, superbia, diuitijs, solent ista ipsis obijci: sed à maleuolis, & maledicis, nullis solidis, ac veris probationibus, verùm impudentissimè confictis mendacijs, quibus tot iã libellos aduersum eos impleuerunt, & in summum eos odium, contemptumque apud Catholicos adducere omni ope, sed incassũ conati sunt. Cum viris principibus nõ alio scopo, ac fine versantur, quàm cum olitoribus, & fabris: nempe vt eorum studia ad virtutem, & honestatem dirigant, salutique prospectum eant. Vestitus, & victus eorum ad necessitatem, & commoditatem, non ad luxum, & delicias accommodatur; quod testari possunt, qui eorum prandiis, & cœnis interfuerunt. Si alicubi paulo elegantius habitant, non id ipsi quæsiuerunt; sed Principum liberalitatem, & erga Dei seruos amorem, ac reuerentiam impedire nequiuerunt. Et plurimis locis incommodè, ac malè habitant, in male materiatis domicilijs. Denique *habitus, & tõsura, vt quidam ait, & externa cætera modicum conferunt: sed mutatio morum, & mortificatio*

tia : adeo, vt si sine offensione vlla diuinæ maiestatus, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati, ac stulti haberi, & existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione) eò quod exoptant assimilare aliquo modo creatorem ac dominum nostrum IESVM *Christum, eiusq; vestibus, & insignibus indui: quandoquidem illa ipse, propter maiorem profectum nostrum spiritualem induit: vt in omnibus, quoad eius fieri poterit, diuina gratia aspirante, eum imitari, & sequi, cum vera sit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus.* F. Deus magne. Præclarissima, & religiosę perfectionis plenissima sanctio, si seruaretur modò. V. De hoc Deus viderit: tu alienum seruum caue iudíces. Quod si in illis quęrimus quæ foris cernuntur, longum faciam si omnia pia, & sancta eorum exercitia enumerare voluero. Quantos illi labores in iuuentute ad pietatem Christianam, & ad bonas litteras erudienda exhauriunt? quantos in habendis tot côcionibus, in congressibus, in confessionibus audiendis, in conscribendis omne genus, ab ipsorum instituto haud abhorrentibus libris, in consolandis ægrotis, in pauperibus procurandis, in captiuis visendis, in precibus, & sacrificijs pro publicis necessitatibus faciendis, in alijs demum ad animarum salutem spectantibus subeundis? Extra orbem Europæum, qui illis nimium angustus est, vltra mare, in Africa, in Asia, in India quęrunt, quas cum Deo in gratiam

lut monstra vitarentur; velut inimici humani generis maledictis proscinderetur, fugarentur, mactarentur. F. In posterum obturabo aures aduersum calumniatores huius ordinis, & de eo sentiam melius. M. Idem ego faciam; &, si genuero filios, non aduersabor in eundem transire volentibus: quandoquidem honestissimorum, ac nobilium virorum & principum liberos in eo viuentes comperio. V. Deus vos de hac laudabili voluntate multum amet, charosq; habeat.



SYNTAGMA DECIMVM.

VARIARVM LECTIONVM LIBER ADOPTIVVS.

Lectori.

QVoniam perinde in hoc, vt in priore Volumine quæsita atque uti reor, idonee distributa est rerum pulcherrimarum ad oblectandum varietas, in qua ipsa nihilominus persæpe cerneretur quod animum erudiret, & emendaret: & ego olim in eo genere commentandi, scribendiq;, quod communiore vocabulo VARIARVM LECTIONVM *appellant, nonnihil pro mediocritate mea experiri volueram, lectorem conatu illo meo, qualis qualis*

tandem foret, fraudandum non putaui. Cumq; Bellariorum quiddam eo etiam, quanquam pusillo, monumento complexum videretur, quod te iucundè, nec sine fructu aliquo afficere posset, id velut adoptiuum huic familiæ inserendum, ac ne diutius iaceret in aduersariis, tanquam semel ciuitate donandum existimaui. Quod factum meum te comprobaturum, certa est fiducia.

Cap. I. Super vocabulis Seruator, & Saluator dissertatiuncula.

LAtinitati seruiendum esse in nostris scriptionibus, adhibendumq; verborum delectum, & fugiendam barbariem norunt, & confitentur omnes. Reperiuntur autem, qui hæc nimium religiosè, & curiosè obseruantes, & voces quasdam haud secùs quàm contagia deuitantes, ignorantia, & iudicio labuntur. Id quod nunc quidem in vno verbo *Seruator* demonstrabimus; præ quo Ciceronis alumnuli, & consectanei communissimum, tritissimum, maximéque proprium *Saluator* aspernari, & calamo suo indignum ducere consueuerunt. Demonstrabimus verò quam licebit breuiter, & succinctè ex prælonga, & erudita digressione Iulij Nigroni Societatis nostræ, de istoc nomine, Commẽtario in Regulas Ordinis nostri communes, vt appellitamus. Itaque attende sis animum.

Vox Hebræa IESVS à Græcis σωτὴρ, latinè ab initio

initio nascentis Ecclesiæ versa, & vsurpata est *Saluator.* Cic. in Verrem orat. IV. vno verbo latinè exprimi posse græcam vocem non putat: quia is est nimirùm Soter, inquit, qui salutem dedit. Ne tu illi obijcias Seruatorem. Non enim latinæ linguæ summus auctor hanc vocem nesciebat: sed maiorem vim in græca, quàm in hac latina inesse verissimè affirmat. Optimè Ciceronem intellexit Paulus Manut. cuius in Commentarijs hæc sunt verba. *Patet hinc communis error eorum, qui Iesum Christum, cuius immortalia merita nullo satis vno verbo exprimi latinè queunt, Seruatorem appellant. Aliud est seruare, aliud salutem dare: seruat is, qui, ne salus amittatur aliqua ratione præstat: salutem dat, qui amissam restituit. Et Christus genus humanum afflictum non in eodem statu seruauit: sed à sempiterno interitu ad æternæ vitæ bona perduxit, quod solus facere potuit.* Hæc ille. Præterea Seruator à seruando dicitur: seruare militiæ verbum est. Vnde & serui appellati, quod Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent. Quare seruator ex iure ciuili dicetur, qui hostes in prælio victos non occidit: sed captiuos fecit, eos seruituti reseruans, atque addicens. Quomodo ergo Christus, qui homines quos fecit saluos, liberans eos iam captiuos, ab hostium potestate asserens in veram libertatem, cæloque inferens melius, & verius *Seruator*, quàm *Saluator* appelletur? Tertulliano lib. de Resurrect. carnis saluare plus

eſt quàm ſeruare : qui etiam σωτῆρα *Saluificatorem* auſus eſt interpretari. Huic ergo voci tribuit, quæ Seruatori non conueniunt. Quod omni modo conſtat, inquit : quod perijt ſaluum faciens : quod mortuum eſt , viuificans : quod percuſſum eſt, ſanans : quod languit, medicans: quod ereptum eſt, redimens : quod famulatum eſt, liberans: quod ſeductum eſt, reuocãs : quod eliſum eſt, ſuſcitans. Tacit. Annal. l. 5. de Milicho delatore coniurationis, à Nerone præmijs dotato. Conſeruatoris , inquit, ſibi nomen græco eius rei vocabulo aſſumpſit. Veriſimile eſt, nomen illud græcum σωτὴρ fuiſſe. Sed Tacitus Seruatorem non eſt auſus vertere, quia rem non exprimebat: voce igitur ſignificantiore, vt putabat, Conſeruatorem dixit. At ea deducta ex eodem fonte parum vincit Seruatorem ; proinde σωτῆρα non adæquat. Inſuper Tertulliano doctiſſimo Seruatoris, & Conſeruatoris nomina non erant incognita : qui tamen non ſemel Chriſtum nouo, & inuſitato vocabulo Saluificatorem appellauit. Non vſurpauit ijs locis vocem Saluator: vel quia nondum in Africam ea vox peruenerat: vel, quod probabilius, quia nouandorum verborum ſtudioſiſſimus erat , in rebus præſertim exprimendis, quarum vis & magna eſſet, & minimè vulgata, qualis eſt Soteris, & IESV notio. Item viri latinæ linguæ peritiſſimi , cum Ieſum, & σωτῆρα vertere potuiſſent Seruatorem, dicere maluerunt Saluatorem. Mitto ſacrorum Biblio-

rum

rum interpretem vulgatum, quem proprietatis peritissimum fuisse constat. Lactant. Christianorum Cicero lib. 4. Sed Iesus, ait, qui latinè dicitur salutaris, siue saluator, quia cunctis gentibus salutifer venit. Augustin. lib. 3. de Trinit. cap. 10. Qui est Hebraicè Iesus, græcè σωτὴρ, nostra autem locutione Saluator. Quod verbum antea lingua latina non habebat, sed habere poterat: sicut potuit quando voluit. Quod dicit, antea non fuisse *Saluator* in lingua latina, Ciceronis æuo cape, & ante Euangelij prædicationem: sed postea fuisse, cum nouatum est, & factum, à verbo *saluare*, quod in Pisoniana nonnulli codices habere dicuntur, saluare inquam. Itaque religiosuli isti Tulliani, & proprietatis Ciceronianæ amatores, dum superstitiosè metuunt barbarismum in Saluatore, in aliud vitium labuntur, quod Quintilian. lib. 1. cap. 5. improprium diceret: quia Seruatoris nomen IESV CHRISTI proprium non est: amplissimæ siquidem notioni, vt probatum est, non respondet. Erunt forte, qui ab vtroque abstinendum putabunt: Seruatoris, quia non est proprium; Saluatoris, quia minus latinum: & vtendum circumscriptione, cum opus fuerit. Ridiculum effugium. Prudenter Manut. de circumscriptione, Ciceronis loco citato. *Qui salutem dedit.* Vt interdum, inquit, non commoda solùm, verum etiam necessaria videtur; sic iterata sæpius & dignitatem amittit, & satietatem parit. Christianus

orator

orator, aut ſcriptor, qui centies Saluatorem cogitur nominare, ſemper circumſcriptionem adhibebit? Cur Eccleſiaſticas, Chriſtianasque voces homo Chriſtianus, eccleſiaſticus, & verò etiam religioſus reformidas? De Architectura diſſerens, artis eius vocabula Vitruuio viſitata non fugies, tametſi ea apud Ciceronem non reperias: voces Chriſtianæ religionis fugies, quod eas Cæſar, Tullius, aut Salluſtius non vſurparint? Do lapidem vetuſtiſſimum, cuius ictum eludere non poſſis, exſcriptum ex accurato collectore Romanarum omnium inſcriptionum Iohanne Grutero, in Inſcript. vet. pag. 19. n. 5.

IOVI. CVSTODI
QVIRINO. SAL-
VATORI
PRO. SALVTE. CÆ-
SARIS. NERVÆ
TRAIANI. AVG.
COL.
SARMIZ.

Repertus dicitur in Tranſiluania: in qua vallis Sarmizenſis ponitur ab auctore Theſauri Geograph. Diligebatur à militibus Traianus, qui fæliciter cum Dacis pugnauit: Daciæ autem pars Tranſiluania. Proinde cum ægrotaſſet, colonia Sarmizenſis votum pro ipſius ſalute nuncupauit, quod in hoc marmore, vt res publicè teſtata eſſet

esset, insculpi iussit. Igitur Romani Saluatoris nomen Traiani æuo, in Christianæ religionis incunabulis, Ioue deorum principe dignum putant: nos Christo domino, deoque nostro vero, idem tot sęculis vsitatum, sacrumq́ue nomen tribuere dubitemus? &c. Mihi secundùm fidem, religionem, veritatem dixisse Nigronus, & Ciceroniastros caussa cecidisse videtur.

II. *De αὐτὸς ἔφα Pythagoreo, & Christiano. Greg. Nazianzeni laus. Quid Hieronymo solœcismus Christianus.*

EX innumerabilibus qui hodie in vita sunt litterarum studiosis, neminem statuo reperiri, cui celeberrimum illud αὐτὸς ἔφα, ipse dixit, non sæpenumero ad aures acciderit, quiué id ipsum non frequenter saltem legerit. Eius originem hisce verbis 1. de nat. deorum exposuit M. Tullius. Nec verò probare soleo id, quod de Pythagoricis accepimus; quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex ijs quæreretur, quare ita esset, respondere solitos, *Ipse dixit:* Ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio præiudicata poterat, vt etiam sine ratione valeret auctoritas. Quæ narratio multum ab eo dissentit, quod Suidas tradidit, Pythagoram, vt orationi suæ, & vitæ auctoritatem conciliaret, in congressibus dicere solitum, *Ipse dixit:* hoc est, non meus, sed dei sermo est. Vide quæ ibidem annotarit Schottus noster, prouerbio 94. cent. 3.

Tran-

Transiuit in adagium, estque vsus eius duplex, serius,& iocosus,seu ironicus. Serius de ijs, quorum est ijs in rebus, de quibus agitur auctoritas, & existimatio præcipua, quique sunt testes omni exceptione maiores, καὶ ὑπὲρ κατάλογον, qualis Plato diuinus M. Tullio, cuius verba damus ex Tuscul. 1. Vt enim rationem Plato nullam afferret (vide quid homini tribuam) ipsa auctoritate me frangeret. Eodem libro profitetur, malle se errare cum Platone, quàm cum alijs vera sentire. Ait item Quintilianus, summorum virorum auctoritatem haberi pro ratione. Iocosus, & irrisorius in eos, de quibus tam præclarè non sentimus, vel etiam nihil, aut mediocria sentimus. Habent & Christiani suū αὐτὸς ἔφα, cum aut à Christo filio dei, aut à sanctis Apostolis, aut Prophetis, aut ab oeconomicis concilijs dicta, præcepta, & decreta in medium afferunt. *Spiritu sancto enim inspirati, locuti sunt sancti dei homines*, vt in epistola B Petrus affirmauit. De Hæresiarcharum verò pronuntiatis, & dogmatibus falsiloquis rectè, & κατ' εἰρωνείαν dixeris, αὐτὸς ἔφα. De Gregorio Nazianzeno, cui soli post D. Ioannem Apostolum,& Euangelistam Theologi gloriosa appellatio contigit, idem αὐτὸς ἔφα cum laude vsurpari solitum legi. Quem quidem Basilius testis grauissimus, vas electum, puteum profundum,& os Christi nominauit. De eodem Rufinus, id obtinuisse apud deum, & ecclesias, vt quicunq; ausus fuerit doctrinæ eius in aliquo

refra-

refragari, ex hoc ipso, quia ipse magis sit hæreticus, arguatur. Manifestum namque indicium est, non esse rectæ fidei omnem, qui in fide Gregorio non concordat. Calculum his adijcit in eius Officio Ecclesia Romana. *Scripsit multa*, inquit, *& soluta oratione, & versibus, mirabili pietate, & eloquentia: quibus doctorum hominum, sanctorumq; iudicio id assecutus est, vt nihil in illis, nisi ex vera pietatis, & catholicæ religionis regula reperiatur: nemo quidquam iure vocare possit in dubium.* Quid nunc me de solœcismo Christiano dicturum censes? Solœcismum definit Isidor. lib. 1. plurium verborum inter se inconuenientem compositionem: vt barbarismum vnius verbi corruptionem. Dare veniam sceleratorum pro sceleratis. Hoc verbi, cum metaphora quadam ad errorem varijs in rebus transferatur, S. Hieronymus lepidè ad mores & vitam transtulit, cum contra Heluidium scriberet. Apud Christianos, inquit, solœcismus magnus est, & vitiū, turpe quid narrare, vel facere. Tu pro corollario notabis, quod à Paulo turpiloquium, à Tertulliano de Resurrect. carnis spurciloquium dici. Præterea Cic. lib. 2. ad Att. ep. 11. dixisse: Ludos Antij spectare non placet. Est enim ὑποσολοικὸν, cum velim vitare omnium deliciarum suspicionem. Lucian. περὶ ὀρχήσεως. Herculem in Scena μονῳδεῖν ait videri σολοικίαν, cum in Andromacha, & Hecuba ferri possit. Sic Sidon. lib. 9. ep. 3. dixit. Porrò autem quidam barbarismus

est morum sermo iucundus, & animus afflictus. Hæc ibidem in Notis Iacobus Sirmondus noster.

III. *Duæ leges Atheniensium, vna humanitatis, altera grati animi.* *Bos laudatus.*

ÆLianus lib. 5. cap. 14. memoriæ tradit, Athenienses inter alia tulisse: *Si quis in cadauer hominis insepulti inciderit; saltem ei terram inijcito, atque ita sepelito, vt ad occidentem spectet.* Non putarunt homines humanissimi sine labe, & macula vel simplicissimum hoc sepulturæ genus, iniectionem terræ scilicet, aut pulueris prætermitti posse. Naufragio mersum, & in littus eiectum Archytam Tarentinum, sic nautam littus legentem hanc sepulturam rogantem facit lib. 1. Ode 28. Horatius.

At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus, & capiti inhumato
Particulam dare.

Magnæ siquidem infęlicitati adscribebant veteres tumuli prorsus expertem iacere, atq; ideo viui adhuc humationem petebant sibi. Id pluribus ex locis poëtarum fit manifestum. Venio ad aliam legem, ex qua aduersus bene meritam, licet bestiam, elucet grata memoria. *Bouem aratorem qui iugum trahit, vel cum aratro, vel cum plaustro, ne mactato: quoniam ille etiam agricola est, & humano generi laborum socius.* Ob hanc causam

causam Pythagoras cum carnium vetaret esum, atque idcirco animantes admodum miseraretur, præcipuè ouium, ac boum vicem dolebat, multis rationibus vtilissimarum animantium. Mitto iam oues, de bobus audi querimoniam ex XV. Metamorph.

Quid meruêre boues, animal sine fraude, dolóque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit curui dempto modò pondere aratri
Ruricolam mactare suum: qui trita labore
Illa quibus toties durum renouauerat aruum
Tot dederat messes, percussit colla securi.

A quatuor rebus bos commendatur. *Incallidum animal.* Secus vulpes, & quædam alia, de quibus Aristoteles, Plinius, &c. *Innocens*, haud enim lædit quempiam. Sunt cornupetæ: sed illi fermè tauri, de his modo non est sermo. *Simplex*, paret quippe armentario, & quà ducitur ambulat, suo qualicunque victu contentum. *Laboriosum*, in terra excolenda. Cic. 2. de nat. deor. Quid de bobus loquar? quorum ipsa terga declarant, non esse ad onus accipiendum figurata: ceruices autem natæ ad iugum: tum vires humerorum, & latitudines ad aratra extrahenda. Vide prouerb. Bos sub iugum. Varro 2. de re rust. Hic socius hominum in rustico opere, & Cereris minister. Legendus etiam Liban. in Progymnas. de laudibus bouis. Ergo non in-

 iuria

iuria Pythagoras videtur vitium magnum exprobrare mactatori, & deuoratori bouis, vt ingratissimo, & indigno pane ipso, qui ei absque bouis labore non suppeditaret. Quomodo enim fine aratione seges, sine segete messis, sine messe frumentum, sine frumento farina, sine farina panis? Atqui bos arat. Nam prisci equorum operam non ad arationem, sed ad bellum adhibebant. Exaggerat autem γεωπονίαν bouis, vt inde prauitas eum occidentis, & absumentis liqueat. Vetat & Hesiodus bouem aratorem mactare. Quinimmò Athenis, vt Leonicus in varia hist. prodidit, quotannis illius securis caussa agebatur, qua primus bos ad aram, Erecbtheo rege mactatus ferebatur. Misericors homo Ouidius, 4. Fast. vbi pacis, & agriculturę studium commendat, istis versibus mactationem à boue deprecatur.

A boue succincti cultros remouete ministri:
Bos aret, ignauam sacrificate suem.
Apta iugo ceruix non est ferienda securi,
Viuat, & in dura sæpe laboret humo.

Consule insuper Plin. lib. 8. cap. 45. De βουθυσίᾳ, à quibus vsurpata, & contra, à quibus religioni habita, Stuckius de sacris, & sacrificijs gentilium, pag. 44. & sequenti.

IV. *Exordium Partitionum oratoriarũ ex Platone expressum apparere.*

Quod

QVod Cicero de Panætio Stoico philosopho Tuscul. 1. eum adeo admirari, venerarique Platonem suum consueuisse, vt omnibus locis diuinum, sapientissimum, sanctissimum, Homerum philosophorum appellaret, hoc idem verè etiam de ipso Cicerone dici potest: cuius φιλοπλατωνία nihil notius. Plato est illi diuinus, vnus instar omnium; quasi quidam deus philosophorum: non intelligendi solum, sed etiam dicendi grauissimus auctor, & magister: ingenij, & doctrinæ princeps, &c. Hunc quin crebrius in scriptis suis, non solùm quà sententiis, & dogmatis imitatus, verùm etiam quà dictione æmulatus, & ad verbum pæne interpretatus sit, cui dubium esse potest, qui ambos nouerit? Sanè initium Partitionum, cum filius à patre sibi rationem dicendi petit exponi, hoc quod dico tam non ambiguè prodit, quàm certum habetur lucis auctorem esse solem. Redditum enim liquet ex dialogo, qui est de Sapientia, & Theages inscribitur. Vbi Demodocus super institutione filij Theagis Socratem conuenit, atque consilium eius exquirit.

Cic. F. *Studeo, mi pater, latinè ex te audire ea, quæ mihi tu de ratione dicendi græcè tradidisti: si modò tibi est otium, & si vis.* Cic. P. *An est, mi Cicero, quod ego malim, quàm te quàm doctissimum esse? Otium autem primùm summum est, quoniam aliquando Roma exeundi potestas data est. Deinde ista tua studia vel maximis occupa-*

tionibus meis anteferrem libenter. Cic. F. *Vis ne igitur, vt tu me græcè, &c.* Cic.P. *Sanè, si placet.* Nunc Platonem audi, & de tribus quæ inducũtur personis, Demodocum puta Ciceron. filium, Socratem Ciceronem patrem.

ΔΗ. Ὦ Σώκρατες, ἐδεόμην ἄττα σοι ἰδιολογήσασθαι, εἰ σχολή. κἂν ἀσχολία δὲ μὴ πάνυ τις μεγάλη ᾖ, ὅμως ἐμοῦ ἕνεκα ποίησαι σχολήν. ΣΩ. Ἀλλὰ καὶ ἄλλως τυγχάνω σχολάζων, καὶ δὴ σοῦ γε ἕνεκα καὶ πάνυ, ἀλλ᾽ εἴ τι βούλει λέγειν, ἔξεστι. ΔΗ. Βούλει οὖν δεῦρο εἰς τὴν τοῦ Διὸς τοῦ ἐλευθερίου στοὰν ἐκποδὼν ἀποχωρήσωμεν; ΣΩ. εἰ σοὶ δοκεῖ.

Ex interpretatione Serrani.

DEM. *Sunt mihi, Socrates, quædam priuatim tibi communicanda, si quidem otium est: & si negotium etiam sit, modò ne planè magnum, velim vt mea caussa otium agas.* [Non hoc Cicero filius: non exigit; sed sub conditione tantùm, seruata erga patrem reuerentia, & modestia, si modò est otium, inquit, & , si vis] SOCRAT. *At enim aliâs otium quoque mihi est: tua verò causa maximè. Itaque quod volueris tibi licet dicere.* DEM. *Vis ne ergo ut illàc in proximam Iouis Liberatoris porticum è vestigio secedamus?* SOCRAT. *Esto, si quidem ita tibi videtur.*

V. *Quis sit Homero, & Hesiodo* μέγας ὅρκος, *magnum iusiurandum. Quis item Alexandro M. & Caio Calig. Imp.*

Quoniam

QVoniam ipsa Styx flumen, seu palus inferorum, conspiratorum contra Iouem deorũ, cum illum vincire voluerunt, insidias ei patefecerat; aut quia filiam Victoriam ei subsidio in ea pugna miserat, hanc illi dignitatem concessit, vt dij iusiurandum per stygem conceptum, sanctissimum, ac prorsus inuiolabile haberent. Si quis eorum peierasset, anno vno, & diebus nouem ambrosia, & nectare careret. Testatur Homerus Odyss.5. Natal.lib.3.cap.2. Sic iurat Iupiter 1. Metam. *per flumina iuro Infera, sub terras stygio labentia luco.* Et sub finem libri.

Pone metus, inquit, nunquam tibi causa doloris
Hæc erit: & stygias iubet hoc audire paludes.

Et Phœbus lib.2. Phaethonti.

---------- quod vis pete munus, & illud
Me tribuente feres. Promissi testis adesto
Diis iuranda palus, oculis incognita nostris.

Et infra.

Ne dubites, dabitur (stygias iurauimus undas)
Quodcunq; optaris: sed tu sapientius opta.

Hoc itaque iuramentum μέγας ὅρκος (quia deorum, & sacrosanctum) dicebatur. Homerus Odyss.β΄. ὡς ἄρ᾽ ἔφη, γεῦς δὲ θεῶν μέγαν ὅρκον ἀπώμω. Hesiod. Theog. vbi de Styge, αὐτὴν μὲν γὰρ ἔθηκε θεῶν μέγαν ἔμμεναι ὅρκον. Rursum apud Homerũ hymno in Apollinem Latona Delo insulæ per cælum, terras, & stygias aquas iurans.

Καὶ τὸ κατειβόμενον στυγὸς ὕδωρ, ὅς τε μέγιστος
Ὅρκος, δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν.

Alexander Hephæstionem amicum, & alterum se post obitum in deorum numero veneratus est: adeo, vt super omnia religiosissimū iusiurandum arbitraretur, quod per nomen Hephæstionis conciperetur. Lucian. de non cred. calum. C. Caligula, teste Sueton. cap. 24. nullum sanctius iuramentum duxit, quàm per nomen Drusillæ datum, sororis inquam suæ.

VI. *Athenæ plures. Atticarum commendatio.*

ATHENAS fuisse plures, à Pallade ædificatas, & educatas, ante ingentem terrarum eluuionem, ex Timæo quidam prodiderunt. Stephanus hoc nomine quinque, aut sex vrbes nūcupatas auctor est. Trinas fuisse testatur Varro de ling. lat. lib. 7. & ab vna dictos Athenæos, ab altera Athenienses, à tertia Athenopolitas. De illis nos agemus, quas Plautus sæpius Athenas Atticas nominat, vt ab alijs scilicet Athenis distinguat: de quibus & M. Tullius pro Flacco. Vrbs, inquit, vetustate ea est, vt ipsa & sese suos ciues genuisse dicatur, & eorum eadem terra parens, & altrix. Χθονίυς vocat Sophocles in Aiace. Quanquam gloriantibus aliquando Atheniensibus, quod indigenæ essent, Antisthenes ipse Atheniensis respondit, illos bruchis, & cochleis nihilo nobiliores. In Orat. perf. Itaque nobis monendi sunt ij, quorum sermo imperitus increbuit, qui aut dici se desiderant Atticos, aut ipsi

ipsi Atticè volunt dicere, vt mirentur hunc (Demosthenem) quo ne Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas. De ea Ouid. 2. Metamor. *Ingeniis, opibusq́, & festa pace virentem.* A tribus rebus prædicatam vides hoc carmine, à studiis doctrinarum, à diuitijs, ab otio, & tranquilla pace, quam agitaret. De origine illius, laudibus, regibus, rebus gestis multa Iustin. lib. 2. Insuper Rhodigin. lib. 18. cap. 25. De Attica item, & Athenis Xenophon, principio libri de Vectigalibus. Omissis alijs, quantopere à studiis liberalibus laudata sit cognoscamus. Sanè philosophorum, oratorum, poëtarum, rhetorum, eruditissimorum, ac sapientissimorum denique hominum, & omnium bonarum artium mater dici meritò potest. Alias eam primam reperisse, ac protulisse: alijs honorem, vim, & incrementum contulisse ait Plutarch. vbi quærit, vtrum Athenienses virtute bellica, an sapientia magis excelluerint. Rectè igitur ac verè Cic. 1. de Orat. vt omittam illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas. Et pro Flacco. Adsunt Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges, ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur. Doctas vocauit Propert. eleg. 6. lib. 1. *An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas.* Et rursum lib. 3. eleg. 21. *Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.* Quidam, vt obseruauit Athenæus lib. 1. & Eustath. in Iliad. & repetit Muret. Comment. in 1. de rep. Plat. appel-

lauit λαμπροτάτην πόλεων πασῶν, ἃς ὁ ζεὺς ἀναφαίνει. Alij ἑλλάδος μουσεῖον, ἑλλάδος πρυτανεῖον, ἑλλάδος ἑστίαν. Illuſtriſſimam vrbium quotquot Iupiter oſtenderet. Græciæ muſæum, Prytaneum, & aſylum. Eloquentia potiſſimùm ibi clarum, & illuſtre domicilium habuit, quare patriam communem eloquentiæ Iuſtin. lib. 5. quomodo & alterum Græciæ oculum nominauit, quod de Sparta, & Athenis ante ipſum Lyſander Lacedæmonius dixerat. Vellei locum appoſitum de extremo lib. 1. adſcribemus, vt à Lipſio correctum inuenimus. Vna vrbs Attica, pluribus annis eloquentia, quàm vniuerſa Græcia, vberiusque floruit: adeò, vt corpora gentis illius ſeparata ſint in alias ciuitates: ingenia verò ſolis Athenienſium muris clauſa exiſtimes. Neque ego hoc magis miratus ſum, quàm neminem Argiuum, Thebanum, Lacedęmonium oratorem, aut dum vixit auctoritate, aut poſt mortem dignum memoria exiſtimatum: quæ vrbes talium ſtudiorum fuere ſteriles, niſi Thebas vnum os Pindari illuminaret. Nam Alcmana Lacones ſibi falsò vindicant. Finiam, ſi eximium à Philone elogiũ addidero. ὅπερ ἐν ὀφθαλμῷ κόρη, ἐν ψυχῇ λογισμὸς, τοῦτ᾽ ἐν ἑλλάδι Ἀθῆναι. Quod pupilla in oculo, in anima mens, ſiue ratio, hoc in Græcia Athenæ.

VII. *Quid Sirenes: tum quid ſibi velit apud. D. Ambroſium filia paſſerum.*

Quam-

QVamobrem Sirenes cum plumis, & pedibus auium facies gerant virgineas, quæstionem ponit Ouid. Metam. lib. 5. quam ita dissoluit. Cum Proserpina flores legeret, quo tempore à Plutone rapta est, eius illæ comites, ac sodales fuerunt. Eam amissam toto continente cum quæritassent, sed frustra, per mare quoque inuestigare cupierunt; ac proinde pennas, & alas, quibus innatare aquis, & veluti remos ducere possent, quod in auibus quibusdam videmus, sibi optarunt. Responderuut dij optatis. Veruntamen, ne dulces illi cantus quos edebant, quique magno nauigantibus oblectamento essent, perirent, faciem illis, & vocem humanam reliquerunt. De his Auson. in Ternario festiuè, *Tres volucres, tres semideas, tres semipuellas*. Semiuolucres puellas Symmachus nominat, epist. 41. lib. 1. Monstra maris Naso 3. de Arte.

Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora
Quaslibet admissas detinuere rates.

De suauitate, & varietate cantus earum miranda prædicant poëtæ. A Græcis Grammaticis traditum inuenitur, Sirenas à pectore sursum habuisse passerum, infra pectus fæmineam speciem. Liquet hinc vtcunque, quid S. Ambrosius voluerit de Fide ad Gratian. Aug. cap. 1. cum ait, Isaiam Sirenas, & filias passerum dixisse. Verba Prophetæ cap. 13. nulla mentione passerum sic habent: *& respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius,*

& Sirenes in delubris voluptatis. Si locus Ambrosianus non est corruptus, memoria fortasse sanctum virum, non res ipsa fefellit. Hyginus partem superiorem corporis muliebrem, inferiorē gallinaceam habuisse auctor est.

VIII. *Sententia M. Tullij de domo viri honorati perpensa, & illustrata.*

Lib. 1. de Off. vbi de Temperantia præcipit Cicero, ne quid omitteret, quod ad argumentum consummatius pertractandum pertineret, etiam de hominis honorati, & principis domo quid in officio esset, demonstrandum putauit: nam in eam quoque partem peccari & potest, & solet. Vt ergo eius doctrinā, præceptumque summatim proponam, vult descriptionem ædificandi accommodari ad vsum, qui est cuiusque domus ædificandæ finis. Habendam nihilominus rationem dignitatis, & commoditatis quoque: ornandamque dignitatem domo, non ex domo totam quærendam: nec domo dominum: sed domum domino honestandum. Hactenus ille. Qui sunt igitur, qui dignitatem totam ex domo quærunt, nisi qui carent ijs omnibus, quæ dignitatem pariunt? in quibus nulla vel à maioribus accepta claritudo, vel studio, & labore acquisita eruditio, vel prudentia, & rerum magnarum vsus, vel virtus denique & auctoritas; sed diuitiæ duntaxat cernuntur; qui, quamuis sub purpura, simiæ, & sub leonina pelle

manent

manent asini. Eadem est planè ratio domus ad habitatorem suum, quæ corporis ad animum, à quo incolitur. Quid quæso affert laudis seu viro, seu mulieri corpus elegans cum animo insipienti, ac fatuo? Contrà membris quamuis distortũ, nec facie insignem, tamen ingeniosum, ac sapiẽtem, qualis Æsopus fuit, quem Athenienses statua ante septem sapientum statuas posita honorarunt, quis non suspiciat? Quocirca qui volet splendidè habitare, & domum ornare potius, quàm à domo ornari, prius semetipsum veris ornamentis exornare studeat. Vituperabat Socrates Archelaum Macedonem, quod in domũ excitandam XL. minas impendisset, eamque à Zeuxide pictore nobilissimo mercede conducto egregijs picturis condecorandam curauisset: se autem penitus neglexisset, nec vllam sui excolendi impensum fecisset. E remotissimis terris aduentare complures, domum eius, non etiam ipsum Archelam contemplatum: nisi si forte quempiam pecunia & muneribus, (quibus tamen honesti, ac boni minimè caperentur) inescasset. Refert Ælianus var. hist. lib. 14. cap. 17. Lege item Philostrat. lib. 5. cap. 8. de vita Apollonij Tyanei, quo is cum Rhodio adolescente, & locuplete, super ædibus quas præclaras sumptuosè ædificabat, scitè sermonem miscet, eumque ἀλογιςίας conuincit.

IX. *Quo pacto mens ad voluntatem, & sensus corporis sese habeat, trina similitudine ex tribus scriptoribus declaratum.*

IN Isocratea illa parænesi ad Demonicum, saluberimis morum præceptis ad vitam priuatam bene instituendam referta, quicunque tandem illius auctor sit (tres enim Isocrates inueniuntur, & cui potissimùm adscribenda sit, à Mureto variar. lib. 1. cap. 1. Henrico Stephano Diatribe 1. disputatur) in illa, inquam, scholis notissima parænesi de conuiniјs ita præcipitur; non esse adeunda, nisi si quando tempus postulauerit. Ac tum ante ebrietatem surgendum, & abeundum. Caussa subditur. ὅταν γὰρ ὁ νοῦς ὑπὸ οἴνου διαφθαρῇ, ταυτὰ πάσχει τοῖς ἅρμασι τοῖς τοὺς ἡνιόχους ἀποβάλλουσι. ἐκεῖνα τε γὰρ ἀτάκτως φέρεται, διαμαρτάνοντα τῶν εὐθυνόντων· ἥτε ψυχὴ πολλὰ σφάλλεται διαφθαρείσης τῆς διανοίας. Quum enim vino mens corrupta fuerit, idem ei quod curribus euenit, è quibus aurigæ sunt excussi. Nam vt hi temere feruntur: sic animus in multa delicta impellitur, mente subuersa. Prudenter, & eleganter hìc mens cum auriga, voluntas autem cum curru, & sensus corporis cum equis currum trahentibus conferuntur. Mens est, ad cuius præscriptum dirigendæ sunt functiones animi, quo nomine sæpius voluntas capitur. Plautus Trinum. *Tu si animum vicisti potius, quàm animus te, est quod gaudeas.* Horat. epist. 2. lib. 1. *animum rege, qui nisi paret,*

Imperat. Ipsa voluntas currui respondet, cuius ministri tanquam equi sunt sensus. In quæ aula, & præcipitia hi currum non raptabunt, si rectrix officio suo defuerit? Planè vt quōdam Phaëthōtem solis equi, ad quem locum Isocratis 2. Metamorph. allusum crediderim.

Mentis inops, gelida formidine lora remisit;
Quæ postquam summo sensere iacentia tergo,
Exspatiantur equi, nulloq; inhibente per auras,
Ignotæ regionis eunt: quaque impetus egit,
Hac sine lege ruunt.

Hanc ipsam comparationem aduersus Iouinianum scribens S. Hieronymus scitè tractauit. Sensus, inquit, corporum quasi equi sunt, sine ratione currentes: anima verò (mens) in aurigæ modum retinet fræna currentium. Et quomodo equi absque rectore præcipites ruunt: ita corpus sine ratione, & imperio animę in suum fertur interitum. Aliam continenter subiungit, petitam à philosophis, corpus puerum, animam pædagogum esse docentibus. Addit verba Sallustij de procœmio coniurationis. Animæ imperio, corporis seruitio magis vtimur. Vnde tu tertiam similitudinem, siue comparationem possis elicere, domini & serui, seu heræ & ancillæ videlicet.

X. *Aduersus amorem vetitum. Eius remedia, Locus Xenophontis.*

VEriſſimè *insanum est, & malum in hospitium diuorti ad cupidinem. Nam is hominum mo-*

res

res moros (ſtultos) *& moroſos efficit. Vbi is in cor aduenit, ſimul res, fides, fama, virtus, decusq́ deſerunt.* Hæc Plauti ſunt, etſi non eodem loco poſita. Plautus amoris impuri, ac turpis deſcriptor, & depictor optimus. Pluſcula de eius ſignis, & argumentis Crinit. lib. 16. cap. 4. Multa de amantium inſania, detrimentis, moleſtijs Lucret. lib. 4. cuius & hoc velut è cortina profectum reſpõſum; difficilem eius reperiri exitum, facilem ingreſſum.

Nam vitare, plagas in amoris ne iaciamur,
Haud ita difficile eſt, quàm captum retibus ipſis
Exire, & validos Veneris peruincere nodos.

Vbi Lamb. pro *iaciamur* ex Feſto emendat *laciamur.* Lacit, in fraudem inducit (inde eſt allicere) delectat, oblectat. Idem, lacit, decipiendo inducit: lax enim fraus eſt. Nunc de hoc ſiue incendio reſtinguendo, ſiue morbo ſanando, ſiue malo depellendo quid dici commodè poſſit videamus. Crates Thebanus, vt meminit Laertius, tria auxilia propoſuit, famem, tempus, laqueum. In fame & ſiti Venus, & cupido locum non habent. Tempore molliuntur, extenuantur, flacceſcunt omnia: ipſæ quoque ægritudines animorum, doloreſque quibus non carent amantes, minuuntur, & vaneſcunt. Mors ſiue ea gladio, ſiue laqueo, ſiue alio quodã modo αὐτοχειρί, aut ab alio afferatur, malum quidem eſt, ſed ſemel tantùm venit, & à malis liberùm, ac ſecurum præſtat omnibus. Hac ſe multare in quacunque cala-

calamitate nemo debet. Quibus ergo rationibus huic pernicioso morbo medebimur? quibus? fame, seu inedia, vt dictum est: assiduis, & ardétibus precationibus: χαμευνίαις, seu humi cubationibus, flagellis, cilicijs, frequenti eucharistiæ vsu, alijsque sanctis actionibus, & exercitationibus. Optimum quoque fæminarum, formæ præsertim, excellentium aspectum fugere, omnemque occasionem vitare. Quod & Lucretij consilium est. *Sed fugitare decet simulacra, & pabula amoris.* Sic Hieronymus aduersus Vigilantium. Fateor imbecilitatem meam (dum fugio in solitudinem) nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium deuitaui: si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum. Quid autem necesse est certa dimittere, & incerta sectari? Aut scuto, aut pedibus mors vitanda est, &c. Quid de formosarũ aspectu vitando Socrates Xenophonti suadeat in libro ἀπομνημονευ. ne pigeat auscultare. *An nescis id animal quod pulchrum, & formosum vocant eò horribilius esse phalangijs (genus est aranea) quod hæc tactu solum lædunt: illud verò etsi non tãgat, sed eminus tantùm videatur, immittit aliquid quod insanire faciat. Et hinc est quod Cupido dicitur pharetratus, quoniam formosæ etiam a longè vulnera infligunt. Quapropter tibi, ô Xenophon, consilium do, vt quam primùm aliquam formosam conspexeris ita fugias, vt ne retro quidem respicias.* Quid hoc dicto Christianum magis?

XI. *Principium diſtichorum Catonis explicatum, & illuſtratum.*

DIſticha moralia quæ vocantur, & duobus hexametris ſemper ſententiam certam cõplectuntur, nec Catonis ſunt, Romani illius Vticenſis, viri optimi, & ſapientiſſimi: nec Auſonij. Cuidam Dionyſio, cognomento Catoni ex vetuſtiſſimo codice Simeonis Boſij attribuit in Notis Ioſephus Scaliger. Cuiuſcunque verò tandem ſint, Catoni erubeſcenda non ſunt: digniſſima, inquam, illo, quia honeſtatis, probitatis, & ſapientiæ plena ſunt. Qua de cauſſa Gnomologum ei Catonis nomen preſcripſiſſe opinor. Maximus Planudes, monachus Conſtantinopolitanus, qui D. Thomam Aquinatem contra gentes, & Auguſtini de Trinitate, & Metamorphoſin Ouidij in græcum tranſtulit, hunc etiam aureolum libellum græco carmine conuertit: quanquam ſenſum non vbiq; aſſecutus, vt cenſet Roterodamus, qui eundem Scholijs ornauit, dulcemque, atque vberem fructum in tam modica gleba ineſſe oſtendit. Primi ergo duo verſus hi ſunt.

Si Deus eſt animus, nobis vt carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus.

In his declarandis virum quendam eruditum adeo hallucinatum demiror. Sic enim accipit prima verba, ſeu prius hemiſtichium, quaſi auctor dicat, cum animus ſit deus, faciens τὸ animus

ὑποκεί-

ὑποκείμενον siue subiectũ, τὸ deus verò κατηγόρημα, attributum seu prædicatum, vt loquuntur Dialectici. Esse autem deum, seu habitum pro deo pluribus deinde variorum scriptorum auctoritatibus confirmat. Quo igitur pacto consistere potest, quod est in versu altero, de illo deo pura mente colendo? an quis animum suum ipsemet colere animo suo, & adorare debet? Germana, & vera, & contraria sententia hæc est. Quandoquidem deus est animus, hoc est, spiritus, seu, vt Cicero ait, mens soluta, & libera, segregata ab omni concretione mortali, &c. par est, vt etiam spiritu, & mente, sed ea pura, casta, integra, nullis scelerum sordibus contaminata colatur. Huiusmodi enim cultu præcipuè, & maximè delectatur: & sine quo exterior cultus per cæremonias, & sacrificia apud eum pro nihilo est. Consentanea his Seneca epist. CX. Ex Nomentano meo te saluto, & iubeo te habere mentem bonam, hoc est, propitios deos omnes: quos habet placatos, & fauentes omnes, quisquis sibi se propitiauit. Sic Plin. Panegyr. Animaduerto etiam, deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentia, & sanctitate lætari: gratioremque existimari, qui delubris eorum puram, castamque mentem, quàm qui meditatum carmen intulerit. Idem laudant, & consuadent poetæ. Primi huius distichi versionem Planudis, castigans Scaliger, ipse melius vertit hoc modo.

Εἰ θεός ἐστι νοῦς, ὡς θέσφατά φησι παλαιῶν,
Τόνδε μάλιστα νόῳ καθαρῷ μέμνησο σεβίζειν.

XII. *Gemina forma Dialogi. Locus in Lælio Ciceronis ex Theæteto Platonis imitatus.*

DVplex est forma Dialogorum. Aut enim personæ ipsæ colloquuntur, qui modus maiorem vim habet, & est ἐναργέστερος: aut collatus inter eas sermo seu ab vna ipsarum, seu ab eo qui interfuit, seu demum ab aliquo alio, qui eundem accepit, exponitur. Prius genus δραματικὸν, posterius ἐξηγητικὸν appellamus: quæ duo etiam in Lælio constituit M. Tullius, cum in exponenda disputatione de Amicitia à C. Lælio cum Q. Mutio Scæuola, & C. Fannio generis habita, ad vitandum ex crebritate verborum *Inquam*, & *Inquit* fastidium, priore se vti malle significat. Eius disputationis sententias, ait, memoriæ mandaui, quas in hoc libro exposui arbitratu meo. Quasi enim ipsos introduxi loquentes, ne, Inquam, & Inquit sæpius interponeretur: atque vt tanquam à præsentibus coram haberi sermo videretur. In procemio porrò Theæteti, Euclides Terpsioni narrat, quomodo Socratis cum Theæteto adolescẽte institutum colloquium, & ab eodem sibi commemoratum in Commentarium domi retulerit: & postea quoties Megaris Athenas venerit, Socratem de ijs, quæ non satis meminerat, interrogauerit, atque

ita

ita sermonem pænè totum conscripserit. Quem librum mox puero recitandum porrigit. De forma autem conscripti ab se huius dialogi eodem prorsus modo, quo Cicero de suo, loquitur Euclides: vt dubitari nequeat, quin quod sæpe, & perlibenter facit, πλατωνίζειν hic quoque voluerit. In rem pręsentem veniamus, si placet.

ΕΥΚΛ. Τὸ μὲν δὴ βιβλίον, ὦ Τερψίων τουτί. ἐγραψάμην δὲ δὴ οὑτωσὶ τὸν λόγον, οὐκ ἐμοὶ Σωκράτη διηγούμενον, ὡς διηγεῖτο, ἀλλὰ διαλεγόμενον οἷς ἔφη διαλεχθῆναι. ἔφη δὲ τῷ τε γεωμέτρῃ Θεοδώρῳ, καὶ Θεαιτήτῳ. ἵνα οὖν ἐν τῇ γραφῇ μὴ παρέχοιεν πράγματα, αἱ μεταξὺ τῶν λόγων διηγήσεις περὶ αὐτοῦ τε ὁπότε λέγοι ὁ Σωκράτης, κἀγὼ ἔφην, ἤ, καὶ ἐγὼ εἶπον, ἢ αὖ περὶ τοῦ ἀποκρινομένου, ὅτι συνέφη, ἤ, οὐχ ὡμολόγει, τούτων ἕνεκα ὡς αὐτὸν αὐτοῖς διαλεγόμενον ἔγραψα, ἐξελὼν τὰ τοιαῦτα. ΤΕΡΨ. καὶ οὐδέν γε ἀπὸ τρόπου, ὦ Εὐκλείδη. ΕΥΚΛ. ἀλλὰ παῖ λαβὲ, καὶ λέγε. EVCLID. Ecce tibi librum ipsum, Terpsion. Ego verò sermonem nõ ita conscripsi, quasi Socrates eum mihi commemoret, vt commemorauit: sed quasi cum ijs apud quos est habitus, colloqueretur, quos Theodorum, & Theætetum aiebat fuisse. Ne igitur molestiam exhiberent in ipsa conscriptione disputationis indicationes illæ repetitæ de Socrate locuturo, Et ego inquiebam, aut, & ego dixi: vel de respondente, Assensit, item, Non concessit, ob hanc caussam, his prætermissis, vel ipsummet cum illis differentem feci. TERPS. Et rectè quidem. EVCLID. Tolle librum, puer, & recita.

XIII. *Vox blandiloqua apud D. Hieronymum.*

GEnus quoddam blandius appellandi, quo mulieres voluptuariæ, & attriti pudoris ad alias honestiores molliter, & verè muliebriter vterentur; si quando aut suadere, aut aliquid impetrare vellent; apud S. Hieronymum, epistola ad Eustochium inueni: tametsi id Grammatica ratio non agnoscit. Sed cum illi sæculo, quo pessum ire incipiebat latinitas, tum sexui fæmineo solœcismus ignosci potest. Nam cum à veteri pronomine mius pro meus solus vocandi casus *mi* remanserit, genere virili nempe, & muliebri autem dicatur (vt etiam tum dicebatur) *mea*, illæ inuicem blandientes, pro mea catella, mi catella dicebant. Verba viri sancti appendam. Eas autem virgines, & viduas, quæ otiosæ, & curiosæ domos circumeunt matronarum, quæ rubore frontis abstrito parasitos vincunt, animorum quasi quasdam pestes abijce. Nulla illis nisi ventris cura est, & quæ ventri sunt proxima. Istiusmodi hortari solent, & dicere, mi catella, rebus tuis vtere, viue dum viuis: &, nunquid filijs tuis seruas? Vinosæ, atque lasciuæ quiduis mali insinuant, & ferreas quoque mentes ad delicias emolliunt. Apud Plaut. Asinar. simile quiddam extat in blanditijs. *Dic igitur me tibi anaticulam, columbam, vel catellam, hirundinem, passerculũ.* Memoria dignum, matronas nobiles catellis, præser-

præsertim Melitæis delectari plurimum solitas, eorumque curæ præfecisse seruas. Testatur vetus tabula marmorea in epitaphio.

OSSA
AVRELIÆ. LIVIÆ. AVG. SER.
A. CVR. CATELLÆ.

XIV. *Sermones, quæstiones, seu disputiones conuiuales.*

CONuiuium quatuor rebus absolutum fore, ex satyra quadam Menippæa Terentij Varronis refert Gellius lib. 13. cap. 11. Si belli homunculi collecti sint: si lectus locus: si tempus lectũ: si apparatus non neglectus. Præteritis cæteris de primo amplius hæc ibidem Varro. Nec loquaces, nec mutos legi oportere. Sermones verò instituendos non super rebus anxiis, aut tortuosis: sed iucundos, atque inuitabiles, & cum quadam illecebra, & voluptate vtiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat, atque amœnius. Optimum sanè condimentum conuiuiorum sermo, suauius vtique delectans animos, si talis sit, qualem Varro descripsit, quàm fidium, aut vocum vllus super mensam concentus. Sin autem nugatorius, leuis, detractorius, obscœnus, tum verò prudenter silere, quàm impudenter, & stultè loqui pręstaret. Fuit sanè mos antiquis inter epulas recensere historias, quem morem

indicat Homerus Odyſs. 9. vbi Vlyſſes in conuiuio Alcinoi regis rogatꝰ ſuas calamitates præteritas exponit. Quod exemplum in Ænea ſuo Virgilius eſt imitatus, cum 2. & 3. libro & excidium Troiæ, & nauigationem ſuam enarrantem inducit; id quod Dido Regina eum rogauerat. Seſe item eruditis collocutionibus recreare, & citra faſtidium, ac moleſtiam docere ſtudebant, certabantque inuicem ponendis quæſtionibus de rebus ſeu naturalibus, ſeu moralibus, ſeu medicis, ſeu hiſtoricis, ſeu quibuſcumque demum, quibus ingenium, vt aiebat Varro, venuſtius, & amœnius fieret, vinoq; florens animus, vt loquitur alicubi Gellius, laceſſeretur. Qui *lib. 15. cap. 2.* narrat, iuuenes Athenis hebdomadibus lunæ, ſeptimo videlicet quoquo die, huiuſcemodi conuiuia agitare conſueuiſſe, in quibus vtiles, & delectabiles ſermones ſererentur, ſimul atque epulis modus eſſet factus. Quare cũ de huius generis ſermonibus, & quæſtionibus libros 9. confecit Plutarchus, ὁ πάσης σοφίας ἀφροδίτη, καὶ λύρα, omnis ſapientiæ Venus & lyra, vt eum appellat Eunapius, plurimum ſtudiis noſtris commodauit. Secutus eſt autem in eo labore Platonis, Xenophontis, Ariſtotelis, aliorumque philoſophorum prudens conſilium, qui colloquia in conuiuijs habita conſcribenda, & quidquid de rebus ad humanitatem (παιδείαν) pertinentibus memoria dignum ſparſim vel apud exteros, vel in Græcia in menſa, & inter pocula diputa-

ſputatum ſit, colligendum cenſuere, quod ait ipſe lib.1.quæſt.1. Nunc homini liberaliter erudito eadem prope conuiuiorum vitandorum cauſſa deberet eſſe, quæ Iſocrati in ijsdem tacendi. A Nicocreonte enim Cypriorum tyranno aliquando ad epulas inuitatus, cum à conuiuis rogaretur, vt ipſe quoque diſſereret aliquid; Quarum rerum, inquit, ego peritus ſum, hæ nunc locum non habent: quæ autem nunc locum habent, earum ego peritus non ſum.

XV. *Sylua quod genus poematis, & Syluæ Statianæ.*

A Materia nomē ſortitur hoc genus ſcriptionis poëticæ, quod inter Latinos vnus, & ſolus Statius Papinius celebrauit. Nam ὕλη vnde latina vox ſylua (non ſilua, quaſi à ſileo, quia ſilentium ſit in ſyluis: nec ſcripturæ antiquorum codicum ſemper ſunt emendatæ, ac ſanæ) etiam pro materia dicitur: quoniam infinitorum pæne vel operum, vel ædificiorum materia lignis, quæ à ſyluis ſuppeditantur, conſtat. Quocirca quædam poëmatia ſubitò caleſcente animo celerius effuſa vel à multiplici materia, vel à frequentia rerum inculcatarum, vel ab ipſis rudimentis, quemadmodum in ſyluis quoque multas, diuerſas, lignis adhuc impolitis arbores intuemur, ſyluas nominabant. Ita fermè Scalig. Poët.lib.1 cap.100. facem ſibi prælucente nimirum Quintiliano, atque adeo ipſomet Statio. Il-

lius verba de lib. 10. cap. 3. cuius index, *Quomodo scribendum sit*, tibi annumerabo. Diuersum est huic eorum vitium, qui primò decurrere per materiam stylo quàm velocissimo volunt, & sequentes calorem atque impetum, ex tempore scribunt: hanc syluam vocant. Repetunt deinde, & componunt quæ effuderant: sed verba emendantur, & numeri: manet in rebus temerè congestis quæ fuit leuitas. Protinus ergo adhibere curam rectius erit, atque ab initio sic opus ducere, vt cælandum, non ex integro fabricandum sit. Ecquid cernis, lector, non probari in oratore *syluam*, propter res temere congestas, quam leuitatem appellat? Velocitatem *styli*, calorem repentinum, extemporalitatem αὐτοσχεδιασμὸν, tria hæc de se concedit non dissimulanter Statius. Sic enim legimus præfat. 1. Qui mihi (libelli quinque Syluarum) subito calore, & quadam festinandi voluptate fluxerunt. Et paulo post. Nullum enim ex ijs biduo longius tractum: quædam & singulis diebus effusa. Veruntamen, si Epigrammatario temerè multa congerenti, nullo ordine, nulla consecutione, quædam nec scriptione digna fortasse, tamen datur venia, modò cætera non desint, arbitror nec Syluiographis poëtis eam negare oportere. Sanè qualescunque sint Statianæ Syluæ, à pluribus deprędicatas comperimus. Quos inter Politianus, præfat. Citra æmulum in his Syluarum poëmatis floruit, ac tam sese ipse post se reliquit.

quam

quam eundem Virgilius in superioribus (in Thebaide) antecessit. Statij Syluas, egregium, atque in eo genere vnicum opus, quodq; auctori suo fælicissimè omnium successerit, non solum publicè enarrandas, sed ediscendas etiam, & oratoribus æquè, poëtisque imitandas, exprimendasque censemus. Pauca hæc de multis apud illum.

XVI. *De pluribus Thebis, deq; Bœotiis disertius.*

NOuem vrbes συνωνύμους, seu cognonimes Stephanus recenset: omnes siquidem Thebæ dicuntur. Tametsi & θήβη Thebe legitur. I. Bœotiæ, à Thebe Promethei filia. II. Ægyptiæ, quas condidit Busirides. Portas habuit cẽtum, vnde & ἑκατόμπολις. Callimachus ait illic esse speluncam, quę aliis quidem diebus plena sit vento: tricesimo autem quoque die mensis vento prorsus careat. Vicinæ regioni vocabulum Thebais. III. Thessalicæ, in ea parte quæ Phtiotis vocatur. IV. Cilissæ, in quibus nata Andromacha, vxor Hectoris. V. Ionicę, propè Miletum. VI. Atticæ. VII. Cataonicæ. Cataonia Straboni Cappadocia. VIII. Italicæ. IX. Syriacæ.

Nullæ tamen harum Ægyptijs, & Bœotijs decantatiores. Atque harum, Bœotiarum puta, fundator, & primus ædificator Cadmus Agenoris Phænicum regis filius, ea occasione, & modo,

quem principio 3. Metamorph. exposuit Ouidius: instaurator, & amplificator Amphion, Ioue & Antiope natus, musicus, qui Horatio ad Pisones *Thebanæ conditor arcis*. Ad Ogygem vetustissimum Thebanorum regem quidam, vt Varro 3. de re rust. cap. 1. eius vrbis originem retulerunt. Idem Varro ibidem ab agri genere oppidum nuncupatum tradit his verbis. Nec minus oppidi quoque nomen Thebæ indicant antiquorum esse agrum, quod ab agri genere, non à conditore nomen ei est impositum. Nam lingua prisca, & in Græcia Aeoles Bœotij sine afflatu vocant colles Tebas: & in Sabinis, qui è Græcia venerunt Pelasgi, etiam nunc ita dicunt, &c. Sunt, qui è Syriaca lingua nomen istuc vrbi datum putent, θάβην arcam interpretantes: vt scias colonos naui, in arcę formam fabricata eò aduenisse. Conditam porrò ante Romam annis propemodum mille quingentis, cum septem portis, vnde & ἑπτάπυλος. Nobilitauerunt eam natalibus suis Liber pater, Hercules, Pindarus poëta, Pelopidas, & Epaminondas fortissimi duces. Fons illi propinquus Dirce, cuius frequens in poëtis mentio. De eius bellica potentia, rebusque aduersus Lacedæmonios, & Athenienses pro Græciæ principatu præclare administratis, multa in Panegyrico Isocrates, & Diodorus lib. 16. Ab Alexandro tamen Macedone oppugnata, occupata, & diruta est anno eius regni primo. Ouid. XV. Metam. dum omnia orta occidere

dere, & aucta senesceret trecentis exemplis demonstrat, etiam nobilissimas vrbes, & in illis hanc quoque per antithesin inducit.

Clara fuit Sparte, magna viguêre Mycenæ:
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces.
Vile solum Sparta est: alta cecidêre Mycenæ:
Oedipodioniæ quid sunt nisi nomina Thebæ?

XVII. *Tempus, & scriptores belli Thebani.*

BEllorum omnium priscorum duo sunt fama, litterisque celebratissima, Thebanum prius, Troianum posterius. Assentitur & Ouid. 2. Trist. quo loco se præteritis grauioribus, & illustrioribus argumentis amatorias leuitates, atque nugas pertractasse etiam atque etiam lamẽtatur. Igitur inter cætera.

Cur non Argolicis potius quæ concidit armis
Vexata est iterum carmine Troia meo?
Cur tacui Thebas, & mutua vulnera fratrum,
Et septem portas sub duce quamque suo?

In scriptis poëtarum nihil his duobus bellis antiquius reperiri testatur Lucret. lib. 5.

Cur supera bellum Thebanum, & funera Troiæ
Non alias alij quoque res cecinêre poëtæ?

Et hoc quidem, Troianum inquam, bellatum in Asia, in Phrygia scilicet; illud alterum in Europa, quippe in Bœotia. Et hoc suscitauit vetita, atque insana libido: illud dira regnandi cupiditas, siue immoderata ambitio, duo exitiosa ma-

la humano generi, pestes populorum, euersiones vrbium. Vtriusque exitus sanè flebilis, Troiani flebilior. Thebanum incidisse in annum mundi MMMXXVI. ante natalem Saluatoris circiter M. CCXVI. ante primam olympiadem CCCCLVII. ante Romam conditam CCCCLXXXI. à Chronologis animaduersum est.

Cæterùm de ijs qui tanti belli memoriam litteris prodiderunt primus, & veterrimus in Græcis est Homerus. Testis in Bœotijs Pausanias. Et hoc quidem bellum aduersus Thebas, inquit, versibus perscriptum, quorum Calamus mentionem inducens, ab Homero factos arbitratur: cui multi, nec ignobiles auctores assentiunt. Ego quidem poësin illam secundùm Homeri Illiadem, & Odysseam magni facio. Successit huic Antimachus, adeo diffusus & longus, vt libros XXIV. impleuerit, antequam duces illos VII. ad obsidionem Thebas perduceret. De huius Thebaide M. Tull. in Bruto hunc in modum. Nec enim dicere posset Demosthenes, quod dixisse Antimachum Clarium poëtam ferunt. Qui cum conuocatis auditoribus legeret magnum illud, quod nouistis, volumen suum, & legentem omnes præter Platonem reliquissent, legam, inquit, nihilominus, quoniam Plato est mihi instar omnium. Eius poëmatis hoc fuisse initium Græci Scholiastæ memorant. ἐννέπετε Κρονίδαο Διὸς μεγάλοιο θύγατρες, Dicite Saturnidæ Iouis magni filię

filię. De eadem fine controuerſia capiendus Plutarch. in Lyſandro, vbi Colophonium vocat: ſed Clarium cum Cicerone etiam Naſo 1. Triſt. eleg. 5. Quò mœſtius mortem Lydes vxoris lugeret, ad elegiacam humilitatem ſe demiſit. Notatus eſt vt tumidus, & inflatus; proinde & Catull. epig. 96. *At populus tumido gaudeat Antimacho.* Quintilianus tamen lib. 10. cap. 1. vim in eo, & grauitatem, minimeque vulgare eloquendi genus commendans, adiungit. Sed quamuis ei ſecundas ferè (ab Homero) Grammaticorum conſenſus deferat, & affectibus, & iucunditate, & diſpoſitione, & omnino arte deficitur. Vt planè manifeſtò appareat, quanto ſit aliud proximum eſſe, aliud ſecundum. Nominat crebrò Thebaidem illius Athenæus, ex qua & Pauſan. in Arcadicis Arionem Adraſti equum deſcribit. Sequitur Menelaus Ægius, de quo præter nomen nihil comperimus. Æſchylus tragœdiam docuit, cuius index ἑπτὰ ἐπὶ θήβαις, quam fæliciter latinam reddidit Q. Septimius Florens Chriſtianus, & paucis abhinc annis in lucem prodijt. Vt de Latinis nunc dicamus, narratur & Attius Tragicus materiam hanc ſuſcepiſſe, quod ex quibusdam eius apud Nonium reliquijs deprehenditur, etſi verſu heroico, non tragico vſus eſt. Anonymus præterea quidam Thebaidem compoſuit, laudatam tragœdiam, quam ſunt qui Senecæ adſcribant, & vulgò pro Seneciana habetur, & cum alijs, non integra licet, circumfertur. Do-

ctiores negant. A Propertio lib. 1. eleg. 7. Ponticus numeratur in hoc ordine.

Dum tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ,
Armaq; fraternæ tristia militiæ:
Atq; ita sim fælix, primo contendis Homero,
Sint modò fata tuis mollia carminibus.

Meminit & Ouid. belli huius 9 Metamorph. In hæc verba.

----- nam iam discordia Thebæ
Bella mouent dixit : Capaneusq; nisi ab Ioue vinci
Haud poterit: flebuntq; pares in vulnera fratres:
Subductaq; suos manes tellure videbit
Viuus adhuc vates, vltusq; parente parentem
Natus erit facto pius, & sceleratus eodem, &c.

Supeteſt Statius, qui id bellum libris XII. magna cum laude eſt perſecutus, de quo poëta nobis plura dicenda ſunt, hinc potiſſimum ducto initio.

XVIII. *Virgilij locus, item Horatij à Statio adumbrati.*

MVltis verſibus egregiè Domitiano Cæſari blanditur, eiq; palpum obtrudit Papinius in ingreſſu, & quaſi veſtibulo Thebaidos. In his eum hortatur, quamuis ſtellæ locum illi quem voluerit amplum cedant, & ſol quoque pro ſe currum regendum tradat, ac Iupiter ex æquo cœlum cum ipſo partiri non recuſet, ne conditionem accipere, ſed ſupera ſuperis relinquere, re-

ctorq;

ctorque humani generis, & maris, ac terrarum dominus apud nos permanere malit.

------ licet arctior omnes
Limes agat stellas, & te plaga lucida cæli
Pleiadum, Boreæq;, & hiulci fulminis expers
Sollicitet, &c.

Respexit vtique ad Virgilium, qui 1. Georg. secundum rusticorum deorum inuocationem eodem honore dignatur Augustum, quem mox cælo successurum affirmans, dubitat terrarumne, an maris numen esse præoptet. De loco autem eius in cælo sic.

Quà locus Erigonen inter, chelasq; sequentes
Panditur: ipse tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cæli iusta plus parte reliquit.

Ad Horatium quoque, qui Ode 2. lib. 1. eundem Augustum à rebus humanis admodum serò demigrare cupit

Serus in cælum redeas, diuque
Lætus intersis populo Quirini:
Neue te nostris vitijs iniquum
Ocyor aura.
Tollat: hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici pater, atq; princeps.

Vterque vates beatius ducit in cælo degere quàm in terris. Sed posterior patrem patriæ conseruatoremque, & defensorem reipub. tardius vult eò proficisci, idque totius pop. Rom. nomine. Boni Principes, etsi quandoque suo, cum videli-

videlicet naturæ satis diu vixerunt, nunquam tamen reipub. ac suorum ciuium tempore moriũtur. Statius autem hoc loco præ monarchia orbis totius Domitiano hanc beatitudinem aspernandam censet, quamuis etiam cum Ioue, vt diximus, cælum diuidere possit. Deos, vt inane figmentum occultè deridet.

XIX. *Pallor, & verecundia virginalis à Papinio expressa.*

LIbr. 1. Thebaidos cum Adrastus Argiuorum rex duos iuuenes nobilissimos, Polynicem Thebanum, & Tydeum Calydonium hospitio accepisset, quibus duas, quas habebat, filias Argiam, & Deiphilen viris tempestiuas matrimonio iungere oraculo iussus erat, mandauit earum nutrici, vti eas in eorum conspectum adduceret. Quarum illa Palladem, hæc Dianam pulchritudine referebat, cum terroris & grauitatis tamen tantum præ se non ferrent. Pallas enim armis, Diana arcu, & sagittis instructæ ingrediuntur. Primùm oculos in patrem coniecerunt, quem sanctum vocat Poëta, illis scilicet: sanctè enim liberis colendi sunt parentes, & tanquam dij quidam in terris venerandi; præsertim senes, vt tum erat Adrastus. Deinde conuersus est pudor, hoc est, pudicæ, & pudentes illæ virgines ad virorum illorum aspectum, qui illis visi sunt quod erant, nempe extranei, & aduenæ, hæc est enim illa noua facies. Ac primum quidem aduenarum illorum

rum, & virorum aspectu expalluerunt: mox genas, cum antea modicè in candore ruberent, maior operuit rubor. Post auersæ à vultibus iuuenum peregrinorum, vt territæ, ad patrem intuendum redierunt. D. Cyprian. de habitu virginum. Virgo non tantùm esse, sed & intelligi debet, & credi: vt nemo cum virginem viderit, dubitet an virgo sit. Nunquid non tales Argia, & Deiphile? Nunc poëtæ versus subijcio, quibus sententia subest quam attulimus.

Arcano egressa thalamo (mirabile visu)
Pallados armisonæ, pharetratæq; ora Dianæ
Æqua ferunt, terrore minus; noua deinde pudori
Visa virûm facies: pariter pallorq; ruborq;
Purpureas hausere genas, oculiq; virentes
Ad sanctum rediere patrem.

Lib. 2. vbi de earum nuptijs agit, rursum verecundi pudoris, & virginitatis tantopere adamatæ meminit, vt sola illis per maritale consortium amittendæ cogitatio lacrymas excusserit, quam amissionem & pro culpa ducunt: sed modesta, ne genus humanum inde satum, & serendum reprehendere videantur. Iuuat versiculos ipsos adscribere.

Ibant insignes vultuq; habituq; verendo,
Candida purpureum fusa super ora ruborem,
Deiectæq; genas, tacitè subit ille supremus
Virginitatis amor, primæq; modestia culpæ
Confundit vultus. tunc ora rigantur honestis

Imbribus, & tenera lacryma tunere parentes.

XX. *Mos vetus sub extremum conuiuii.*

Adrasti patera ex 1. Thebaid. cum Virgilianis, & Ouidiana collata.

REges antiquissimi finito conuiuio consueuerunt poculum singulare vino impletum poscere, quod per conuiuas circumferretur, si prius modicum de eo vino in mensam cum precibus ad deum aliquem honoris caussa effudissent, ipsique primi de poculo gustassent. Quem morem, seu ritum antiquitatis scientissimus Maro in Didonis conuiuio nobis repræsentauit 1. Æneid.

Hic regina grauem gemmis, auroq; poposcit,
Impleuitq; mero pateram, quam Belus, & omnes
A Belo soliti. tum facta silentia tectis.
Iupiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc latum Tyriisq; diem, Troiaq; profectis
Esse velis, &c.
Dixit, & in mensa laticum libauit honorem,
Primaq; libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans, &c.

Insignem locum, vt alios mille, cum aliqua varietate æmulatus est Papinius, vbi receptis hospitio Polynice, & Tydeo Adrastus Argiuorum rex sacra, & epulas antegressi diei instaurat.

——————— postquam ordine mensæ
Victa fames, signis perfectam, auroq; nitentem
Iasides pateram famulos ex more poposcit,

Qua

Qua Danaus libare deis, seniorq; Phoroneus
Assueti.

Cælaturam, aut sculpturam Didonis pateræ nullam affingit Maro, contentus gemmis, & auro grauem, valde nimirùm pretiosam dicere. Statius contrà suæ pateræ figuras, seu imagines inserit duas, quò sit eius aspectus iucundior, & admirabilior, Persei in sublimi amputatum à se caput Medusæ portantis: & raptum Ganymedis ab aquila; aitq; summum fuisse in vtraque cælatura artificium, quod ex verbis præsentis temporis, quibus vtitur, intelligi potest. Posteriorem petiuit ex 5. Æneid. vbi fabulam illam in limbo chlamydis auratæ opere Phrygionis imitatam narrat Maro. Pergit Statius,

Hanc vndante mero fundens, vocat ordine cunctos
Cælicolas, Phœbum ante alios, Phœbum omnis ad aras
Laude ciet comitum, &c.

Videtur in aram potius quàm in mensam fudisse, quod arguit vox *vndante.* Nam in mensam vtique parcius fudisset. Porrò 5. Æneid. Æneas Acestem Siciliæ regem extra sortem poculo aureo donat (quanquam de auro tacet poëta) quod à signis generatim, & duobus magnis viris, qui eo vsu fuerint commendat, Cisseus Thraciæ rex, & Anchises. Discedentem autem Delo Æneam rex Anius munerans 13. Metam. dat ei craterem, quem longo, hoc est, vario argumento ab Alco-

ne fabro peritissimo cælatum ibidem affirmat Ouid. Cælatæ illic visebantur Thebę cum 7. portis, & Orionis filiæ, quæ se pro populo Thebano morti vltro obtulerant, &c. Quod exemplũ sibi sumpsisse Statium est verisimile.

XXI. *Dolor siue tristitia, & ira duæ pestes animi,*

ALtero libro Thebaidos legitur Polynices finita nuptiarum celebritate (duxerat autem Argiam Adrasti Argiuorum regis filiam) de paterno Thebarum regno à fratre Eteocle, qui id ultra tempus debitum pertinaciter retinebat, recuperando admodum anxius fuisse, & iræ vehementius indulsisse, ita vt penè ad amentiam redactus sit. *Exedere animum dolor, iraq; demens.* Quo verbo mœroris, tristitiæ, doloris (pro eodem enim hæc tria licet sumere) vim maximè noxiam satis declarat. Eandem metaphoram habes in diuinis litteris Prouerb. 25. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia nocet cordi.* Exeditur porrò animus, & quodammodo absumitur, cum vires, seu facultates eius, ingenium, intelligentia, memoria huiuscemodi cruciamẽtis minuuntur, & conciduntur. Vnde existunt hebetudo, stupor, amentia, obliuio, digna sanè meritorum præmia. Horat. item. ep. 2. lib. 1.

Quæ lædunt oculos festinas demere: si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum

Vbi notat Lamb. sic vti Græcos verbo ἔδω, seu ἔ-

δομαι

δομαι. Homer. Iliad. ω΄. τέκνον ἐμὸν, τέο μέχρις ὀδυρόμενος, καὶ ἀχέων σὴν ἔδεαι κραδίην, id eſt, fili mi, quouſque lamentans, & mœrens cor tuum edes? Cic. ex Homero Iliad. ζ΄.

Qui miſer in campis mœrens errabat Aleis,
Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Huc accerſe locum Ouidij ex 1. de P. eleg. 1. ἐμφατικώτερον.

Eſtur vt occulta vitiata teredine nauis,
Æquoreos ſcopulos vt cauat vnda ſalis:
Roditur vt ſcabra poſitum rubigine ferrum:
Conditus vt tineæ carpitur ore liber:
Sic mea perpetuos curarum pectora morſus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.

De ira frequenti, & immodica par eſt idem ſentire. Quum enim ignis quidam ſit, vnde & accendi, & ardere ira quempiam dicimus: & ignis natura edax ſit, omniaque conſumens, non poteſt hic affectus tam vehemens, & impotens non obeſſe animo: cum amor etiam, affectio dulcis, propter magnitudinem multos de ſanitate mentis deiecerit. Nec immeritò iram dementem appellat Statius: vel quia dementium eſt: vel quia dementes facit, eo modo quo de triſtitia, ſeu dolore diximus.

XXII. *Patefactum exemplis, quæ à Græcis ponerentur in vitio, apud Romanos fuiſſe in laude: atque alia aliis pulchra non pulchra, honeſta, aut inhoneſta videri.*

IN præfat. historiarum suarum Probus probè, & conuenienter scripsit: non eadem omnibus esse honesta atque turpia: sed omnia maiorum institutis iudicari. Hinc Romanis vsurpatissimũ illud, *More maiorum.* Maiores etenim quid in vnaquaque re inesset aut decorum & laudabile, aut indecorum, & vituperatione dignum, semper visi sunt posteris melius perspexisse, & incorruptius iudicasse. Quare iudicium eorum pro norma, & lege haberi solitum. In Græcia non accumbebant in conuiuio cum viris mulieres, quod etiam Cicero lib. 1. accusationum in Verrem testatur. Rationem affert Muret. lib. 7. ca. 2 quod in conuiuijs liberius, & hilarius fere loqui homines solent: neque quisquam ita seuerus est, qui non inter vinum, & epulas tum iocetur interdum ipse, tum libenter iocantes audiat. Fieri autem vix potest, quin vacuo, & soluto animo iocantibus nonnunquam parum verecundum aliquid excidat: ob id prudenter Græcorum consuetudine muliebris sexus aberat à conuiuio: neque vlla in virorum symposijs accumbebat mulier, nisi quæ quiduis non audire modò, verum etiam perpeti possent. Videbant enim alioqui fore, vt aut matronalem, virginalemué pudorem libertas iocantium offenderet: aut iocandi libertatem illius habita ratio retardaret. Hoc idem Terentiano exemplo confirmat. Romanos autem vxores secum in conuiuium adducere minimè pudebat: quomodo nec hodie Germanos,

gentem

gentem candidam, ac minimè suspicacem pudet. Præterea apud Græcos in publicum non prodibant virgines, & matresfamilias, nec se extra gynęconitidē, aut foris conspiciendas præbebant. Clytemnæstra Electræ filiæ apud Senecam Agamem. *Quo more publicos virgo cœtus petis?* Respondet illa, *Adulterorum deserui virgo domū*, notans matrem ipsam, & Aegisthum, qui absente apud Troiam Agamemnone ἀφροδίσια tractabant. In quem locum testes Euripidem, & alios Delrius noster in Aduersarijs, & Cōment. producit. Contra apud Romanos matresfamilias citra culpam tota domo vagabantur, & in atrium concedebant, & pro foribus stabant, & in locis celebribus versabantur. Solon. Atheniensibus nuptias cum vterinis sororibus interdixit, cum eodem patre genitis permisit. Contrarium Lacedæmonijs Lycurgus fecit. Aegyptijs utrasuis ducere licitum fuit: Romanis neutras. Veteribus frons tenuis, siue angusta, & modica, qualem tamen commendat Horatius Ode 33. lib. 1. & ep. 7. lib. 1. honori erat; lata & ampla dedecori. Quin spatiosæ frontis vitium sic emendabant, vt crines à vertice collectos ad supercilia vsque adducerent: & hoc adminiculo arctiorem sibi, breuioremque frontem concinnarent, quod ex Luciano, & Seneca Dousa obseruat, Commentariolo in Horat. cap. 2. Contra à quibusdam fœminis latæ frontes, etiam vulsis capillis quæsitur. Oculi nigri, in candida præsertim facie,

hodie quoque placent, & pulchri habentur, capilli nequaquam. At olim in vtroque sexu probabantur. Olim Romæ vinum bibere fæminis non permittebatur: at his temporibus conceditur: & in hisce nostris regionibus nonnunquam βακχολήπτους videas, & euenire, quod Ouidio spectanti risum excussit, *Namque senem potum pota trahebat anus.* Nostri sacerdotes barbam ponũt: aliarum gentium, quantam natura dedit, retinẽt. Et extat oratio Pierij Valeriani pro Sacerdotum barbis. Idem dicendum de capillis. Musices laus tota Græcia non mediocris fuit: nec ea iudicabatur indigna Imperatoribus. Quare & inter Epaminondæ virtutes, eum ad numerum scitè saltasse, nec inscitè cithara cecinisse, & Themistoclem, cum in conuiuio oblatam de more lyram recusasset, indoctiorem habitum proditum est literis. Hanc scientiam Romani in suis ducibus, & Imperatoribus neutiquam quæsierunt. Licet in Germania honestam mulierem salutare porrecta dextera: cum ea consistere, & colloqui in publico: in Italia, vt audiui, suspicionem habet. Denique veritatem propositionis nostræ inprimis demonstrant quæ de moribus, & ritibus gentium scripta sunt: de quibus & nostra Syntagmata in libris duobus, quos ATTICA BELLARIA nominauimus.

Sic voluenda ætas immutat tempora rerum,
Pro captu cuiusq́, & moribus, ingenioq́.

XXIII. *D. Hieronymus laudatur. Erasmi temeraria affirmatio. Theodori Gazæ aculeus. Leo eidem sancto appictus.*

AVgustinus lib. 1. contra Iulianum Pelagianum. Nec S. Hieronymum, inquit, quia Presbyter fuit, contemnendum arbitreris, qui Græco, & Latino, insuper & Hebræo eruditus eloquio, ex occidentali ad orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis, atque in litteris sacris vsque ad decrepitam vixit ætatem, cuius nobis eloquium ab oriente vsq; ad occidentem ad instar lampadis resplenduit. Hic omnes, vel pæne omnes qui ante illum ex vtraque parte orbis de doctrina ecclesiastica scripserant, legit, nec aliã de hac retinuit, prompsitque sententiam. Hieronymus Platus noster, qui de Bono status religiosi copiosissimè, & eruditissimè scripsit, lib. 3. quo loco de SS. Patribus iudicium suum sigillatim exponit, ita censet. Sermo doctus, antiquitatis exemplis abundans, multoque acumine: deinde, quod caput est, ad omnia exprimenda apprimè factus, siue scriptura ad verbum interpretanda, siue præcepta omni vitæ generi præscribenda, siue quippiam laudandum, aut vituperandum sit, siue deniquè aliquis ad virtutem cohortandus. In quibus omnibus ita valet, vt planè illa cælestis eloquentia videatur. Erasmo (qui etiam præ Augustino illum admiratur, eiq; ad editionem Frobenianam corrigendo pæne

est immortuus) lib. 5. Epistol. est vir cælestis, omniumque Christianorum sine controuersia longè tum doctissimus, tum facundissimus: vnicus religionis nostræ pugil, illustrator, ac lumen. Quantum in illo antiquitatis, quantum græcarum litterarum, quantum historiarum? Tum quæ phrasis, quod dicendi artificium? quo non Christianos modo omnes longo post se intervallo reliquit, *verum etiam cum ipso Cicerone certare videtur.* Hoc nimium est laudare. *Sed perge μεγαλήγορ.* Ego certè, nisi me sanctissimi viri fallit amor. *Ita est omnino fallit te hic amor.* cũ Hieronymianam orationem cum Ciceroniana confero, videor mihi nescio quid in ipso eloquentiæ principe desiderare. Papæ. Atqui tu, quod alibi in testimonijs de Cicerone ex ore tuo à me annotatum est, M. Tullij facundiam diuinam potius, quam humanum solebas arbitrari: palamque, & ex animo fatebare, omnes qui per se essent facundissimi, ad Ciceronem collatos obmutescere. Quæ est ista tua inconstantia, & mobilitas? Confectarum me confido, inquit, vt qui hactenus Hieronymanam eloquentiam sunt admirati, iam eloquentem esse, se nescisse fateãtur. Hem. *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? Parturiunt montes.*

Cum porrò tanta sit facundia, & eloquentia huius sancti viri, quam vtique ex fontibus Tullianis magnam partem hausit, licet eum natura quoque non parum adiuuerit, extitit tamẽ, vt relatum

latum est à Petro Crinito lib.1.cap.10. Theodorus Gaza (homo Græcus, sed latina item callens, &, vt sentiunt harum rerum boni æstimatores, siue græca in latinum, siue latina in græcum conuerteret, admodum fœlix) qui audientibus Bessarione, & Plethone Gemisto Byzantio, item latinæ linguæ gnaris, ausus est ad commemorationem historiæ de plagis pro Ciceronianismo acceptis, & laudem eius facundiæ ridere, ac ludere in re seria, cum diceret; illi factam iniuriam, & plagas illas immerentem pertulisse. Quia nimirum non tam purè ac latinè semper, & Tulliane loquitur: quod Christianus de rebus Christianis differens, profectò, nisi ineptire velit, perpetuò facere non potest, & qui id conantur, ludibrio sunt prudentioribus.

Addo corollarium ex Tomo IV. Annalium Baronij. Leo appingitur, & adsculpitur imagini, & statuæ eius, vt symbolum nempe infracti roboris in hæreticis insectandis, cum rugitu & clamore, leonis instar. Leonem non ille, sed Gerasimus vir sanctus in Palæstina cicurem habuit, vt in prato spirituali scribit Sophronius. Nec Cardinalis fuit S. Hieronymus, quæ dignitas tum non extabat. Scribit tamen in Cypriani epistolam 46. Iacobus Pamelius doctissimus Theologus his verbis. Veteribus non fuisse incognitum hoc nomen, satis insinuat Siluester Papa, eius nominis Primus, in Concilio Romano, Canone 6. Diaconi, inquit, non sint plures per parochiarum

rum examen, nisi duo, & diaconi Cardinalis vrbis Romæ septem. Insignia tamen eorum sunt recentiora: vtpote illis adhibita primum circa annum Domini M CC L. ab Innocentio IV.

XXIV. *Vicißitudo litterarum inter amicos. Eruditiss. viri sententia confutata.*

VIx quisquam, disertus licet, verbis exequatur, quantum voluptatis ex mutuis epistolis amici percipiant. Vt ab vrbe discessi, inquit Cic. ad Att. lib. 7. nullum adhuc intermisi diem, quin aliquid ad te litterarum darem: non quod haberem magnopere quod scriberem: sed vt loquerer tecum absens: quo mihi, cum coram id non licet, nihil est iucundius. Et D. Ambrosius scriptum reliquit, hunc esse vsum litterarum, vt disiuncti locorum interuallis affectu adhæreamus: in quibus inter absentes imago refulget præsentiæ: & collocutio scripta separatos copulat: in quibus etiam cum amico miscemus animum, & mentem ei nostram infundimus. Positum nosti in consuetudine, vt amici discedentes, & manentes inter se donent mnemosyna. Non potest autem certius, & optabilius amicitiæ pignus, & indiuiduæ societatis monumentum relinqui, atque dari quàm epistolæ, in quibus ipsos quos diligimus, & à quibus diligimur & videre, & audire, & eos complecti, & coram affari, & intimos eorundem sensus perspicere videamur. Quid plura? Per epistolas vt blandissima,

ſimas, fidiſſimasq́ue internuncias, & conciliatrices,& contrahuntur amicitiæ,& contractę confirmantur. Quocirca Ioannem Picum Mirandulanum impensè miror,hominē cæteroqui ſcientijs liberalibus florentiſſimum, in ætate tam integra (annum ſiquidem viceſimum non ſuperauit: quo iuſtius quàm Theophraſtus olim octogenarius de natura conqueri potuit) miror, inquam, valde quid ita in epiſtola ad Hermolaum Barbarum ſcribere nō ſit veritus. Damnaui ſemper eorum ſententiam, qui ad amicos ſcribendum ſentiunt : vt hoc quaſi debitum pendatur amicitiæ. Eſt enim hoc totum, ſcribere, & miſſitare litteras amicitiæ quidem, ſed infirmæ, & frigidiuſculæ, quæ ſua vi ſubnixa non ſtet ſatis, quæratq́ue aliunde, vnde conſiſtat. At quæ in ipſis animi receſſibus iam penitus radicem egit, quid, amabo,adminiculis litterarum eget?Hem, quid ait? οὐδὲν παραδοξότερον potuiſſet. Quid dicent quorum, vt Ciceronis, Plinij, & aliorum cum veterum, tum recentium extant tot epiſtolarum libri? Quid in ijs crebrius legas, quàm expoſtulationes de raritate litterarū? quę ſi non eſſent amicitiæ vinculum, cur tā crebræ, quantūuis inanes etiam,& ſine argumento exigerentur? An affirmabimus, qui eas tā ſollicitē requirunt, in amicitia eſſe infirmos,& frigidiuſculos?immo firmiſſimos,& feruentiſſimos. Etiā breuibus,nedum nullis amicorum litteris negare veniā, magni amoris videri argumentum contendit Pli-

nius

nius. Nunquid amicus qui præſentem non viſit ſubinde, non colloquitur? Quid autem aliud facit epiſtola inter abſentes? Ne ſe igitur Pyladem, aut Theſeum iactet, qui, cum poteſt commodè, abſentem Oreſtem, aut Pirithoum litteris non appellat. Quid tuus in me amor mihi prodeſt, ſi eum non ſentio? Quomodo verò abſens ſentire potero, ſi taceas, aut penitus obmuteſcas? Quid amplius præſtas, quàm qui me nec amat, nec odit, nec vtrum albus an ater ſim curat? Aſſeramus igitur licet, ſine communicatione litterarum mancam, mutilam, frigidam, vel nullam potius eſſe amicitiam, teſtemque adhibeamus Magnum Baſilium, cuius epiſtolium ſubijcio. ὅτι σε φιλῶ, οἷς ἐπιςέλλω μάθε· ὅτι με μισεῖς, οἷς σιωπᾷς ἔγνων. γράφε δὲ κἂν τοῦ λοιποῦ, καλάμῳ καὶ μέλανι, καὶ βραχεῖ χάρτῃ φιλοῦντας φίλων. Id eſt. Quod ad te ſcribo, hinc amorem erga te meum cognoſce: ego me tibi odio eſſe ex ſilentio tuo cognoui. Saltem in poſterum fac ſcribas, & amantes tui calamo, atramento, & charta viciſſim ama. Et ad Iulian. in extrema epiſtola. ὅθεν καὶ μέγα ποιούμεθα τὸ ἐν λόγῳ σε τινὶ τὰ καθ' ἡμῶν τίθεσθαι, καὶ μὴ ἀπεῖναί σου τῆς διανοίας, ἀλλὰ διηνεκῶς σοι συνεῖναι διὰ τῆς μνήμης, δεῖγμα δὲ τῆς μνήμης τὸ γράφειν. ὅπερ ὅσῳ ἂν συνεχέστερον ποιῇς, τοσούτῳ πλέον ἡμῖν χαριῇ. Quare magnopere curamus, vt apud te in aliquo precio, & honore ſimus: nec vnquam animo tuo excidamus: ſed in memoria tua perpetuo hæreamus. Cuius rei argumentum nobis præbebunt

epistolæ. Quas quò crebriores miseris, eò magis nobis gratificaberis. Locorum distantias non dirimere amicitias lib. 8. ἠθικῶν docet Aristoteles, sed vsum duntaxat. Quod si ea distantia diuturna fuerit, hoc est, si amici diu longo interuallo separati vixerint, amicitias quoque in obliuionem venire: quia videlicet officium epistolarũ mutuum, quibus amor colitur, & renouatur, & recalescit, frequentari non potest: quod voluit Aristoteles, cum subdit. Vnde dictum est (prouerbio puta) πολλὰς δὴ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν. Non compellare amicum, dissoluit multas amicitias. Carmine sic expressum reperi. *Sæpe perisse amor est per longa silentia visus,*

XXV. *In epitaphio Plauti quid sint numeri innumeri.*

TRium vetustorũ Comicorũ epitaphia, quæ sibimetipsi composuerũt, & sepulchris suis incidenda reliquerunt, affert Gellius lib. 1. cap. 24 Næuij, Plauti, Pacuuij. Plautinum hoc est.

Postquam est morte captus Plautus,
Comœdia luget, scena est deserta:
Deinde risus, ludus, iocusq́. & numeri
Innumeri simul omnes conlacrumarunt.

Dubitabunt multi, quem hîc habeat intellectum vox *innumeri*. Nam vt exponas innumerabiles, nimis vulgare est, & falsum. Marcilius Comment. in 1. Satyram Persij accipit pro liberioribus numeris. Testem laudat ipsum Persium,

Qui cum ait, *Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber*, duplex poëtarum genus significat, vnum Epicorum, alterum dramaticorum: quorum illi numeris, & pedibus certis adstricti sunt: his maior libertas conceditur. Ego bona venia tanti viri vnum hoc quoque τῶν ὀξυμώρων esse conijcio: qualia sunt, de græcis quidem δῶρον ἄδωρον, γάμος ἄγαμος, παρθένος ἀπάρθενος, &c. de latinis, via inuia, mentes amentes, insipiens sapientia, ingrata gratia, &c. vult. n. Plautus, se viuis exempto, iam numeros comicos non esse bonos numeros; vt risum, ludum, iocum, iam non esse risum, ludum, iocum, hoc est, comœdiam (vt συνεκδοχικῶς explicemus) non amplius habere suum τὸ γνήσιον, quia patrem suum amiserit: & ideo lugere semet, collacrymantibus risu, ludo, ioco, numeris. Inest in hac interpretatione leporis aliquid, quod in priore desideres.

XXVI. *Littera, seu manus elegans. Exemplum Theodosij iunioris. Manu sua quippiam conscribere quantum valeat.*

Simile propemodum in scriptura inscita ac deformi, quanquam non vitiosa, nec præceptis contraria, & ἀνορθογράφῳ, atque in mala & inepta vocum pronuntiatione contingit. Quippe vt hæc, sic illa barbariem quandam præ se fert: & quæ scripta est res, minus placet, legentique tædium creatur & molestia: eoque amplius, si le-

ſi lector eſt in negotio, aut res ipſa per ſe parum grata, & iucunda. Contra bellè efformati, & ducti characteres, ſiue elementa, & ſcriptura amuſſata, hoc eſt ad amuſſim æquata, & directa, probeque interpuncta, & tota venuſta, quæ nimirum ad formas, & munditiem, & elegantiam typorum æneorum, artemque typographicam proximè accedit, non mediocrem parit legenti voluptatem. Et hæc καλλιγραφία eſt, cui qui ſtudent καλλιγράφοι audiunt: quo de numero (rem miram in tam ſublimi, & imperatoria perſona) fuit Theodoſius Aug. Arcadij F. Magni Theodoſij nepos. Teſtis Nicephorus lib. 14. cap. 3. Manu ipſe ſua, inquit, pulcherrimè ſcripſit: ac multa ſcriptorum eius ad hoc vſque tempus ſunt conſeruata, temporum vi ſuperiora, Euangelia videlicet, & alia quædam, aureis omnino litteris diſtincta, quorum paginæ crucis formam referunt. Quo labore eum vitæ ſumptus tolerare potuiſſe fama eſt. Sanè ſcita, nec inelegans littera non minus pæne quàm nobilis pictura nos delectat; etſi celeriter ſcribere cupientibus non conuenit, quam etiam plerique docti non curant; qui ſolent tam implicatè, & tortuosè ſcribere, mitto tam deformiter, vt ipſimet ſua legere vix queant. Melius faciunt, qui librarios, & amanuenſes alunt. Sed in epiſtolis præſertim ſcribendis ſæpe & ad auctoritatem, & ad gratiam, immo etiam ad multam delectationem proficit ſua manu, qualiſcunque tandem ea ſit, ſcribere.

Quis enim aut Pontif. max. aut Cardinalis, aut Episcopi, aut Imperatoris, Principis, Dynastæ tales litteras non reuerenter accipiat? Quis non inter κειμήλια sua reponat? Virum autem litteratum, ac sapienté de manu ipsius quis non amet? quis non aliquo apud eos loco se esse hoc argumento arbitretur? Ab amicis verò αὐτοχειρὶ exaratas exosculamur etiam, quos tum coram præsentes videre, & veras audire, ac reddere voces videmur. Quid quod necessitas ipsa nos interdum compellit manu nostra scribere, quando quædam vel liberius, vel arcanius scribenda incidunt, quæ alienis auribus committi nequaquã possunt. Subscriptionem qui imitarentur homines improbi inuenti sunt multi: qui totam manum, pauciores.

XXVII. *Epistola qualis imago.*

DEmetrius Phalerus, Theophrasti discipulus, cuius suauitatem orationis laudat in 1. Off Cicero, inter alia quæ in aureo libello de Elocutione de epistola scribenda doctè, & utiliter præcepit, πλεῖστον, ait, ἐχέτω τὸ ἠθικὸν ἡ ἐπιστολή, ὥσπερ ὁ διάλογος. σχεδὸν γὰρ εἰκόνα ἕκαστος τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς γράφει τὴν ἐπιστολήν. Plurimum moralitatis habeat epistola, quemadmodũ & dialogus. Fermè enim quisq; imaginẽ animi sui scribit epistolam. Cum igitur hæc sit nota, & proprietas epistolæ aut præcipua, aut præcipuæ proxima, esse videlicet imaginem animi, eumq; velut in conspectu ponere, ac repræsentare; soleant autem imagi-

imagines siue pictæ, siue sculptæ, siue in ceram impressæ, siue cælatæ absentium desiderium leuare, videamus quanto id melius animi sensus per litteras, quã corporis effigies per artificẽ expressa consequantur? Conducet autem vniuersè cognoscere, quid inter externã, & hanc non aspectabilem, seu epistolarem imaginẽ intersit. In quo præstabit nobis operam suam Ioan. Picus Mirand. ad Paulum Cortesium ita scribens. Mihi inter imaginem, & epistolam hoc interesse videtur. Hæc mentem, corpus illa effigiat. Illa extrema tantum deliniat: hæc intima etiam planè exprimit, & effingit. Illa amici quasi tunicam, & amictum: hæc verum nobis amicum repræsentat. Illa carnis colores, figuramq; quod potest æmulatur: hæc cogitationes, consilia, dolores, gaudia, curas, omnes deniq; affectus. Et quæ ipse sibi vix quisque præsens loquitur, secreta animi ad amicum absentem fidelissimè transmittit. Hæc deniq; viuum & efficax: illa emortuum, & mutum simulacrum est. Mittitemus igitur has inuicem animorum imagines, tu quidem quas potes aureas, & argenteas: ego vel æreas, vel testaceas: sic enim extra omnem erimus iniuriam vel locorũ, vel temporũ: sicut nec ipsa animi vis aut loci intercapedines, aut temporũ moras nonit. Hæc ego ex monimentis viri supra ętatẽ doctissimi (omniũ quippe disciplinarũ peritus, & illius sæculi quoddã miraculũ fuit) excerpta, epistolarũ scribendarũ studiosis proponenda existimaui.

XXVIII. *Martialis epigramma enodatum.*

EPigramma eſt 190. lib. 14. inſcriptum, LIVIVS IN MEMBRANIS.

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit,

Senſus verus, ac germanus hic eſt, niſi me fallit ſententia. Liuium & præſtantia ſcriptionis, ſeu lactea fandi copia (quam illi D. Hieronymus tribuit) & librorum multitudine magnum (quadraginta enim duos ſupra centum hiſtoriæ Romanæ conſcripſit, vt Carolum Sigonium in Caſtigationibus docere memini) Liuium ergo iſto modo quo dixi ingentem, ait exiguis pellibus, id eſt, membranaceis paginis, non ampla forma, in bibliotheca quam viderat contineri: qué ſua bibliotheca quanta quanta ſit non capiat totum: quia videlicet non habebat totũ: ſed partem duntaxat, puta vnam, vel alteram decadem tantùm fortaſſe. Vides leporem in ambiguo. Qui alias interpretationes comminiſcuntur, ij mihi argutiam in verbis, *non totum capit*, latentem odorati non videntur, & riſum debent.

XXIX. *Cognatio locorum Ouidij, & Xenophontis.*

LIb. 10. Metamorph. Adonidi puero, qui venatione delectabatur, conſultum cupiens Venus, de leonibus, apris, vrſis vitanduis em

ſeirò

ſeriò admonet: opponunt enim ſe, & acerrimè tuentur; ac nonnunquam venatorem necant.

Hos tu, chare mihi, cumq; his genus omne ferarum,
Quod non terga fugæ, ſed pugnæ pectora præbet,
Effuge, ne virtus tua ſit damnoſa duobus.

Totus locus perſimilis eſt illi Xenophonteio 1. de vita, & diſciplina Cyri. Cum enim Cyrus puer apud auum Aſtyagem, regem Medorum educaretur, eſſetque campeſtris venationis cupidiſſimus, memorat Hiſtoricus ille, eam ipſi ab auo permiſſam, adiuncto auunculo, & cuſtodibus nonnullis, & equitibus veteranis, qui à difficilibus, & periculoſis locis eum ſeruarent: atque ab immanibus beſtiis, ſi quæ apparerent, tuerentur. Quærente autem diligenter Cyro, quibusnam feris appropinquandum non eſſet, quæue fidenter poſſent agitari, dicebant illi, vrſi complures olim homines, qui propius ipſos acceſſiſſent, dilaniarunt: permultos etiam leones, & apri, & pardi: cerui autem, & capreæ, agreſteſque oues, & onagri nihil nocent. Iam, quod poſt longam narrationem de Hippomene, & Atalanta apud Naſonem ſequitur, Venerem monuiſſe quidem hunc adoleſcentem, caueret ſibi ab omni genere atrociorum, & pugnacium belluarum: ſed eum poſt diſceſſum monitricis illa monita vel oblitũ, vel non curantem, aprum à canibus excitum audacter aggreſſum iaculo fixiſſe, eiuſque morſu interijſſe, de eadem fidelia eſt.

XXVIII. *Martialis epigramma en datum.*

EPigramma est 190. lib. 14. inscriptum, LIVIVS IN MEMBRANIS.

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit,

Sensus verus, ac germanus hic est, nisi me falli sententia. Liuium & præstantia scriptionis, seu lactea fandi copia (quam illi D. Hieronymus tribuit) & librorum multitudine magnum (quadraginta enim duos supra centum historiæ Romanæ conscripsit, vt Carolum Sigonium in Castigationibus docere memini) Liuium *ergo isto* modo quo dixi ingentem, ait exiguis pellibus, id est, membranaceis paginis, non *ampla forma*, in bibliotheca quam viderat contineri; qué sua bibliotheca quanta quanta sit non *capiat totum*: quia videlicet non habebat totũ: sed partem duntaxat, puta vnam, vel alteram *decadem* tantùm fortasse. Vides leporem in ambiguo. Qui alias interpretationes comminiscuntur, ij mihi argutiam in verbis, *non totum capit*, latentem odorati non videntur, & risum debent.

XXIX. *Cognatio locorum Ouidij, & Xenophontis.*

LIb. 10. Metamorph. Adonidi puero, qui venatione delectabatur, consultum cupiens Venus, de leonibus, apris, vrsis vitandis em

feirè

ſeriò admonet: opponunt enim ſe, & acerrimè tuentur; ac nonnunquam venatorem necant.

Hos tu, chare mihi, cumq; his genus omne ferarum,
Quod non terga fugæ, ſed pugnæ pectora præbet,
Effuge, ne virtus tua ſit damnoſa duobus.

Totus locus perſimilis eſt illi Xenophonteio 1. de vita, & diſciplina Cyri. Cum enim Cyrus puer apud auum Aſtyagem, regem Medorum educaretur, eſſetque campeſtris venationis cupidiſſimus, memorat Hiſtoricus ille, eam ipſi ab auo permiſſam, adiuncto auunculo, & cuſtodibus nonnullis, & equitibus veteranis, qui à difficilibus, & periculoſis locis eum ſeruarent: atque ab immanibus beſtiis, ſi quæ apparerent, tuerentur. Quærente autem diligenter Cyro, quibuſnam feris appropinquandum non eſſet, quæue fidenter poſſent agitari, dicebant illi, vrſi complures olim homines, qui propius ipſos acceſſiſſent, dilaniarunt: permultos etiam leones, & apri, & pardi: cerui autem, & capreæ, agreſtesque oues, & onagri nihil nocent. Iam, quod poſt longam narrationem de Hippomene, & Atalanta apud Naſonem ſequitur, Venerem monuiſſe quidem hunc adoleſcentem, caueret ſibi ab omni genere atrociorum, & pugnacium belluarum: ſed eum poſt diſceſſum monitricis illa monita vel oblitũ, vel non curantem, aprum à canibus excitum audacter aggreſſum iaculo fixiſſe, eiuſque morſu interijſſe, de eadem fidelia eſt.

Illa quidem monuit, iunctisq; per aera cygnis
Carpit iter: sed stat monitis contraria virtus.
Forte suem latebris vestigia certa secuti
Exciuere canes, syluisq; exire parantem
Fixerat obliquo veniens Cinyreius ictu.
Protinus excussit pando venabula rostro
Sanguine tincta suo: trepidumq;, & tuta petentē
Trux aper insequitur: totosq; sub inguine dentes
Abdidit, & fulua moribundum strauit arena.

De eadem, inquam, fidelia est. Pergit enim Xenophon similia de Cyro suo dicere, hoc tantum discrimine, quod noster de apro, ille de ceruo: nec tam propter ceruum prosilientē, pulchram, sanè, & magnam belluam, quam insecutus fuisset, quam quod nulla locorum habita ratione insecutus fuisset, vt equo cadente, ipsi propemodum ceruices confractæ essent. Contra Chiron centaurus Achillem, quem à teneris educandum susceperat, & rebus maximis olim gerendis præparabat, non nisi generosas feras sectari, & debellare iubebat, vt ipse lib. 2. Achilleid. apud Statium narrat.

—————— quid nunc prælia dicam
Syluarum? & vacuos sæuo iam murmure saltus?
Nunquam ille imbelles Ossæa per auia lynces
Sectari, aut timidas passus me cuspide damas
Sternere: sed tristes turbare cubilibus vrsos,
Fulmineosq; sues, & sicubi maxima tigris,
Aut subducta iugis fœta spelunca leæna.
Ipse sedens vasto facta exspectabat ab antro,

Si sparsus multo remearem sanguine, nec me
Ante, nisi inspectis admisit adosculatelis.

XXX. *Apollinis ars, & potestas multiplex.*

APollo fugitantem se Daphnen, & aspernantem prorsus insequens 1. Metam. multis blanditijs retinere, & ad sibi obsequendum inducere incassùm conatur: ac ῥητορικῶς dilatans laudes suas, non solùm qualis sit, sed etiam qualis non sit ostendit, idq; prius. Inter cætera verò, quibus gloriatur tanquam bonis, affirmat se μαντικῆς, μυστικῆς, ἰατρικῆς, vaticinij, musicæ, vel medicæ inuentorẽ, ac præsidem esse. *Versus adduco.*

——————— per me quod eritq́; fuitq́;,
Estq́; patet: per me concordant carmina neruis.
Inuentũ medicina meum est, opiferq́; per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Στοχαστικὴν quoque, hoc est, sagittandi peritiam ibidem, & paulò supra sibi potissimùm tribuit, cum eam Cupidini adimit.

Quidq́; tibi, lasciue puer, cum fortibus armis
Dixerat, ista decent humeros gestamina nostros,
Qui dare certa feræ, dare vulnera possum⁹ hosti.

Ita quadripartitam facultatem huius dei, eumq́; vatem, musicum, medicum, sagittarium cernis. Quæ singula aliorum quoq; poëtarũ auctoritatibus confirmanda sunt. Ad vaticinatricẽ eius

facultatem quod attinet, Pindarus πυθ. ὠδ. θ. rerum omnium euentum illi certum, fixum, ac notum esse ait. Stat. 1. Thebaid.

———————tu doctus iniquas
Parcarum praenosse manus, fatiq; quod vltra est,
Et summo placitura Ioui, quis lethifer annus,
Bella quibus populis, mutent quae sceptra cometae, &c.

Augurem appellat Horatius Ode 2, lib. 1. Et 6. lib. 4. *Doctor argutae fidicen Thaliae, Phoebe.* In carmine porrò seculari vnà strophe totam tetradem artium illius sic expressit.

Augur, & fulgente decorus arcu
Phoebus, acceptusq; nouem Camoenis,
Qui salutari leuat arte fessos
Corporis artus.

De eius medicandi scientia 3. Fast. *Vos quoque Phoebaea morbos qui pellitis arte.* Et 4. Trist. *Si valeant homines ars tua, Phoebe, iacet.* Et alibi. *Carminis, & medicae Phoebe repertor opis.* De quarta peritia iterum Horat. Ode 12. lib. 1. *nec te metuende certa, Phoebe, sagitta.* Homerus, & alij poëtae graeci ἑκηβόλον, ἕκατον, ἑκατηβελέτην à sagittis eminus iaciendis nominantur. Ac de hisce quatuor eius artibus etiam Virgilius lib. 12.

Iamq; aderat Phoebo ante alios dilectus Iapis
Iasides: acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera laetus Apollo
Augurium, citharamq; dedit, celeresq; sagittas.

Insuper vatem, cantorem, sagittarium creare voluit.

voluit. Quid lapis? vna contentus fuit.

Scire potestatet herbarum, vsumq; medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Omnes recenset Callimachus quoque hymno in Apollinem.

XXXI. *Metaphoram in eadem sententia citra vitium commutari posse.*

CVm in exorsu Fastorum ait Poëta, *& timida dirige nauis iter*, & interpositis aliquot versibus, *vates rege vatis habenas*, vtrumque in eadem re, fauore scilicet Germanici exposcendo vsurpans, admonet nos falsę cuiusdam, & superstitiosæ opinionis, quæ apud imperitos inualuit, persistendum esse in eadem metaphora, nec ad aliam in eadem sententia, seu in eadem re subitò transiliendum. Sanè aliud longè visum Ouidio, qui cum Germanicum prius sibi quasi nauclerum, & magistrum nauis suæ, seu gubernatorem optasset, postmodum noua à re equestri sumpta translatione, petiuit suas habenas ab eodem regi: equi namque habenis reguntur. Sic in 2. Fast. cum dixisset. *Inq; suo noster puluere currat equus*, deinde ait, *Nauiget hinc alia iam mihi linter aqua.* Et lib. I. *Nunc teritur nostris area maior equis.* Et post pauca, *Dum licet, & spirãt flamina, nauis eat.* Et 2. de Pont. eleg. 6.

Qua tu cum præstes, remo tamen vtar, & aura:
Nil nocet admisso subdere calcar equo.

Virgil. item 4. Georg. cum partem de hortis à

mari, & velis incepisset, in circum, & equos desijt. Idem lib. 2. fecit. Obseruauit, & congessit locos à me prolatos in Notis suis homo accuratissimæ diligentiæ Lud. de la Cerda noster, monuitq; , quod verissimum est, non pertinaciter hærendum vulgari præcepto, de quo supra dixi, cum nobis boni auctores præeant: nec poëtæ tantùm. Quippe Synesius ep. 4. rem nauticam cum re Circensi coniungit *ἀποβῆναι νεὼς ὡς ἐκ πρώτης ἀφετηρίας*, è naui descendere tanquam è primis carceribus. M. Antonius Muretus iam pridem Commentar. in Phaselum Catulli idem notauit, haud esse, inquam, vel inelegans, vel culpæ affine eandem metaphoram non ad exitum perducere: sed ab vna in aliam abire. Itaque Catullum in eo poëmatio tres vno carmine permiscuisse, cum dixit *comã* pro frõdibus, & *comã loquẽtem*; & postremò *sibilũ* à serpentib⁹ mutuatus est.

Vbi iste post phaselus antea fuit
Comata sylua. Nam Cythorio in iugo
Loquente sæpe sibilum edidit coma.

Et paulò ante.

Neq; ullius natantis impetum trabis
Nequisse præterire, siue palmulis
Opus foret volare, siue linteo.

Notat & tertium exemplum in carmine ad passerem. Vbi cum ardorem pro dolore posuisset, quòd ab igne sumpserat, addidit epitheton *grauis*, non ab igne, sed ab ijs corporibus ductum, in quibus inest pondus. Cumq; ignem restinguere,

&,

&c, quæ grauia sunt leuari dicamus, ipse aliunde verbum accersijt, *acquiescit.*

Vt solatiolum sui doloris:

Credo, vt tum grauis acquiescat ardor.

Obseruo & ego apud Horatium ad Pison. metaphoram commutatam in eodem versu. *Et male tornatos incudi reddere versus.* Tornus, & incus diuersa instrumenta, ad diuersos opifices, ille ad tornatorem, hæc ad fabrum ferrarium, aut serarium pertinet. Et aliud est tornari, aliud fabricari. Hæc ad studiosos, bene, ornateq; scribendi cupidos scrupulo non necessario liberandos, & ad communem, ex inscitia tamen profectá opinionem conuellendam è doctissimis viris recitandá mihi existimaui.

XXXII. *Laudes Solis.*

NIhil profectò inter omnia quæ aspectu percipiuntur inueniri, aut excogitari potest ipso Sole excellentius, & admirandum magis, & in quo diuina potestas, ac magnificentia liquidius elucescat. Nihil hoc nobilissimo, omniumque maximo sidere siue ad speciem venustius, siue ad efficientiam validius, siue ad vtilitatem fœcundius. Sol astrorum rex, mundi oculus, diei lætitia, naturæ decus, cæli pulchritudo salutarem inprimis, & vitalem maximè calorem, omnia augentem, & nutrientem, & sensu impertientem stirpibus, & animantibus tribuit. Anni partes ita diuidit, ac temperat, vt quasi

chorum

chorum efficiat. Radijs suis longè lateque diffusis tenebras discutit, supera & infera omnia collustrat, & in abditissimis terrę visceribus aurum, & gemmas producit. Stupenda eiusdem magnitudo; siquidem vnum aquæ, & terræ globum, vt mathematici ratiocinantur, centies sexagies sexies, lunam sexies millies, quingenties tricies nouies superat. Valeant ergo nugatores apud Plutarch. de placit. philosoph. lib.2.ca. 21. è quibus Anaximander æqualem terræ, maiorem Peloponneso Anaxagoras, pedali latitudine Heraclitus, tantum quantus oculis nostris apparet, paulo etiam maiorem, minorémue Epicurus asseruit. Eiusdem amplitudinem ex immensa lucis copia deprehendas, quando vnus duntaxat, fugata ac dispulsa penitus nocte diem reducit, passimq; diffundit: quod reliqua quotquot sunt sidera, si operas in vnum omnia conferant, simul præstare nequeunt. Quin immo totius lucis, quæ in alijs inest sideribus eum fontem, originemque scriptores non ignobiles opinantur. Senecæ in Hercule Fur. lucis rector, mundi decus. Cic.2. de nat. deorum, qui astrorum obtinet principatum. Hic etiam mactatis hostijs pro numine cultus est, à Persis præcipuè, qui celeri Deo non tardam victimam, equum puta, sacrificandum putauerunt, vt est 1. Fast. Plurima de Solis laudibus Pererius nosterComment. in Genesin libr.1. & in Danielem libr 4. Commendauit eum, & Plin.lib. 2. cap.6.& Dio

Chry-

Chrysoft. orat. 3. de regno. Suauiter item, & piè Dionysius Areopagita lib. de diuin. nominib. cap. 4. vbi diuinæ bonitatis imaginem esse asserit. De varia eiusdem virtute, & excellentia Macrob. quoque Saturnal. lib. 1. cap. 17. & sequentibus. Rhodigin. lib. 21. cap. 14. Steuchus in Cosmopœia, Nazianzenus orat. 2. de Theolog. in extremo, vbi & illud Platonis memorat, in ijs quæ sentiuntur, solem esse, quod deum in ijs quæ sola intelligentia percipiuntur. Denique Lipsius lib. 2. Phisiologiæ Stoicæ, Dissertat. 13.

XXXIII. *Quæsitum de forma Alex. M.*


HAbitum oris, & decoram speciem gratiam, & amorem conciliare apud subiectos populos: nec vllam esse gentem, quæ hoc bonum Principi suo non optet, & omnes homines formosis subesse, ac seruire malle quam deformibus, inter omnes manifestò constat: & duo poëtarum duces hoc decus, alter in Agamemnone, alter in Ænea minimè omiserunt, vtrumque enim à pulchritudine commendarunt. Quærimus itaque qualis Alexandri, regis omnium post homines natos maximi, aspectus, & dignitas oris fuerit, si qua fuit. Hîc ego aliud Aelian. lib. 12. cap. 14. & cum eo Solinum cap. 15. apertè docuisse, aliud Q. Curtium lib. 3. insinuasse, & lib. 6. affirmasse video. Ille cum ijs numerat, qui forma floruerunt: apud Græcos Alcibiade, De-

metrio

metrio Poliorceta: apud Romanos Q. Scipio-ne. Addit tamen, ὑπαναφίεσθαι δέ τι ἐκ τοῦ εἴδους φο-βερὸν τῷ Ἀλεξάνδρῳ λέγουσιν. Fertur porrò è facie Alexandro quiddam formidabile eluxisse: quod ita interpretor, fuisse in ea elegantem seuerita-tem, & seueram elegantiam. Solini oratio hæc est. Forma supra hominem augustiore, ceruice celsa, lætis oculis & illustribus, malis ad gratiam rubescentibus, reliquis corporis non sine ma-iestate quadam decoris. Quid Curtius? cum so-lo Hephæstione amicorum omnium charissimo assumpto ad Darij matrem, vxorem, filias capti-uas inuisendas venisse. Mulieres Hephæstio-nem, quod erat ætate par regi, & corporis ha-bitu præstabat, ipsum regem esse existimantes, suo, hoc est Persico, more veneratas esse. Inde ex captiuis spadonibus quis esset Alexander mõ-strantibus, Sisygambin Darij matrem aduolutam pedibus, ignorantiam nunquam visi regis ex-cusasse. Non errassent utique reginæ, si quid-quam regium in vultu Alexander prætulisset. Er-go earum error pro coniectura sit, in Alexandro pulchritudinem desideratam fuisse. Expressius idem historicus lib 6. vt dixi. Narrans enim quo pacto Thalæstris Amazonum regina cupidine regis videndi, & ex eo sobolem concipiendi; quam si fæminei sexus foret, retineret; si virilis, illi redderet (non enim indignam se, ex qua il-le regni hæredes generaret) ad eum magno co-mitatu Amazonum venerit; interrito, inquit, vul-

vultu regem intuebatur: habitum eius haudquaquam rerum famæ parem oculis perlustrans; quippe omnibus barbaris in corporum maiestate veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est. Vides à Solino discrepantiam? Huius historię meminit Iustinus quoque lib. 2. 12. & 42. de corpore tamen Alexandri ne gry quidem.

FINIS.



Παϱε-



Πάρεργον.

SACRATISS. VIRGINI MATRI OETINGENSI, ACCEPTI MEMOR BENEFICII I. P. Societatis IESV dedicabat.

ANNO M.DC.II.

QVæ sanctum cæli, terræ, pelagiq́; parentem,
Virgineo complexa utero, complexa lacertis
Per scelus amissos primæ genetricis honores
Instaurare olim potuisti, & reddere vitæ
Damnatos nullo moritura in tempore morti:
Cuius opem assiduò supplex efflagitat orbis,
Votorumq́; reus suspendit plurima dona,
Concelebratq́; pio immortales carmine laudes:
Me quoque testari mille inter, mille iterumq́;,
Inter mille iterum, & numeroq́; modoq́; carentes
Auxilium patiare tuum. Tua namque rogantem,
Flebilibusq́; almas onerantem vocibus aures
Audiit, optatumq́; dedit clementia finem
Aerumnæ, in longos male me quæ presserat annos.
Quapropter tantũ ob meritũ sine promere quantas
Mens capere ipsa potest lætanti pectore grates:
Quamq́; tibi caminus gracilem ne temne Camœnã,
O superis nimium, nimium mortalibus ægris,
Ante sed æterno nimium dilecta Tonanti.

Haud

Haud se componant tecum Collegia palmas
Gestantum, dulciq; epinicia voce sonantum.
Fatidicis, Regina, choris tua gloria maior.
Grandaeui assurgunt caeli per limina Patres
Bis seni, quondam peragrantes extima mundi,
Saluificisq; vagas subdentes legibus oras,
Vertice summisso & tibi cedere iure fatentur.
Quid memorem? millena acies pulcherrima fratrũ
Agmina pennigerũm Dominam venerantur, & vnam
Te contemplantes, cupide tua iussa sequuntur.
Deniq; Diuorum quidquid per olympica regna,
Attonitum speciem, maiestatemq; stupescit.



XXVIII. *Martialis epigramma enodatum.*

EPigramma est 190. lib. 14. inscriptum, LIVIVS IN MEMBRANIS.

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit,

Sensus verus, ac germanus hic est, nisi me fallit sententia. Liuium & præstantia scriptionis, seu lactea fandi copia (quam illi D. Hieronymus tribuit) & librorum multitudine magnum (quadraginta enim duos supra centum historiæ Romanæ conscripsit, vt Carolum Sigonium in Castigationibus docere memini) Liuium ergo *isto* modo quo dixi ingentem, ait exiguis pellibus, id est, membranaceis paginis, non ampla forma, in bibliotheca quam viderat contineri: quē sua bibliotheca quanta quanta sit non capiat totum: quia videlicet non habebat totū: sed partem duntaxat, puta vnam, vel alteram decadem tantùm fortasse. Vides leporem in ambiguo. Qui alias interpretationes comminiscuntur, ij mihi argutiam in verbis, *non totum capit*, latentem odorati non videntur, & risum debent.

XXIX. *Cognatio locorum Ouidij, & Xenophontis.*

LIb. 10. Metamorph. Adonidi puero, qui venatione delectabatur, consultum cupiens Venus, de leonibus, apris, vrsis vitanduis em

scirò

ſeriò admonet: opponunt enim ſe, & acerrimè tuentur; ac nonnunquam venatorem necant.

Hos tu, chare mihi, cumq́; his genus omne ferarum,
Quod non terga fugæ, ſed pugnæ pectora præbet,
Effuge, ne virtus tua ſit damnoſa duobus.

Totus locus perſimilis eſt illi Xenophonteio I. de vita, & diſciplina Cyri. Cum enim Cyrus puer apud auum Aſtyagem, regem Medorum educaretur, eſſetq́ue campeſtris venationis cupidiſſimus, memorat Hiſtoricus ille, eam ipſi ab auo permiſſam, adiuncto auunculo, & cuſtodibus nonnullis, & equitibus veteranis, qui à difficilibus, & periculoſis locis eum ſeruarent: atque ab immanibus beſtiis, ſi quæ apparerent, tuerentur. Quærente autem diligenter Cyro, quibuſnam feris appropinquandum non eſſet, quæ ue fidenter poſſent agitari, dicebant illi, vrſi complures olim homines, qui propius ipſos acceſſiſſent, dilaniarunt: permultos etiam leones, & apri, & pardi: cerui autem, & capreæ, agreſteſq́ue oues, & onagri nihil nocent. Iam, quod poſt longam narrationem de Hippomene, & Atalanta apud Naſonem ſequitur, Venerem monuiſſe quidem hunc adoleſcentem, caueret ſibi ab omni genere atrociorum, & pugnacium belluarum: ſed eum poſt diſceſſum monitricis illa monita vel obl[illegible]ū, vel non curantem, aprum à canibus excitum audacter aggreſſum iaculo fixiſſe, eiuſque morſu interijſſe, de eadem fidelia eſt.

Illa quidem monuit, iunctisq; per aera cygnis
Carpit iter: sed stat monitis contraria virtus.
Forte suem latebris vestigia certa secuti
Excivere canes, syluisq; exire parantem
Fixerat obliquo veniens Cinyreius ictu.
Protinus excussit pando venabula rostro
Sanguine tincta suo: trepidumq;, & tuta petentē
Trux aper insequitur: totosq; sub inguine dentes
Abdidit, & fulua moribundum strauit arena.

De eadem, inquam, fidelia est. Pergit enim Xenophon similia de Cyro suo dicere, hoc tantum discrimine, quod noster de apro, ille de ceruo: nec tam propter ceruum prosilientē, pulchram, sanè, & magnam belluam, quam insecutus fuisset, quam quod nulla locorum habita ratione insecutus fuisset, vt equo cadente, ipsi propemodum ceruices confractæ essent. Contra Chiron centaurus Achillem, quem à teneris educandum susceperat, & rebus maximis olim gerendis præparabat, non nisi generosas feras sectari, & debellare iubebat, vt ipse lib. 2. Achilleid. apud Statium narrat.

——————— *quid nunc prælia dicam*
Syluarum? & vacuos sæuo iam murmure saltus?
Nunquam ille imbelles Ossæa per auia lynces
Sectari, aut timidas passus me cuspide damas
Sternere: sed tristes turbare cubilibus vrsos,
Fulmineosq; sues, & sicubi maxima tigris,
Aut subducta iugis fœta spelunca leæna.
Ipse sedens vasto facta exspectabat ab antro,

Si sparsus multo remearem sanguine, nec me
Ante, nisi inspectis admisit adoscula telis.

XXX. *Apollinis ars, & potestas multiplex.*

APollo fugitantem se Daphnen, & aspernantem prorsus insequens 1. Metam. multis blanditijs retinere, & ad sibi obsequendum inducere incassum conatur: ac ῥητορικῶς dilatans laudes suas, non solùm qualis sit, sed etiam qualis non sit ostendit, idq; prius. Inter cætera verò, quibus gloriatur tanquam bonis, affirmat se μαντικῆς, μυσικῆς, ἰατρικῆς, vaticinij, musicæ, rel medicæ inuentorē, ac præsidem esse. *Versus adduco.*

——— *per me quod eritq́, fuitq́,*
Estq́ patet: per me concordant carmina neruis.
Inuentū medicina meum est, opiferq́ per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Στοχαστικὴν quoque, hoc est, sagittandi peritiam ibidem, & paulò supra sibi potissimùm tribuit, cum eam Cupidini adimit.

Quidq́ tibi, lasciue puer, cum fortibus armis
Dixerat, ista decent humeros gestamina nostros,
Qui dare certa feræ, dare vulnera possumus hosti.

Ita quadripartitam facultatem huius dei, eumq; vatem, musicum, medicum, sagittarium cernis: Quæ singula aliorum quoq; poëtarū auctoritatibus confirmanda sunt. Ad vaticinatricē eius

facultatem quod attinet, Pindarus πυθ. ὠδ. θ. rerum omnium euentum illi certum, fixum, ac notum esse ait. Stat. 1. Thebaid.

——————tu doctus iniquas
Parcarum praenosse manus fatiq; quod vltra est,
Et summo placitura Ioui, quis lethifer annus,
Bella quibus populis, mutent quae sceptra cometae, &c.

Augurem appellat Horatius Ode 2, lib. 1. Et 6. lib. 4. *Doctor argutae fidicen Thaliae, Phoebe.* In carmine porrò sęculari vna strophe totam tetradem artium illius sic expressit.

Augur, & fulgente decorus arcu
Phoebus, acceptusq; nouem Camoenis,
Qui salutari leuat arte fessos
Corporis artus.

De eius medicandi scientia 3. Fast. *Vos quoque Phoebaea morbos qui pellitis arte.* Et 4. Trist. *Si valeant homines ars tua, Phoebe, iacet.* Et alibi. *Carminis, & medicae Phoebe repertor opis.* De quarta peritia iterum Horat. Ode 12. lib. 1. *nec te metuende certa, Phoebe, sagitta.* Homerus, & alij poëtae graeci ἑκηβόλον, ἕκατον, ἑκατηβελέτην à sagittis eminus iaciendis nominantur. Ac de hisce quatuor eius artibus etiam Virgilius lib. 12.

Iamq; aderat Phoebo ante alios dilectus Iapis
Iasides: acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera laetus Apollo
Augurium, citharamq; dedit, celeresq; sagittas.

Insuper vatem, cantorem, sagittarium creare voluit.

voluit. Quid lapis? vna contentus fuit.

Scire potestatet herbarum, vsumq́; medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Omnes recenset Callimachus quoque hymno in Apollinem.

XXXI. *Metaphoram in eadem sententia citra vitium commutari posse.*

CVm in exorsu Fastorum ait Poëta, *& timida dirige nauis iter*, & interpositis aliquot versibus, *vates rege vatis habenas*, vtrumque in eadem re, fauore scilicet Germanici exposcendo vsurpans, admonet nos falsę cuiusdam, & superstitiosæ opinionis, quæ apud imperitos inualuit, persistendum esse in eadem metaphora, nec ad aliam in eadem sententia, seu in eadem re subitò transiliendum. Sanè aliud longè visum Ouidio, qui cum Germanicum prius sibi quasi nauclerum, & magistrum nauis suæ, seu gubernatorem optasset, postmodum noua à re equestri sumpta translatione, petiuit suas habenas ab eodem regi: equi namque habenis reguntur. Sic in 2. Fast. cum dixisset. *Inq́; suo noster puluere currat equus*, deinde ait, *Nauiget hinc alia iam mihi linter aqua.* Et lib. 1. *Nunc teritur nostris area maior equis.* Et post pauca, *Dum licet, & spirãt flamina, nauis eat.* Et 2. de Pont. eleg. 6.

Quæ tu cum prastes, remo tamen vtar, & aura:
Nil nocet admisso subdere calcar equo.

Virgil. item 4. Georg. cum partem de hortis à

mari, & velis incepisset, in circum, & equos desijt. Idem lib. 2. fecit. Obseruauit, & congessit locos à me prolatos in Notis suis homo accuratissimæ diligentiæ Lud. de la Cerda noster, monuitq;, quod verissimum est, non pertinaciter hærendum vulgari præcepto, de quo supra dixi, cum nobis boni auctores præeant: nec poëtæ tantùm. Quippe Synesius ep. 4. rem nauticam cum re Circensi coniungit ἀποβῆναι νεὼς ὡς ἐκ πρώτης ἀφέτηρίας, è naui descendere tanquam è primis carceribus. M. Antonius Muretus iam pridem Commentar. in Phaselum Catulli idem notauit, haud esse, inquam, vel inelegans, vel culpæ affine eandem metaphoram non ad exitum perducere: sed ab vna in aliam abire. Itaque Catullum in eo poëmatio tres vno carmine permiscuisse, cum dixit *comā* pro frōdibus, & *comā loquētem*; & postremò *sibilū* à serpentib⁹ mutuatus est.

Vbi iste post phaselus antea fuit
Comata sylua. Nam Cythorio in iugo
Loquente sæpe sibilum edidit coma.

Et paulò ante.

Neq; ullius natantis impetum trabis
Nequisse præterire, siue palmulis
Opus foret volare, siue linteo.

Notat & tertium exemplum in carmine ad passerem. Vbi cum ardorem pro dolore posuisset, quòd ab igne sumpserat, addidit epitheton *grauis*, non ab igne, sed ab ijs corporibus ductum, in quibus inest pondus. Cumq; ignem restinguere,

&,

&,quæ grauia sunt leuari dicamus, ipse aliunde verbum accersijt, *acquiescit.*

Vt solatiolum sui doloris:

Credo, vt tum grauis acquiescat ardor.

Obseruo & ego apud Horatium ad Pison. metaphoram commutatam in eodem versu. *Et male tornatos incudi reddere versus.* Tornus, & incus diuersa instrumenta, ad diuersos opifices, ille ad tornatorem, hæc ad fabrum ferrarium, aut serarium pertinet. Et aliud est tornari, aliud fabricari. Hæc ad studiosos, bene, ornateq; scribendi cupidos scrupulo non necessario liberandos, & ad communem, ex inscitia tamen profectā opinionem conuellendam è doctissimis viris recitandā mihi existimaui.

XXXII. *Laudes Solis.*

Nihil profectò inter omnia quæ aspectu percipiuntur inueniri, aut excogitari potest ipso Sole excellentius, & admirandum magis, & in quo diuina potestas, ac magnificentia liquidius elucescat. Nihil hoc nobilissimo, omniumque maximo sidere siue ad speciem venustius, siue ad efficientiam validius, siue ad vtilitatem fœcundius. Sol astrorum rex, mundi oculus, diei lætitia, naturæ decus, cæli pulchritudo salutarem inprimis, & vitalem maximè calorem, omnia augentem, & nutrientem, & sensu impertientem stirpibus, & animantibus tribuit. Anni partes ita diuidit, ac temperat, vt quasi

chorum

chorum efficiat. Radijs suis longè lateque diffusis tenebras discutit, supera & infera omnia collustrat, & in abditissimis terrę visceribus aurum, & gemmas producit. Stupenda eiusdem magnitudo; siquidem vnum aquæ, & terræ globum, vt mathematici ratiocinantur, centies sexagies sexies, lunam sexies millies, quingenties tricies nouies superat. Valeant ergo nugatores apud Plutarch. de placit. philosoph. lib.2.ca.21. è quibus Anaximander æqualem terræ, maiorem Peloponneso Anaxagoras, pedali latitudine Heraclitus, tantum quantus oculis nostris apparet, paulo etiam maiorem, minorémue Epicurus asseruit. Eiusdem amplitudinem ex immensa lucis copia deprehendas, quando vnus duntaxat, fugata ac dispulsa penitus nocte diem reducit, passimq; diffundit: quod reliqua quotquot sunt sidera, si operas in vnum omnia conferant, simul præstare nequeunt. Quin immo totius lucis, quæ in alijs inest sideribus eum fontem, originemque scriptores non ignobiles opinantur. Senecæ in Hercule Fur. lucis rector, mundi decus. Cic.2. de nat. deorum, qui astrorum obtinet principatum. Hic etiam mactatis hostijs pro numine cultus est, à Persis præcipuè, qui celeri Deo non tardam victimam, equum puta, sacrificandum putauerunt, vt est 1. Fast. Plurima de Solis laudibus Pererius noster Comment. in Genesin libr.1. & in Danielem libr 4. Commendauit eum, & Plin.lib.2. cap.6. & Dio Chry-

Chrysost. orat. 3. de regno. Suauiter item, & piè Dionysius Areopagita lib. de diuin. nominib. cap. 4. vbi diuinæ bonitatis imaginem esse asserit. De varia eiusdem virtute, & excellentia Macrob. quoque Saturnal. lib. 1. cap. 17. & sequentibus. Rhodigin. lib. 21. cap. 14. Steuchus in Cosmopœia, Nazianzenus orat. 2. de Theolog. in extremo, vbi & illud Platonis memorat, in ijs quæ sentiuntur, solem esse, quod deum in ijs quæ sola intelligentia percipiuntur, Denique Lipsius lib. 2. Phisiologiæ Stoicæ, Dissertat. 13.

XXXIII. *Quæsitum de forma Alex. M.*

HAbitum oris, & decoram speciem gratiam, & amorem conciliare apud subiectos populos: nec vllam esse gentem, quæ hoc bonum Principi suo non optet, & omnes homines formosis subesse, ac seruire malle quam deformibus, inter omnes manifestò constat: & duo poëtarum duces hoc decus, alter in Agamemnone, alter in Ænea minimè omiserunt, vtrumque enim à pulchritudine commendarunt. Quærimus itaque qualis Alexandri, regis omnium post homines natos maximi, aspectus, & dignitas oris fuerit, si qua fuit. Hîc ego aliud Aelian. lib. 12. cap. 14. & cum eo Solinum cap. 15. apertè docuisse, aliud Q. Curtium lib. 3. insinuasse, & lib. 6. affirmasse video. Ille cum ijs numerat, qui forma floruerunt: apud Græcos Alcibiade, De-

metrio

metrio Poliorceta: apud Romanos Q. Scipione. Addit tamen, ὑπαναφαίνεσθαι δέ τι ἐκ τοῦ εἴδους φοβερὸν τῷ Ἀλεξάνδρῳ λέγουσιν. Fertur porrò è facie Alexandro quiddam formidabile eluxisse: quod ita interpretor, fuisse in ea elegantem seueritatem, & seueram elegantiam. Solini oratio hæc est. Forma supra hominem augustiore, ceruice celsa, lætis oculis & illustribus, malis ad gratiam rubescentibus, reliquis corporis non sine maiestate quadam decoris. Quid Curtius? cum solo Hephæstione amicorum omnium charissimo assumpto ad Darij matrem, vxorem, filias captiuas inuisendas venisse. Mulieres Hephæstionem, quod erat ætate par regi, & corporis habitu præstabat, ipsum regem esse existimantes, suo, hoc est Persico, more veneratas esse. Inde ex captiuis spadonibus quis esset Alexander mōstrantibus, Sisygambin Darij matrem aduolutam pedibus, ignorantiam nunquam visi regis excusasse. Non errassent utique reginæ, si quidquam regium in vultu Alexander prætulisset. Ergo earum error pro coniectura sit, in Alexandro pulchritudinem desideratam fuisse. Expressius idem historicus lib 6. vt dixi. Narrans enim quo pacto Thalæstris Amazonum regina cupidine regis videndi, & ex eo sobolem concipiendi; quam si fæminei sexus foret, retineret; si virilis, illi redderet (non enim indignam se, ex qua ille regni hæredes generaret) ad eum magno comitatu Amazonum venerit; interrito, inquit,

vultu regem intuebatur: habitum eius handquaquam rerum famæ parem oculis perlustrans; quippe omnibus barbaris in corporum maiestate veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est. Vides à Solino discrepantiam? Huius historię meminit Iustinus quoque lib.2.12.& 42. de corpore tamen Alexandri ne gry quidem.

FINIS.



Haud se componant tecum Collegia palmas
Gestantum, dulciq; epinicia voce sonantum.
Fatidicis, Regina, choris tua gloria maior.
Grandaeui assurgunt caeli per limina Patres
Bis seni, quondam peragrantes extima mundi,
Saluificisq; vagas subdentes legibus oras,
Vertice summisso & tibi cedere iure fatentur.
Quid memorem? millena acies pulcherrima fratrũ
Agmina pennigerũm Dominam venerantur, & vnam
Te contemplantes, cupide tua iussa sequuntur.
Deniq; Diuorum quidquid per olympica regna,
Attonitum speciem, maiestatemq; stupescit.



INDEX ALIQVOT SYNTAGMATVM.

Syntagmatis primi. HISTORIARVM.

Syntagmatis sexti.

QVÆSTIONVM.

Syntagmatis octaui.

ANTHOLOGIÆ.

EX S. HIERONYMO.

EX S. AMBROSIO.

EX S. AVGVSTINO.

EX S. GREGORIO MAGNO.

EX

EX EPIPHANIO.

Syntagmatis decimi.

VARIARVM LECTIONVM.

Horum maximè Syntagmatum ex X. Indices postulaturum te ratus sum. Reliquorum propter immensam lemmatum varietatem, & copiam fuissent fastidio propiores. Sed cum hos, tum praeterea rerum, & verborum conficiat, si lubet, qui Volumen forte recudendum susceperit. Materiam sanè, vel te ipso teste, vberem habebit.



LECTO

LECTORI.

Habes nunc geminata Bellaria: quæ si palato tuo fecerint, quod spero, lætus sum omnibus lætitijs. Voluminis mediocritas contra quam putaui, prioris magnitudini non respondet. Verùm adhuc in arca nummus est, vnde, si Deus annuerit, nummatius prodeat in posterum. De erratis typographicis illud Plautinum dici potest. Qui cauet, vix cauet. Cum etiam cauet, sæpe is cautor captus est. Leuissimis prætermissis, præcipua sic emendo.

Pag. 15. f. mensam. 27. p. sua. 62 p. vlcisci. 66. p. pro MDCC- reßitue DCCCI. 83. v. vlt. adde, lib. I 90. m. egeris. 93. p gladijs. 112. p. decedens. 116. f. Palamonis. 119 p. gulam fregere. 129. m. ad Paulin 130. v. 1. Principes. 139. v. 1. patere. 171. p. palatinatu. 173. p. Turcicas. 186. f. mango. 217. f. Euagrius. 240. m. vocauit. 275. p. v. 1. Adriani. 282. f. Gorgia. 289. Nyctimenes 295. f. vilitatem. 308. f. dimidiata 315. v. vlt. hora. 355 fallis 369. v. 1. solent 387 p. auditatem. 408. m. clausum. 415. marcescit. 418 p. praeminet. 424 v. vlt. sua. 461. penult. Musaa. 462. m. chelyas. 511. f. honestandam. 513. f. impensam. 517. p. χαμευνίαις. *538. p. v. 2. Thebæ.*